53162/A

Ex libris Fr Kapferer med: stud:

20/10. 22.

RVDOLPH. AVGVST. VOGEL

MEDIC. DOCT. ET PROFESS. GOTTING.

HISTORIA MATERIAE MEDICAE

AD

NOVISSIMA TEMPORA PRODVCTA.

IN VSVM ACADEMICVM.

EDITIO NOVA CORRECTIOR AC EMENDATIOR.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE.

APVD TOBIAM GOEBHARD.

MDCCLXIV.

305240

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

CARISSIMIS AVDITORIBVS
FELICITATEM
RVD. AVG. VOGEL.

En! libellum de materia medicinali, in veſtrum praeprimis vſum conſcriptum, mole quidem paruum, aliisque ſimilibus eo multum cedentem, minime vero rerum copia; ſiquidem non modo plures, ac in contractioribus commentariis vulgo traduntur, res ille comprehendit, ſed paullo amplius quoque virtutes recenſet, quas adhuc eruditi Viri tam in vſitatis rebus, quam in nouis repererunt. Illud enim ignorare non oportet, inſigni defectu, etiam ſpiſſiſſima volumina, Hermannianum, Geofroyanum, Hillianum, vt plura non memorem, hoc nomine laborare, adeo, vt in permul-

tis medicamentis dimidia fere pars, & amplius, virtutum adhuc deſideretur, quas paſſim auctores cognouerunt, & in ſuis monimentis propoſuerunt. Hae ergo virtutes mihi colligendae viſae ſunt, & in vulgus cognitis addendae: praeter haec vero etiam corrigendi varii errores, circa hiſtoriam naturalem multorum medicamentorum abs ſcriptoribus commiſſi: denique adiiciendae non paucae res nouae, virtutibus medicis egregiis inſtructae. Verum vt praeſtari iſta abs me potuiſſent, turbam librorum opus fuerat perlegere, practicorum miſcellaneorum, ad hiſtoriam naturalem ſpectantium, itinerariorum quoque: e quibus decerpſi, quidquid ad meum, quin communem, vſum faceret.

Ita quidem nata eſt hiſtoria materiae medicinalis correcta, & amplificata, & ad nouiſſima producta tempora, non quidem ſine magno labore, at quem vtilitas in opere practico quam vberrime compenſabit. Non ſolum vero recentioribus auctoribus hac in re vſus ſum, ſed antiquis quoque, vtpote in quorum monimentis permultas egregias virtutes recenſitas deprehendi, aetate noſtra prorſus ignotas, ſed quae in vſum reuocari valdopere mercantur; aliquas etiam pro nouis hodie declaratas; quin magnam vim remediorum domeſticorum, adhuc dum celebratiſ-

ſimo-

morum, olim vero magis Medicis, quam hodie, vſitatorum.

Quemadmodum autem veſtra non parum intereſt, Commilitones, vt ſingulas res noſcatis, quibus medicamentorum nomen impoſitum, ſiue eae ſint multum, ſiue parum efficaces, ſiue vſu adhuc receptae, ſiue minus, idque vel ſua ipſorum culpa, vel medentium negligentia; ſiquidem permulta ex foro medico hoc magis nomine, quam altero, fuerunt proſcripta; non potui mihi temperare, quin omnia iſta, contra ſuetum quidem morem hodiernum, in vnum librum congererem. Selectum equidem non damno, at medentibus, illum magis proficuum, quam tyronibus cenſeo, propterea, quod ſi partem tantum medicamentorum norint, eorumque ad hodiernum quidem guſtum duntaxat ſelectorum, non ſufficientibus armis inſtructos demum eſſe crederem, ad corporis humani hoſtes profligandis. Siquidem in obſoletorum numero, & reiectorum hodie, non pauca ſunt, quae plus praeſtant in curatione morborum, quam quae vſitata vocantur. Quapropter non debui quidquam omittere, quod medicamentorum titulo ornatum; ſiue officinas pharmaceuticas adhuc ingrediatur, ſiue minus. Ad eiusmodi tamen opiniones reſpectum mihi habendum eſſe in ordinandis rebus exiſtimaui, vt ne ad ſingulam rem di-

cere neceſſum haberem, vſitatane ſit, an minus. At enim vero multum abeſt, vt hac ordinatione indicare voluerim; quae vſitata vocentur, ea ideo quoque maiorem efficacitatem prae inuſitatis & obſoletis poſſidere, & contra. Quum potius in ea opinione ſim, non eſſe haec obſoleta efficacitate deſtituta, ſed partim omnino ſuperiora vſitatis.

Plerisque in locis, inprimis vbi vires nouae, aut non ſatis perpenſae, recenſendae eſſent, teſtes allegare placuit, idque eam praeſertim ob cauſam, partim vt optimorum librorum cognitionem Vobis ſic paulatim compararetis, partim vero, vt quae plenius ibi dicantur, ipſimet aliquando poſſetis euoluere ac in memoriam reuocare. Quae res equidem & alios, ſi qui legere hunc librum haud dedignentur, iuuare poterit.

De partibus conſtitutiuis ſingularum rerum diſſerere, ſuperuacuum, quin invtile mihi viſum, cum, quod perſaepe actio medicamentorum talibus non innititur, quales ſcilicet extrahimus; tum, quod quae ſimiles vehunt, ea nihilominus diuerſas virtutes monſtrant; praetereaque in efficaciſſimis medicamentis, ſi ab experimentorum vſu diſcedamus, nihil quidquam reperitur, cui admirandas ipſorum virtutes accurate & ſine omni fallacia queamus adſcribere; tum denique,

quod

quod ne generales quidem virtutes, purgantes, diureticae, ceterae, inde deriuari poſſunt. Quapropter lubentius volui in hac re Empeiricum agere, & nude vires ſine vllis ratiocinationibus ex principiis eorundem deductis recenſere, quam fallacibus eiusmodi, ac incertis rebus operam perdere. Vndecunque vero generales virtutes manifeſto paterent, vt calefacientes ex oleis aethereis, reſoluentes e ſaponaceis, horum quidem mentionem facere nullibi ſum oblitus.

Alterum, quod abs me negligi poſſe exiſtimaui, eſt recenſus compoſitionum, in quas ſingula ſimplicia medicamenta ingrediuntur. Quandoquidem longe commoditer ille in Pharmacia, quam hoc loco, exhibetur, vbi perperam memoriae ſuae ingredientia quis inprimit compoſitorum, quorum nullam adhuc cognitionem habet.

Pauca quaedam, vt petroſelini ſemen, & pimpinellae & quercus folia, abs me inuito praeteruiſa ſunt, laburnum vero, & vrticae ſemen bis poſita. Quem quidem errorem facile quisque mihi, puto, eſt condonaturus, qui conſideret, in tanta copia rerum facile obrui animum poſſe.

Ceterum in priori parte libri indicem remediorum ſpecificorum poſui, qualem nullibi ad-

huc

huc inueni, ſed qui eximium commodum in ipſa praxi habebit. Et in ipſa illa parte ſele-ctui quoque remediorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, proſpexi.

Plura praeloqui non habeo, Commilito-nes, niſi vnum illud, quod amice atque ſin-cere Vos admoneam, vt ne vnquam in ele-mentari cognitione doctrinarum medicarum ſubſiſtatis, ſed hunc potius ſcopum vbique Vobis habeatis praefixum, vt ampliſſimam omnium rerum, ſolidiſſimamque notitiam Vobis comparetis. Ad quod quidem, ſi quid ego conferre potero, prolixo animo fa-ciam ac perlibenter. Valete!

DE

DE

MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM FACVLTATIBVS IN GENERE, EORVNDEM PARTIBVS CONSTITVTIVIS, AGENDIQVE RATIONE.

§. 1.

Quidquid corpori animali viuo, inprimisque humano applicatum, illud ita mutat per ſuas vires, vt morbi inde vel arceantur, vel debellentur, illud dicitur *Medicamentum.*

§. 2. Medicamentum vero eſt corpus quoddam naturale, adeoque vel minerale, vel animale, vel vegetabile.

§. 3. Quidquid horum absque notabili praeparatione et per ſe corpori viuo applicatur, medicamen-

tum *ſimplex* dici conſueuit. Atque de his tractat proprie materia medica, ſic ut, qualem actionem quoduis edat, et in quibus morbis proſit, et per quas vires, quaque ratione operetur, item quali copia adhibendum ſit et qua forma, exponat. Traduntur etiam notae characteriſticae, quibus interdum genuina a ſpuriis et adulteratis diſtinguuntur, et ſingulorum bonitas cognoſcitur.

§. 4. Agunt autem medicamenta vel in ſolidas partes noſtri corporis, vel in fluidas, vel in utrasque ſimul. Licet quidem ſatis exploratum ſit, alterari vix fluida poſſe, quin ſimul ſolida aliqua ratione afficiantur, et conuerſa vice: non abſurdum tamen eſt, ſeparate concipere medicamentorum actiones, quatenus ſolida reſpiciunt, non conſideratis iis, quatenus fluida immutant, et viciſſim.

§. 5. Quae igitur in ſolidas partes agunt medicamenta, ea vel earundem texturae mutationem quandam inducunt, vel motus earundem alterant. Intuitu mutationis, quam in textura ſolidorum producunt, partim ea relaxant, partim indurant, partim deſtruunt. Quorum idcirco illa *relaxantia*, iſta *indurantia*, haec *inflammantia* vocantur. Intuitu motus autem, eiusmodi mutationem a medicamentis ſolida experiuntur, vt oſcillatio eorundem inde vel augeatur vel imminuatur. Quorum illa ideo *tonica*, haec *ſedantia* nuncupantur.

§. 6. Enimuero in memoriam aeque hic reuocandum eſt, quod ſupra ſcripſi de actione medicamentorum generali (§. 4.), quod nempe ſeorſim vix poſſint medicamenta in textura ſolidorum mutationem producere, quin ſimul eorundem motus inde aliter aliterque afficiantur; et verſa vice.

§. 7. Quae in fluida agunt medicamenta, ea duplici modo in vniuerſum operationem ſuam perficiunt, vt vel vitiatam eorundem quantitatem, conſiſtentiamque motumue emendent, vel ipſa e corpore educant, ſicque eorundem qualitatem imminuant.

Prio-

Priora *alterantium*, poſteriora *euacuantium* nomine vulgo appellantur.

§. 8. Atque haec ſunt ſumma illa medicamentorum genera (§. 5-7.), quae varias ſub ſe ſpecies iterum comprehendunt, diuerſis nominibus inſigniri ſolitas, partim ab effectu, quem ſpecialiter edunt, partim ab applicandi ratione, et gradu, quo agunt, multisque aliis circumſtantiis deſumptis. De quibus nunc protinus dicam, orſus a relaxantibus.

§. 9. *Relaxantia* itaque medicamenta (§. 5.), ſi extrinſecus ſaltem corpori admouentur, *emollientia* vocantur: ſinque humores in parte ſolida ſtagnantes et inflammationem concitantes, in pus mutant, *maturantia. Sedantia* vero ſub externo vſu audiunt *paregorica*; ſub interno autem, ſi ſpaſmum praeſentem tollunt, *antiſpaſmodica*; ſi dolorem mitigant, *anodyna*; ſi dolorem per placidum ſomnum tollunt, *hypnotica*; ſin autem per profundiorem ſomnum cum ſtupore, omniumque oppreſſione ſenſuum, *narcotica.*

§. 10. *Tonica* autem, quae vocantur medicamenta, *roborantium* ſiue *analepticorum* et *neruinorum* nomen accipiunt, ſi partium ſolidarum vim contractilem leniter augent; *adſtringentium* vero, ſi majori gradu id efficiunt, et ſic quidem, vt partes ſolidas ſimul indurent humoresque condenſent; *traumaticorum* vero et *ſarcoticorum*, ſi partium, quarum vnitas ſoluta eſt, conſolidationem promouent; *iſchaemorum*, ſi ſanguinis effluxum ſupprimunt; *repellentium*, ſi per conſtrictionem, quam efficiunt, materiam qualemcunque mobilem ab exterioribus ad interiora transferunt; *diſcutientium*, ſi materiam intra ſolida ſtagnantem, ex iſto, quo ſtagnat, loco, reſolutorio motu inſenſibiliter diſpellunt; *ſtimulantium* denique, itemque *attrahentium*, ſi majorem adfluxum humorum ad partem illam, cui ſuperhabentur, concitant, eosque in ſumma transferunt.

§. 11. Ad *inflammantia* autem quod attinet, ſi ruborem ſaltem in cute excitant, appellantur ea *rubefacientia*; ſin puſtulas aut veſicas ſero turgidas, *veſi-*

 cantia.

cantia. Sin autem ipſas fibras, vel carneas, vel cutaneas deſtruunt, *cathaeretica, eſcharotica, & corroſiua.*

§. 12. Medicamentorum *alterantium* (§. 7.) tot ſpecies conſtituuntur, quot vitiis humores ſummis ſubeſſe ſolent. Intuitu igitur mixtionis, quum ea vel ab acido morboſo, vel quacunque re acri putridaue deprauari poteſt, conſtituimus duas ſpecies eorundem, alteram, quae euertit morboſum acidum, alteram, quae quamcumlibet aliam humorum dyſcraſiam emendat. Quae prius praeſtant, *abſorbentia* vulgo vocamus; quae poſterius, *antiſeptica, bezoardica, alexipharmaca, antidota*, quod nomen tum inprimis vſurpatur, ſi quando aduerſus venena, vel per morſus, vel per cibos aut potiones noſtris corporibus inſerta, proſunt. Intuitu conſiſtentiae vero morboſae, iterum duas ſpecies alterantium conſtituimus, ſiquidem ea iuſto maior, vel minor eſſe poteſt. Quae igitur ſpiſſitudinem emendant, vocamus *reſolventia;* quae tenuitatem nimiam, *condenſantia* ſiue *coagulantia.* Motus denique, vt vel nimis celer et calore coniunctus, vel nimis lentus eſſe ſolet, et horrorem frigusque inducit; ita etiam duas ſingulares ſpecies alterantium expoſcit, quorum illa, quae velocitatem compeſcunt, *refrigerantia*, haec vero *calefacientia* appellantur.

§. 13. Permultae quoque ſpecies alteri generi ſummo remediorum, quae humores e corpore educunt, ſubiectae ſunt. Quoniam enim vitioſi ſucci non vnius eiusdemque naturae ſunt atque craſeos, neque etiam ſecretoria organa et vaſa excretoria eandem ſtructuram habent, hinc tot euacuantium remediorum ſpecies conſtituuntur, quot inter ipſos humores euacuandos, organaque ipſorum excretoria diſcrimina ſunt.

§. 14. Quaecunque igitur medicamenta corruptos et in ſtomacho, primoque inteſtinorum canali contentos humores per os expellunt, ab operatione appellantur *emetica;* quae eosdem dejectione educunt, *purgantia;* et ſi blande hoc praeſtant ac moderate, *laxantia;* ſique ſolas ab aluo feces educunt, ἐκκοπροτικὰ ſiue *lenientia.* Quaecunque vero humores per tubuloſum

ſum cutis emunctorium pellunt et moderate quidem. διαφορητικὰ; quae impetuoſe, *ſudorifera*; quae per vias vrinarias et renale cribrum, *diuretica*; quae per glandulas palati, oris, et ſaliuales ductus, *ſaliuantia*; ſique vel manſa vel gargarizata hoc praeſtant, *apophlegmatiſmi*; quae denique per nares, *ptarmica*, *errhina* et *ſternutatoria*: quae vero menſtruas purgationes vrgent, *emmenagoga*; quae lochialem ſanguinem, *ariſtolochica*; quae partum aut ſecundinas, *ecbolica*.

§. 15. Quemadmodum vero praeternaturalia quaedam corpora, vti vermes, calculi, flatus, in corpore humano ſubinde generata, aeque expulſionem deſiderant; ita, quae horum eliminationi ſuccurrunt, diuerſis itidem nominibus inſignimus; et illa, quae vermes expellunt, *anthelmintica* vocamus; quae flatus, *carminatiua* ſiue *phyſagoga*; quae denique calculos, *lithontriptica*.

§. 16. Equidem plures adhuc differentiae atque denominationes medicamentorum vulgo conſtitui ſolent; partim a viſceribus et peculiaribus partibus, quibus ſpecialiter prodeſſe creduntur, partim ab ipſis morbis, quibus auxiliantur, deſumtae (*). Enimvero, vt pleraeque iſtarum vel ad hoc vel illud genus remediorum, quae ſupra memoraui, commode referri poſſunt, aliae vero experientiae prorſus non reſpondent; illarum recenſioni merito ſuperſedemus.

(*) Inuenies eiusmodi denominationes in G. W. WEDELII *Amoenit. mat. medic.* Ienae 1684. IO. IAC. IANTKII *Select. mater. med.* Norinb. 1731. et HERM. BOERHAAVII Tr. *de Viribus medicament.* qui nouiſſime Ienae 1752. prodiit. Excogitauit inſuper aetate noſtra Ill. CAR. LINNAEVS multa noua nomina, quibus medicamentorum nonnullorum actiones tam generales, quam ſpeciales explicaret. Vid. *Eiusd. mat. med. de plant.* Amſtel. 1749.

§. 17. Omnis virtus medicamentorum miſcelae eorun-

rundem ſiue partibus conſtitutiuis innititur, et inde quidem actio quoque eorundem in corpus noſtrum explicari debet. Verum, quum permulta ſint, quae peculiarem prorſus effectum edunt, ex ipſorum mixtione haud eruendum, imo quaedam in partes ſuas conſtitutiuas prorſus etiam diſpeſcere ſe non ſinunt; apparet, philoſophiam noſtram de actione medicamentorum valde imperfectam eſſe, neque vnquam fere licere ex partibus ipſorum conſtitutiuis determinatum quemdam atque certum effectum ipſis attribuere (*). Si qua tamen ſunt media, quibus illas deprehendimus, continentur ea vel in exploratione chemica, vel in ſenſibus, maxime guſtu et olfactu (**).

(*) Praeclare omnino et veriſſime CICERO: *Mirari licet, quae ſint animaduerſa a Medicis herbarum genera, quae radicum ad morſus beſtiarum, ad venena, ad oculorum morbos: quorum vim atque naturam ratio nunquam explicauit, vtilitate et ars eſt, et inuentor probatus.* De Diuinat. L. 1. p. m. 611.

(**) Conf. IO. ERN. HEBENSTREIT. diſſ. *de ſenſu externo facultatum in plantis iudice.* Lipſ. 1730.

§. 18. Partes autem conſtitutiuae, quas, mediante artificio chemico, detegere in medicamentis licet, nominatim ſalinae, eaeque vel acidae, vel alcalinae, vel mediae; deinde ſpirituoſae, ſulphureae, oleoſae, eaedemque vel aethereae vel vnguinoſae; porro reſinoſae, ſebaceae, ſaponaceae, gummoſae, mucilaginoſae, terreſtres, gelatinoſae. Quibus ſingulis ſua virtus ineſt, qua diuerſimode corpus alterant. Quamque protinus ſubiiciam.

§. 19. *Salia* ergo, vt ab his ordiar, licet ſint diverſi generis, in eo tamen conueniunt, quod ſtimulantem atque reſoluentem virtutem obtinent, ſic quidem, vt acida magis ſtimulent quam alcalina, haec magis quam neutra: deinde acida ſaltem terreas, alcalina ſulphureas et pituitoſas, media has poſteriores duntaxat diſſoluant. In eo quoque ſalia acida et alcalina conueniunt, quod, ſi valde concentrata ſunt,

aut

aut metallicis corporibus mixta, fibras corporis noſtri erodant, inflamment atque deſtruant.

§. 20. Specialiter vero ſalia *acida* fibrarum tonum augent, et ſi crebrius affatimque adhibentur, easdem indurant; alias ex aucto fibrarum tono, qui maxime ſe exſerit in ventriculo et inteſtinis, appetitum intendunt, et anodyna virtute quoque pollent. Humoribus vero permiſta, eos condenſant, eorumque motum retardant, aeſtumque infringunt. Putredini denique reſiſtunt, et inuertunt morboſum alcali.

An etiam terreas partes in ſanguine reſoluunt? Has quidem extra corpus valide aggrediuntur; intra illud vero deſtitui mihi virtute iſta videntur, adeo vt contrarium potius, hoc eſt, augmentum earundem inde metuam. Certe multiplici experientia conſtat, vix alios, praeterquam vini potatores, calculo, podagra, arthritideque torqueri; et CYPRIANUS inter 1400. homines, quos ſectione a calculo liberauit, ne vnum Zythopolam vidit: neque certe quis melancholicum ſanguinem, abundantem partibus terreis, vnquam correxit per acida. Taceo, quod etiam multitudo humorum et exigua copia, qua offeruntur, eorum actionem in corpore impediant.

§. 21. *Alcalia* ſalia abſorbent humores acidos morboſos, et in medium corpus ſalinum, quod corpori amplius non nocet, cum ipſis tranſeunt. Reſoluunt quoque glutinoſa, et partes ſulphureas, ſi fixa ſunt; ſin vrinoſa, humores lymphaticos et gelatinoſos coagulant (*). Haec autem putredini validiſſime reſiſtunt, illa minus. Vtraque ſolidas partes irritant inflammantque, inprimisque ſi valde concentrata ſunt; tum enim in vniuerſum fortius operantur.

*) *Abhandl. der koenigl. Paris. Academ. der Chirurg.* T. I. p. 265. 272.

§. 22. Salia *media* praeter ſtimulantem naturam, quam cum ceteris communem habent, reſolutoriam actionem in pituitam exercent, eamque vel per vri-

nae vias, vel per aluum euacuant, vtique maiori oblata copia. Ceterum partim humorum motus compeſcunt, partim aeſtum minuunt, partim putredinem arcent, partim humores reſoluunt, partim coagulant.

§. 23. Medicamenta igitur, quae vel ex toto ſunt ſalia acida, aut alcalia, aut media, vel ex parte tantum illis conſtant, neceſſe eſt, vt ſimiles effectus in corpore humano plus minus edant.

§. 24. At *ſpirituoſae* partes fibras irritant, roborant, in earum interſtitia penetrant, humores ſtagnantes et viſcidos reſoluunt ac diſcutiunt, ignemque animalem augent. Ex quo patet, qualis virtus a medicamentis, quorum miſtionem partes ſpirituoſae ingrediuntur, exſpectanda ſit.

§. 25. *Sulphureae* partes itidem fibras ſtimulant, humores expandunt, calorem et tranſpirationem augent. Aliquae etiam ſtupefaciunt. Ex quo intelligitur, qualis ſit virtus medicamenti, quod vel ex toto ſulphureum eſt, vel ex parte.

§. 26. *Oleoſae*, ſi ſunt *aethereae*, ſtimulant, reſoluunt, calefaciunt, roborant, et dolorem leniunt. Id quod proinde etiam praeſtant medicamenta, oleum aethereum vehentia. *Vnguinoſae* autem fibras emolliunt et relaxant, ſalium ſtimulos omniaque acria obtundunt, humores denſant, et poros obſtruunt. Quae virtus proinde etiam medicamentis, quibus inhaeret oleum vnguinoſum, adſcribenda eſt. Si qua vero rancorem contraxerunt, effectum edunt vbique contrarium.

§. 27. *Reſinae*, vt oleo aethereo et acido ſale permiſtae ſunt (*), ſic earum virtus erit compoſita ex virtute olei aetherei et ſalis acidi (§. 20. 26.). Et ſic quoque erit ratio comparata virtutis medicamentorum, quae vel ex toto reſinoſa ſunt, vel reſinoſas partes continent.

(*) Vid. *Inſtit. Chem.* §. 37.

§. 28. *Pinguitudines* et *ſeua*, vt maxime ſunt oleo expreſſo compoſita, ita quoque eaedem ipſis virtutes,

tutes, quas dictis oleis adſcripſi (§. 26.), competunt.

Huc etiam *cera* ſpectat, quae inter principia nonnullarum plantarum generica omnino referenda eſt, et nil niſi oleum vnguinoſum eſt, acido ſale condenſatum.

§. 29. *Sapones*, quum ſint corpora ſalino-ſulphurea, virtutem reſoluentem, demulcentem, emollientem, diſcutientem atque abſtergentem obtinent. Eandem ergo et in medicamentis ſaponaceis quaeres.

Ad ſapones referri quoque poteſt *ſaccharum*, principium genericum quorundam vegetabilium conſtituens.

§. 30. *Gummoſae*, *mucilaginoſae*, et *gelatinoſae* partes gluten animale augent, acrimoniam humorum inuoluunt, eosdem denſant, ſpaſmum fibrarum tollunt, indurata emolliunt. Similem proinde effectum expectato quoque a medicamentis, eiusmodi ſubſtantiis diuitibus.

§. 31. *Terreſtres* denique partes humores abſorbent et denſant, deinde quoque refrigerant, vulnera glutinant, et excretiones quascunque, tam ſalubres quam morboſas, impediunt. In quo etiam virtus remediorum, vel ex toto, vel ex parte terreorum, poſita eſt.

§. 32. Quamquam vero ex partibus conſtitutiuis, debito modo erutis, certiores reddi poſſumus de virtutibus medicamentorum; iterum tamen monemus (conf. §. 17.), non poſſe easdem per hanc viam ſemper perfecte explorari, neque recte inde determinari; ſed dari quoque medicamenta, quorum mixtionem nulla arte nobis eruere; alia, quorum aliquas duntaxat, non autem omnes extrahere liceat; ruſſus alia complura, praeſertim ex plantarum choro, quae licet eadem producta generatim conuenientia largiantur, communem tamen, experientia duce, virtutem non exſerant; alia iterum, quorum virtutes et facul-

tates ex partibus conſtitutiuis prorſus non pateant. Praeter haec vero ſciendum eſt, medicamenta non ſemper omnibus ſuis partibus conſtitutiuis agere, ſed interdum vna tantum, interdum pluribus.

§. 33. Vt a ſupremo numine omni animali ſapor odorque pro mediis conceſſa ſunt, quibus qualitates rerum, inprimisque vegetabilium, tum nociuas tum ſalutares, dignoſcerent; ita et nos quoque ipſis eodem fine recte vtemur, ſi modo, quae deinde dicentur cautiones atque limites, probe obſeruauerimus.

Conſtituerunt veteres Medici ſenſus omnes facultatum in medicamentis arbitros. Vid. GALENVS *Com. I. in Hipp. L. de natura.*

§. 34. *Saporis* ope deprehendimus in medicamentis, praecipueque in vegetabilibus, haec diſcrimina: Alia amara ſunt, alia dulcia, alia acida, alia acria, auſtera, ſalſa, viſcoſa, ſicca, aquoſa, pinguia. Quae igitur vno aliquo ſapore ex memoratis conueniunt, ea viribus quoque conuenire probabiliter iudicantur (*).

(*) Iſtam legem poſuerunt antiqui viri HIPPOCRATES, GALENVS, ACTVARIVS, AETIVS, ceteri.

§. 35. Iudicamus autem ſic: *Amara* ſolida roborant, languenti ſtomacho ſuccurrunt, acidum infringunt, putredini reſiſtunt, bilis vim acuunt; et ſaepe, ſi ſumma fuerint, venena ſunt, certe vermibus inteſtinorum. *Dulcia* vero ſolida relaxant, et acrimoniam temperant. *Acida* ſitim extinguunt, calorem et aeſtum minuunt, putredinem coërcent, fluida denſant, ſolidorum compagem diſſoluunt. *Acria* calefaciunt, humores fluxiliores reddunt, fibras irritant, et copioſe adhibita rodunt; quin inſtar veneni ſaepe, quae acerrima ſunt, agunt; cutim denique rubefaciunt, ipſi aliquamdiu ſuperhabita, et omnes excretiones promouent. *Auſtera* humores inſpiſſant, fibras coarctant, adſtringunt, indurant, vulnera et vlcera exſiccant, glutinant, alui profluuia, aliaque coërcent. *Salſa* fibras irritant et ſtimulant, humores penetrant

et

et diſiungunt, aluum et vrinam mouent. *Viſcoſa* ſolidas partes emolliunt, relaxant et lubricant, gluten naturale reſtituunt et nutriunt, humores acres inuoluunt et temperant, ſitim delent, ventrem ſolvunt. *Pinguia*, ſi ſunt blanda et recentia, eodem fere modo agunt; ſin rancida, contrariam facultatem obtinent. *Sicca*, h. e. inſipida et proprio humore deſtituta, humidum abſorbent, canales obſtruunt, et fibras rigidiores reddunt. *Aquoſa* denique, quae fere etiam inſipida ſunt, ſed multum aquae vehunt, ſolida humidant, emolliunt, relaxant, fluida diluunt, obſtructa expediunt.

§. 36. Sed hi fere ſunt ſapores ſimplices: Dantur praeterea permulti compoſiti ex viſcido et acri, ex acido et acri, acido et dulci, acerbo et amaro, amaro et dulci, et ſic porro; quorum vires adeo ex ſapore mixti creduntur eſſe compoſitae. Ceterum *nauſeoſa* medicamenta quaedam huc pertinent, vtpote quae magnam partem compoſiti eſſe videntur ſaporis, quoniam ex contrariis ſapidis mixtis ſaepiuscule nauſeoſa medicamenta fiunt. Videntur tamen ſimul ſpeciales quaedam particulae olidae, ad ſaporem iſtum conſtituendum, concurrere.

Vid. CAR. LINNAEI diſſ. *de ſapore medicamentorum*, Vpſal. 1751. quae eſt XXX. in *Amoen. Acad. Vol. II.*

§. 37. Ex *odore* multo difficilius eſt virtutem medicamentis admetiri, quum inter tot millia corporum vix duo reperiantur, quae exacte inter ſe conueniant, omnibusque vnum eundemque ſenſum hominibus inprimant. Non intermiſerunt tamen rerum naturalium ſcrutatores, quin quaedam genera odoris ſumma conſtituerent, tanquam facultatum in medicamentis iudices. Atque inter hos maxime eminet Ill. *Linnaeus* (*), qui optime odores in ſeptem claſſes diſtribuit, aromaticos, fragrantes, ambroſiacos, alliaceos, hircinos, tetros et nauſeoſos: ex quibus ſuaveolentes ſunt fragrantes et aromatici; fœtidi vero tetri

et

et nauſeoſi; dubii, his ingrati, grati illis, ambroſiaci et hircini.

(*) Vid. El. diſſ. *de odoribus medicamentorum*, Vpſ. 1752. quae numerum XXXVIII. in *Amoenit. Acad. Vol. III.* occupat.

§. 38. Quemadmodum autem omnia olfacientia propter volatilitatem ſuam in neruos agunt, eosque diuerſis modis afficiunt; ita, quae *aromaticum* odorem habent, actionem eorundem intendunt, et motum humorum accelerant; quae *fragrantem*, neruos flaccidos erigunt; quae *ambroſiacum*, vim cordis intendere videntur; quae *alliaceum*, transſpirationem augent, et flatus pellunt; quae *hircinum*, venerem excitant; quae *tetrum*, neruos quaſi reſoluunt et ſopiunt; quae denique *nauſeoſum*, eosdem conuellunt, et aluum maxime vrgent. At enimvero, non pauca quoque medicamenta mixtum odorem ſpargere, non ignorandum eſt.

§. 39. Quamquam vero haec ita ſunt, non tamen eſt exiſtimandum, ſine omni limitatione haec ita accipienda eſſe, ſenſibusque illis binis plenam fidem habendam eſſe. Primum enim, maximam hic iudicandi difficultatem parit ipſa ſenſuum fallacia, efficitque, vt quod vni fragrans, adeoque analepticum videtur, alteri nauſeoſum et conuellens appareat. Deinde ipſa experientia non raro inſignem et contrariam prorſus differentiam in plantis ſapore conuenientibus monſtrat, eandemque in ſpeciali non modo illarum operatione, ſed in generali quoque, ceu exemplo virium abſinthii, colocynthidis, opiique inter ſe collatarum patet. Ne dicam, ex odore ſaporeque mixto, qui tamen longe frequentius deprehenditur in plantis, quam ſimplex, vix ferri probabile iudicium de ipſarum virtutibus poſſe: quin permulta medicamenta, ex toto licet inſipida et inodora, inſigni tamen potentia medendi eſſe inſtructa (*), et permultas quoque plantas, quae in recenti ſtatu ex fragrantia ſua et volatilitate inſignes vires pollicentur, easdem, quum exſiccatae

catae fuerint, ex toto fere cum ipſo odore amittere.

(*) Obſcura dari ad ſenſum remedia, AETIVS iamiam obſeruauit *Tetrab. L. I. Prooem.*

§. 40. Referunt quidem adhuc Botanophili, quin retulit iam HIPPOCRATES (*), ipſum plantarum characterem, h. e. creſcendi, florendi, fructificandique modum, inter media, quibus vires ipſarum cognoſci poſſint; adeoque genere conuenientes et claſſe vna naturali complexas, viribus quoque congruere contendunt. Enimuero, vt hae nil ſunt niſi ſpecioſae probabilitates, et quas ille Botanophilus ex ſuo ſyſtemate pro maxime affinibus habet plantas, et vna claſſe vel genere adeo comprehendit, hic valdopere dirimit: ita lubrico admodum fundamento tota haec methodus ſuperſtructa eſt, eoque magis, cum vel in his plantis, quae genere conueniunt, vt cucumeribus et arnunculis papaueribusque quotidianus rerum vſus inſignem facultatum diuerſitatem demonſtret (**).

(*) Leguminoſa omnia flatulenta eſſe dicit L. *de diaeta.*

(**) Vid. Ill. IO. GOTTL. GLEDITSCH diſſ. *de methodo botanica, dubio et fallaci virtutum in plantis iudice.* Lipſ. 1742.

§. 41. Quae cum ita ſint, ad cognoſcendas in plantis ceterisque rebus naturalibus facultates medicamentoſas, non melior, neque certior datur via, quam experientia. Subtiliori tamen hic obſeruatione opus eſt. Et primum quidem vnum quid et ſolum hunc in finem adhibendum eſt: deinde vero ad bonitatis notas, ad doſin, praeparandi rationem, morbique ſtatum, regimenque in diaeta circumſpecte attendendum eſt: partis denique affectae, ac tempeſtatum ratio habenda eſt.

Vid. ANTON. RÜDIGER diſſ. *de veritate medicamentorum propria et methodo hanc explorandi.* Lipſ. 1750.

§. 42. Mutatio, quae vſum medicamenti ſequitur in corpore humano, h. e. actio eiusdem non vbique

eſt

eſt eadem, ſed valde differt pro diuerſitate ſubjecti, aetatis, temperiei, applicationis, cauſae morborum, etiam in ſimilibus caſibus, ſic, vt in hoc plane nullum, in alio diuerſum ſuetoue contrarium, in alio inſperatum prorſus effectum edat, quin nonnullis quoque in peius vergat, et ſub pertinaci denique ac continuo vſu iners plane fiat, et nullas amplius mutationes in eodem ſubjecto exſerat.

Vid. IO. HENR. SCHVLZII diſſ. *de inexſpectato medicamentorum effectu.* Halae 1739.

§. 43. Atque huius quidem diuerſae actionis ratio maxime in diuerſa vi vitali atque ſenſitiua poſita eſt, qua corpora noſtra inſtructa ſunt; quae etiam efficit, vt effectus multis modis cauſam agentem ſaepe ſuperent, et quae vni parti ſenſibili inducitur mutatio, tam in ceteras illi connexas propagetur, quam complures alias mutationes, ipſi actioni remediorum immediate non adſcribendas, producat. Vt adeo mutationes vſum medicamentorum in corpore animali ſequentes, ipſius potius corporis, quam medicamentorum habendae ſint.

§. 44. Creſcit autem plerumque actio medicamentorum, quo pluribus punctis partibus noſtri corporis eadem adhaerent, et in quo minores partes diuiſa ſunt. Meditate vocula *plerumque* vtor, quum vniuerſaliter id fieri, vti vulgo quidem credunt, non conſueuerit, experientia, in medicamentis corroſiuis, oleis aethereis, aliisque pluribus rebus contrarium demonſtrante.

§. 45. Non agere medicamenta in corpore demortuo, popularis etiam eſt opinio, quam vero itidem experientia convellit. Siquidem abs diuerſis rebus in mortuis animalium partibus idem fere effectus, ac in viuis producuntur, et v. c. coria atque oſſa tam per aquam macerantur, ac emolliuntur, quam per adſtringentia corpora indurantur, et per corroſiua deſtruuntur: vt de ſanguine nihil dicam, qui e vena miſſus ab admixto nitro aeque fluidior rubicundiorque redditur. Vt tamen non negem, in viuis partibus mutatio-

tationem magis compoſitam eſſe, quum in demortuis ſaltem ſimplex ſit.

§. 46. Denique vero nec hoc ignorandum, *venena*, h. e. eiusmodi corpora, quae corpori humano applicata illud deſtruunt atque internecioni dant, medicamentis quidem vulgo opponi; proprie vero talia non exiſtere, ſed hanc facultatem tum demum, quidquid venenorum claſſi adſcribitur, obtinere, quum vel maiori doſi, ac ferre indiuiduum quoddam poſſit, offeratur, aut quum ipſis humoribus immediate permiſceatur; in quo caſu tamen etiam optima medicamenta venenorum naturam aemulantur. Neque vero, quod vni venenum eſt, alteri protinus nocet. At vehementiſſima tamen ſic dicta venena, licet vulgo in minerali regno quaerantur, vegetabile comprehendit.

Vid. RICH. MEAD. *mechanica expoſitio venenorum.* Lugd. Bat. 1737. IO. LINDESTOLPEL. *de venenis, in ordinem redactus, corollariis, animaduerſionibus et indice illuſtratus a* CHR. GOTTFR. STENZEL. Frf. et Lipſ. 1739. IO. ADR. THEOD. SPROEGEL diſſ. ſiſtens *experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta.* Gœtt. 1753.

§. 47. His propoſitis, ad modum agendi medicamentorum tam generalem, quam ſpecialem venio. Apparet quidem, medicamenta, quum ſint corpora, aliter agere haud poſſe, niſi ex viribus a Creatore corporibus naturalibus inditis, attractione, cohaerentia, repulſione, figura, pondere, grauitate ſpecifica, ſubtilitate, viſcoſitate, duritie; enimuero, quum corpus noſtrum, recipiens medicamentorum actionem, vi vitali atque ſenſibilitate praeditum eſt, ſcire oportet, ipſorum actionem inde perquam mirifice alterari, et non raro alium longe, quin contrarium effectum ipſam ſequi, ac ex grauitate quidem, aliisue intrinſecis qualitatibus debuiſſet; et naturam, vt alibi in ſuis operationibus, ita et hic prorſus incomprehenſibilem eſſe, ac in diuerſas ſaepe, quin contrarias vias procedere, nullisque legibus adſtringi. Quando-

doquidem non raro videas, ab illis medicamentis, quae propter maiorem ſuam virtutem ſpecificam et per leges naturales, ex ſententia nonnullorum ſapientiae profeſſorum, oſcillationem fibrarum augeant, humoresque calefaciant, contrarium vtrobiqne effectum produci, ceu de plumbo v. c. manifeſte conſtat; viciſſimque ab illis, quae humoribus noſtris ſpecifice multo leuiora ſunt, non rarefactionem humorum, neque refrigerationem, qualem tamen ex hypotheſi exſpectaueris, ſed inſpiſſationem potius atque aeſtum praeſtari, ceu vſus rerum in oleis aethereis oſtendit. Quo magis itaque eorum diſputatio mihi ſupervacua videtur, qui eousque progredientes inquirere adhuc ſtudent, cur acida e. g. refrigerent, et ſulphurea calefaciant; quum fieri plane non poſſit, vt naturam quis hic comprehendat, et in vtramque partem in omnibus eiusmodi cogitationibus diſputari queat.

§. 48. In ſpeciali medicamentorum actione non ita facile errabimus, ſi ex partibus ipſorum conſtitutiuis, vbi naturae operationis conueniunt, et ex mutationibus, eorundem applicationem excipientibus, modum, quo agunt, eruere conemur. Dicam itaque primo de his, quae ſolidas partes praecipue afficiunt: tum ad ea tranſibo, quae in fluida actionem ſuam maxime exercent.

§. 49. *Relaxantia* itaque, χαλαςικὰ Graecis appellata, vt ab his incipiam, operationem ſuam ſic perficiunt, vt particulis ſuis actiuis, vel vnguinoſis et glutinoſis, vel ſaponaceis, vel aqueis, tum muſculares, tum membranoſas fibras penetrando, longitudinem ipſarum augeant, ſicque ad maiorem flexibilitatem atque dilatationem eas aptas reddant, vt a ruptura, ex nimia tenſione metuenda, praemuniatur.

§. 50. Opus eſt eiusmodi medicamentis duobus maxime in vitiis ſolidorum; vel quando inuicem fibrae coaluerunt et rigidiores factae ſunt, id quod ex liquidorum priuatione ſaepiſſime contingit; vel quando ab influente creſcenteque humore eae nimis intentae dolorem

lorem inferunt. Ob quam cauſam relaxantium effectus non alius eſt, quam quod per ſuas partes, quas modo dixi §. 49. , quaeque facultatem molliendi habent, tam colliquent concreta, quam ſicca humident.

§. 51. Præcipua vero in hoc genere ſunt oleum ſimplex, adeps recens, medullae omnes, malua, althaea, melilotus, lilium, ficus aridae, lini, foenugraeci et cydoniorum ſemen, chamaemelum, ſambuci flores, cera, ſperma ceti, quae cuncta mitiſſime relaxant. Valentiora autem ſunt bryoniae, cucumeris agreſtis, ebuli, iridisque radix, therebinthina reſina, gummi e pino recens, ammoniacum, galbanum, ſagapenum, aliaque eius generis. Compoſitiones hinc fiunt oleum liliorum, oleum lini, oleum irinum, vnguentum de althaea, emplaſtrum diachylon, de meliloto, de ſpermate ceti, de ammoniaco.

§. 52. Eadem relaxantia lubricant quoque, diſcutiunt, acrimoniam temperant, dolorem leniunt, maturant; et ſi ex toto mucilaginoſa ſunt aut blande oleoſa, vaſorum etiam emiſſaria illinunt ac obſtipant, liquidaque ſtagnare ibidem faciunt. Non ſolum vero ipſis partibus aegris ſuperhabita, ſed vicinis etiam applicata proſunt. Calor autem vniuerſe actionem eorundem iuuat.

§. 53. Ad *anodyna* quod pertinet, horum operandi ratio admodum diuerſa eſt, quod doloris cauſa bene multiplex eſt. Quamquam in eo pleraque conueniunt, quod relaxentem obtinent virtutem, et ſpaſticas partium ſtricturas leniunt; hinc *antiſpaſmodica* quoque a nonnullis vocata.

§. 54. Vt eo clarius vero modum agendi horum remediorum perſpiciamus; expedit antea, qua de cauſa proprie partes corporis noſtri doleant, et quaenam ſit huius affectionis ratio, explicare.

§. 55. Sciendum igitur, dolere partem ſolidam, quatenus neruis pertexta eſt, et tum quidem maxime dolere, quum vel nimis trahitur, vel, ſi caua eſt, diſtenditur. Sed id vero et ſubito fieri, et in pluribus fibris, et impetu aliquo neceſſe eſt: alias enim

vel nullus plane dolor, vel iucunda ſaltem perceptio, qualem titillationem aut pruritum vocamus, oritur. Eo grauior autem erit dolor, quo plures fibrae erunt diſtentae, et quo propius eae a ruptura remotae ſint.

§. 56. At cauſae, ſubito multumque fibras elongantes, duplicis ſunt generis, externae et internae. Ad externas referendum, quidquid vulnerando, trahendo, contundendo agit; item ignis, et quod ſimilem in corpus actionem exercet. Quibus in caſibus vehementiſſimus tum maxime dolor oritur, vbi non ex toto, ſed ex parte ſaltem pars quaedam eſt lacerata, ſic vt aliquae fibrae adhuc integrae ſint, quae nunc maximam extenſionem a disruptis fibris et ex vi vitali, vtrinque ſe contrahentibus, experiuntur.

§. 57. Quodſi itaque ex his cauſis externis aliqua dolorem inducit, optima anodyna ſunt, quae eandem auferunt; qualia ſunt relaxantia et emollientia, extractio rerum pungentium, partium laceratarum adductio, item vſtio partis laceratae, aut induratio, vel abſciſſio.

§. 58. Internae cauſae, fibras cum dolore extendentes, ſunt primo humores in minora vaſa, quam quae naturaliter illis accommodata ſunt, transfuſi, vi vitali vrgente; deinde corpora dura, in tubis et canalibus corporis contra naturam haerentia, eosdemque ex magnitudine, quae liberum tranſitum haud permittit, diſtendentia; tum omnia acria impacta, vi vitali vrgente, nimia ex ſpaſmo inflatio, et quam vermes efficiunt, roſio.

§. 59. Quaecunque itaque remedia et his cauſis vel ſummouendis, vel compeſcendis ſaltem, apta ſunt, inter anodyna numerantur. In priori ergo caſu erunt talia reſoluentia, attenuantia, laxantia, atque diaphoretica; in altero, praeter memorata, etiam ſtimulantia; in tertio, quae acre mutant, diluunt, inuoluunt, et foras alliciunt; in quarto carminatiua, lubricantia, et ſubinde quoque diaphoretica; in quinto denique anthelmintica, aluumque ſoluentia.

§. 60.

§. 60. Alia ratione *hypnotica* et *narcotica* dolorem ſedant; vtpote quae cauſam doloris non tollunt, ſed, inducto ſaltem ſtupore, partis ſenſum obtundunt, et torpidiorem reddunt, vt vrgentem doloris cauſam minime percipiat.

§. 61. Et videntur iſta quidem principio quodam ſubtili, cuius natura nos fugit, tam in muſculares fibras, quam nerueas, atque ipſos ſimul humores agere, ac in muſcularibus quidem irritabilitatem deſtruere, easque ſic ad contractionem ex applicato ſtimulo ineptas reddere; neruos autem vel ipſorum liquidum ita mutare, vt impreſſionem obiecti externi non ſentiant, nec animae repraeſentare, neque adeo huius dictata ad corporis partes deferre valeant; ſanguinem denique ſic attenuare atque rarefacere, vt fluidi neruei ſecretio inde praepediatur, exque eo ſomnus inuitetur plus minus profundus, ſic tamen, vt ex abſentia quoque ſtimuli et imminuto ſanguinis motu eum inferri credamus.

Haec ita eſſe, ſuadet actio vini copioſi et ſpirituum ardentium ſimilis, debilis item effectus narcoticorum principio ſuo ſubtili exhalatione orbatorum, ſuppreſſio excretionum omnium, praeter ſudorem, cordis magna, ſed tarda pulſatio, nec non torpor partium et reſolutio atque coecitas, mors denique ipſa, ceſſante munere ſyſtematis neruoſi, ſequens, et diſſectiones corporum, eiusmodi remediis interemtorum, quorum ſtomachus, inflammatione occupatus, ipſum remedium adhuc continuit, encephali autem vaſa craſſo ac rarefacto ſanguine diſtenta viſa ſunt. Vid. R. MEAD. *de venen.* p. 133. ſeq. ed. Bat. H. BOERHAAVE *Praelect. in Inſtit.* T. VI. p. 246. GE. CHR. OEDER. diſp. *de irritabilitate* Hafn. 1752. IO. ADR. THEOD. SPROEGEL diſſ. ſupra cit.

§. 62. In ſimplicium narcoticorum cenſu habentur haec: Crocus, papauer album et nigrum, cynogloſ-

ſum, cicuta, hyoſciamus, opium. In compoſitionibus autem praecipua ſunt: Philonium romanum, mithridatium, theriaca, eſſentia theriacalis, diaſcordium Fracaſtorii, pilulae de cynogloſſa, laudanum liquidum Sydenhamii, oleum hyoſciami.

§. 63. *Tonica*, et quae ſub hoc genere comprehenduntur (§. 10), duplici modo in vniuerſum agunt, vel augendo contractionis cauſas, vel, quod contractioni reſiſtit, ſummouendo. Prius iterum fit varia ratione, vel irritatione ſolidorum, vel humorum condenſatione, vel maiori partium nutrientium appoſitione, vel partium leuiorum ſulphurearumque in fibrarum interſtitia interpoſitione, vel denique frigidorum applicatione: Alterum ligatura, compreſſione, motu aucto, euacuationeque.

§. 64 Effectus horum remediorum non minus eſt multiplex; aucta nimirum actio ſolidorum in fluida, aucta fibrarum reſiſtentia, auctus humorum motus, auctae ſecretiones et excretiones, auctum robur totius corporis, diſpulſio flatuum, doloris diſcuſſio. Hinc ſpeciatim quoque illa *roborantia*, item *analeptica*, *cardiaca*, *confortantia* appellantur, et a primario effectu *contrahentia*.

§. 65. Eodem modo (§. 63.) agunt *adſtringentia*, *traumatica*, *ſarcotica*, *ſtyptica*, *repellentia*; ſic, vt adſtringentia ſimul quoque ſint traumatica, haec ſarcotica, haec ſtyptica, haec repellentia, et conuerſa vice: praeter haec vero tonica fiant adſtringentia, haecque tonica ſimul atque illa, tonica puta, maiori, haec minori copia offerantur.

§. 66. Partes autem, quibus ſingula iſta medicamenta agunt, et ex quibus quoque deprehendi ea poſſunt, ſunt vel glutinoſum quidpiam, vel ſpirituoſum, vel ſalino acidum, idemque vel ſolitarium, vel terreſtribus partibus, aut phlogiſto etiam commiſtum.

Ridiculam, quin abſurdam pene adſtringentium expoſitionem dedit CAR. GVIL. THEOD. STRVVE in *Exercit. academ.* p. 43. ſeq.

§. 67.

§. 67. Praeſtantiora ſimplicia tonica ſunt, malus citrea, cydonia, cinamomum, caryophillus aromaticus, nux moſchata, maſtix, ſtyrax, camphora, aſa dulcis, ambra, meliſſa, ceraſa nigra, veronica, plantago, cortex Peruuianus, moſchus, ſymphitum. Ex his compoſitiones exſtant variae, aqua apoplectica, rubi idaei, ſpiritus ceraſorum nigrorum, ſyrupus acetoſitatis citri, confectio alkermes, balſama vitae varia, eſſentia millefolii, traumatica Wedelii, tinctura martis tartariſata Ludouici, flores ſalis armoniaci martiales, puluis abſorbens Wedelii.

§. 68. Maiori vi contractilitatem ſolidorum intendunt medicamenta *ſtimulantia*, eo quod vel ſumme ſubtilibus partibus, vel acribus ſiue ſalinis ſiue reſinoſis large inſtructa ſunt. Quocirca etiam ſtimulantia ſunt roborantia, omnesque eorundem effectus producunt (§. 64.); ſimulque calorem augent, et depreſſos motus ſolidorum excitant, adeo, vt ſi vehementer agant, ſpaſmodicas quoque contractiones creent. Eadem et pruritum faciunt, et medicamentis euacuantibus admiſta, ipſorum operationem accelerant.

§. 69. At his multo potentiora ſunt *attrahentia*, Graecis ἑλκτικα ac ἐπισπαςικὰ dicta, quibus tanta vis eſt irritandi fibras, vt ab eorundem vſu atque applicatione, quae ſola externa eſt, ſanguis aut ſerum magna copia ad cutim transferantur, vt ab illo, ſanguine puta, ea rubeſcat ac inflammetur, ab hoc vero cuticula prorſus ſeparetur, et in veſicae quoddam inſtar attollatur. Id quod vtrinque relaxatione vaſorum, quam haec medicamenta inferunt, praeſtatur; ſiquidem inde ſanguini in lateralia vaſa transcurſus conceditur, ex quo ipſa illa, dum perlucent, ruborem cuti conciliant.

§. 70. Quidquid igitur poteſtatem habet, vaſorum reſiſtentiam imminuendi, attrahentis munere fungitur. Quapropter fortis fricatio, aeris externi per cucurbitulas et ſuctionem remotio, fibrillarum mini-

marum cutis per aſpera, aut ſalina acria corpora, aut vrticae caeſionem aut ignem diſruptio, item emollitio vaſorum, impeditus ſanguinis in venas per ſtricturam partis vel per frigus reditus, nec non ſudoris ſecreti per emplaſtica impeditus effluxus, inter attrahentia numeranda ſunt.

§ 71. Ex ſimplicibus autem medicamentis egregiam attrahendi facultatem habent pyrethrum, ranunculus, pix, ſinapi, cepa, fermentum, alumen plumoſum, ſagapenum, tithymali omnes, euphorbium: inter compoſita emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti, oxycroceum, et vnguentum aegyptiacum. Sed his multo præſtantiora ſunt, quae ex commemoratis ſimplicibus poſſunt in rem praeſentem parari.

§. 72. *Veſicantia* tantum affluxum humorum ad cutim excitant, vt eandem non modo inflamment, ſed et ipſa vaſa ſeroſa, per eandem diſcurrentia, ad rupturam cogant; idque quidem per ſubtiliſſimas partes acres, quae cuti applicatae a ſero per poros eius tranſeunte ſoluuntur, ſolutae vero in vaſa ſecretoria ſe penetrant, eademque modo ſtringendo, modo relaxando ita alterant, vt prolectum copioſius ſerum, ea non modo diſrumpere poſſit, ſed et mole ſua ipſam paulatim cuticulam attollere.

§. 73. Inter ſimplicia medicamenta, humores in veſicam prolicientia, eminent cantharides: idem vero etiam praeſtant ranunculus ac tithymalus. Compoſitum nihil, quod veſicas excitet, aſſeruatur, praeterquam emplaſtrum ſic dictum veſicatorium.

§. 74. Ceterum, cum quidquid medicamentorum attrahentium eſt, haud exiguam acrimoniam prae ſe ferre conſueuit, facile eſt hoc genus inde cognoſcere. Et ob hanc cauſam attrahentia quoque ſunt ſtimulantia, horumque loco, minori ſaltem copia aſſumpta, vſurpari queunt: ſicuti hac ratione et veſicantia attrahentium loco, ea ſaltem cautione, vt breviſſimo duntaxat interuallo cuti ſuperhabeantur. Praeter haec vero nonnulla ex hac claſſe altius quo-

que

que in corpus penetrant, et totum ſyſtema neruoſum languens ſuſcitant.

§. 75. In *cathaereticis, eſcharoticis* ac *cauſticis* maior adhuc, quin ſumma acrimoniae vis ineſt, ſic tamen, vt iterum gradu haec inter ſe differant, et cathaeretica nudam tantum carnem ſiue putridam ſiue excreſcentem abſumant; eſcharotica non tantum hoc ipſum praeſtent, ſed et ipſam ſummam cutim diuellant et cruſtas inducant, nec tamen intra cutim ſubeant; cauſtica vero non ſummam tantum cutim, vt eſcharotica, ſed et veram quoque ſoluant ac diſrumpant, nonnunquam et in ſubiectam carnem, cauterii inſtar, penetrent, eamque repente exurant, cruſta denſiori inducta. Quae quatuor itaque, veſicans, cathaereticum, eſcharoticum, et cauſticum, quod vires in cutim exſerant, vno eodemque genere contineri par eſt.

§. 76. Inter *cathaeretica* haberi poſſunt alumen vſtum, mercurius ſublimatus, aeque ac praecipitatus, arcanum duplicatum, vnguentum aegyptiacum ac apoſtolorum, atque minium; inter *eſcharotica* cinis vegetabilis omnis, inprimis vini faeces, ſabinae, et corticis fraxini, et lapis cauſticus; inter *cauſtica* vitriolum vſtum, lapis infernalis, butyrum antimonii.

§. 77. Vulgo quidem cum vno aliquo horum remediorum putrefacientia medicamenta, σηπτικὰ Graecis dicta, confundi ſolent *), quae tamen inſigniter a ſingulis et agendi ratione et fortitudine diſtant, ſi antiquos viros, quorum auctoritate omnino hac in re vtendum eſt, audiamus. Multo enim vehementius iſta operantur, et tam ſolidas partes, quam fluidas colliquant, ac in cadaueroſam putredinem deducunt, et vel exterius ſaltem vlceribus inſperſa miſere hominem iugulare poſſunt, perinde acſi illa hauſiſſet. Cuiusmodi ſunt inprimis aconitum, ſandaracha, atque arſenicum. Ob quam cauſam eiusmodi remedia, quum ſine vllo fructu pernicioſa ſint, a quoque prudente et Medico et Chirurgo prorſus fugienda, et e foro medico exterminanda.

 (*) Vid.

(*) Vid. GE. WOLFFG. WEDELII. *Amoen. mat. med.* p. 101. et IO. IVNCKERI diſſ. *de Septicis eorumque vſu et abuſu.* Hal. 1742.

§. 78. Ab corroſiuis non tam ratione materiae, quam vſus, differunt *Pſilothra,* quorum applicatione pili deſtruuntur, ipſa pars vero glabra et velut calloſa relinquitur. Qualia ſunt auripigmentum et calx viua, huiusque vnguentum tam ſimplex, quam a Mynſichto compoſitum *), ac Italorum depilatorium **). Quae cuncta, quum particulis acribus conſtant, in bulbos pilorum proxime agere videntur, eorumque vaſa nutrientia non minus, quam ipſum humorem nutrientem reſoluere; quo fit, vt ceſſante nutritione, ipſi ſine negotio euelli queant.

*) Vid. Ei. *Armam. chemic.* p. 197.

**) Cuius deſcriptionem inuenies in IO. IAC. IANTKII *Select. mat. med.* Tab. 66. p. 281.

§. 79. Denique *Dropaces* memorandi ſunt, quae ſunt tenaciſſima remedia, quibus emplaſtri forma applicatis capilli adeo tenaciter adhaerent, vt eiusdem ope accedente vi externa, non quidem ſine inſigni dolore, euelli poſſint.

§. 80. Hactenus dixi de remediis ſolidas partes praecipue afficientibus. Proximum eſt, vt eorum, quae fluidas maxime afficiunt, agendi rationem exponam. Incipiam ergo ab *abſorbentibus.* Quidquid hoc nomine venit, vel terreſtre quidpiam eſt alcalinum, vel ſalino alcalinum, ſiue ex toto ſiue ex parte. Quemadmodum vero hoc quidquid eſt, humores acidos, ſi cum ipſis miſcetur, extra corpus egregie temperat, ita idem illud cum humoribus noſtri corporis, ſi qui in acrimoniam degenerarunt, fieri apparet. Quapropter in primis viis haec remedia, ſi mere ſint terrea, humores acidos emendant. Sin ſalino alcalina, ſive ex toto ſiue ex parte, in ipſam ſanguinis maſſam penetrant, eiusque lentorem non modo corrigunt, ſed et nonnullas ſecretiones ſeroſas promouent. Mere terrea licet vix penetrare in vaſa lactea poſſint, tamen

cum

cum magna humorum ſeroſorum vis continuo eo adfluit, poſteaque iterum ex parte in ſanguinem defertur, eosdem pariter ſic aliquantiſper emendare valent.

§. 81. Eadem remedia aliquatenus refrigerant, dum particulas ſalino ſulphureas in ſe recipiendo earundem actiuitatem tollunt, quae eſt in calore augendo; porro quoque ſolida humida exſiccant; et putredinem bilis augent. Vſta ſi ſunt aut foſſilia, valentius imbibunt humores, ſin animalis indolis, mediocrem ſimul ſtimulandi et reſoluendi virtutem monſtrant, ſiquidem per ignem ſalino alcalinam indolem induerunt. Nonnulla ex animalium claſſe natura iam aliquid ſalini continent, quae adeo vel citra vſtionem pauxillum humores reſoluunt fibrasque irritant.

§. 82. Praecipua vero in abſorbentium cenſu ſunt, conchae, cancrorum lapides, criſtallus montana praeparata, cornu cerui vſtum, ſaliaque, quae ex cineribus plantarum eluuntur. A quibus protinus extemporaneae compoſitiones fieri poſſunt.

§. 83. *Bezoardicorum* operandi modus in eo conſiſtit, vt materiam, quae humoribus et praeſertim ſanguini corruptionem induxit, vel e corpore eliminent, vel eandem ſaltem immutent, ſic vt nocere amplius non poſſit. In primo itaque caſu bezoardica ſunt vomitoria, attrahentia, diaphoretica; in altero, diluentia atque demulcentia. Sed cum ſanguis in corruptione ſua, vel in coagulum abit, vel maiorem iuſto fluxilitatem acquirit, prius autem ab acido praeternaturali, alterum a quocunque alio acri ſanguini immiſto dependet; conſequens eſt, in priori caſu etiam abſorbentia eſſe bezoardica, in altero condenſantia.

§. 84. *Reſoluentia*, Graecis λεπτυτικὰ dicta, eodem quidem modo, ac ſtimulantia agunt; concipimus tamen, ea humores ſaltem alterare, eosque craſſos compactosue incidere. Sita eſt horum vis et facultas vel in tenui et acri materia, vel in ſaponacea, quae in interſtitia humorum ſe penetrando, vel eorundem cohaerentiam minuit, vel cauſas ſaltem incraſſantes aufert, vel humores in maius ſpatium expandit. Pau-

ciſſima ſunt, quae mechanica vi tantum operationem ſuam perficiunt; veluti mercurius.

Vid. PETR. GERICKE diſſ. *de medicamentis attenuantibus*. Helmſt. 1745. CHRIST. DAV. ACKERMANN *animaduerſiones de reſoluentibus*. Lipſ. 1751.

§. 85. Sed complura alia genera medicamentorum ſub hac claſſe reſoluentium comprehenduntur; qualia ſunt maſticatoria, errhina, diaphoretica, diuretica, diſcutientia, lithontriptica, carminatiua, anodyna, et nonnulla quoque bezoardica.

§. 86. Peculiare autem reſoluentium genus conſtituunt *diluentia*, quae vocant, h. e. fluida aquea ſimplicia, neque ſalinis partibus, neque ſulphureis impraegnata. Quae tam penetrando in pituitoſas partes, quam ſalia ſoluendo, eorumque actionem debilitando, reſoluunt.

§. 87. Neque non denique hoc genus medicamentorum, quod Graecis ῥυπτικὸν, Latinis *detergens* vocatur, reſoluentium numero habendum, quod lentos atque glutinoſos humores aut viſceribus, aut internis meatibus, aut etiam vlceribus cutisue poris praeter naturam adhaereſcentes expurgat. Quale fere vel ſaponaceae indolis eſt, vel ſapore amaro, vt abſinthium, ariſtolochia, et centaurium.

Praeter reſoluentia illa medicamenta, veteres Medici quidem etiam duo ſingularia genera, alterum ἐκφρακτικὸν ſiue obſtructione liberans, alterum ἀναστομωτικὸν ſeu vaſorum ora reſerans conſtituerunt. Enimuero, vt neque obſtructione liberare quidquam poteſt, neque vaſa aperire, quod non ſit vel reſoluens vel diluens: ita haec bina genera ſub duobus prioribus (§. 84. 86.) commode comprehendentur.

§. 88. *Incraſſantium* modus agendi non vnus eſt. Aliqua partibus ſpecifice grauioribus aut viſcidis humores, quibus permiſcentur, compactiores atque conſiſtentiores reddunt, perinde acſi aquae terra inferatur, fiatque lutum; alia hoc ſic praeſtant, vt partes

tes ſpecifice leuiores ex humoribus auferant; iterum alia, vt ex iisdem tenuiores aliquas partes exturbent.

§. 89. Quaecunque cohaerentiam humorum per commixtas partes ſpecifice grauiores maiorem reddunt, eadem id vel imbibendo partes fluxiles ſeroſas, ſaliave humores liquantia efficiunt, quo nomine abſorbentia ſunt inſpiſſantia; vel immediato contactu cum reliquis partibus. Viſcida autem medicamenta maiorem cohaerentiam praeſtant, partim quod ſeſe in fluidorum interſtitia inſinuant, partim quod actionem ſalium fundentium impediunt. Quo genere ſunt caricae pingues, oryza, cacao, ſego, auena excorticata, gummi arabicum, tragacantha, ichthyocolla, cunctaque vegetabilia emollientia *)

*) Antiqui viri haec glutinoſa medicamenta proprie vocarunt ἐμπλαστικὰ, ab incraſſantibus παχυντικοῖς eadem ſeparantes, eo quod haec craſſa ſint et terrena ſubſtantia, illa vero tenacia et firmius partibus adhaereſcant, easque obliniant, atque, etiamſi cauae ſint, obſtruant. Quorſum inprimis quod pingue eſt, quodque dulce, aut inſipidum, referebant.

§. 90. Partes ſpecifice leuiores, ſi ſunt aqueae, auferuntur ex humoribus vel per euacuationes quascunque ſeroſas, vel per calorem auctum motumue corporis, vel per potus defectum. Sin igneae, per quaecunque corpora frigida contigua.

§. 91. Praecipitationem denique praeſtant ſpiritus ardentes, ſpiritus acidi, et ſalia auſtera. Illi quidem eo nomine, quod partibus ſuis ſulphureis vim cohaerendi in humoribus minuendo faciunt, vt ex interſtitiis ſuis grauiores partes ſecedant, et ex contactu, maioremque ob grauitatem, fortius ſero inter ſe cohaereant, quam cum eidem adhuc permixtae eſſent: acidi vero et ſalia auſtera, partim quod lympham condenſant, partim quod vniendo ſeſe cum ſalibus alcalicis et quacunque acri materia humoribus permiſta, vlteriorem praepediunt diſſolutionem.

§ 92.

§. 92. *Calefacientia* ſunt vel inter ſtimulantia referenda, vel inter reſoluentia, adeoque ſpecialem modum operandi non exercent. Calefaciunt autem interne, quae vel oleo aethereo, vel reſina acri gaudent, item ſalia alcalina, et nonnulla ex mediis, haec nempe, quae aquam calidiorem reddunt. In vniuerſum vero, quidquid ſapore eſt acri, et interdum quoque odoratum, calefaciens reperitur. Si quid autem odore deſtitutum fuerit, calefaciet fere cum inflammatione, vt coccognidium atque capſicum. Externe calefaciunt ignis et corporis cuiuscunque calidi applicatio, deinde fricatio, ſtragula denſa, motus fortior, aer grauis, et, quod mirum videri poſſit, etiam frigus, dumne ex toto motum ſanguinis ſupprimat; denique veſtes arctae, et quidquid vaſa arctiora reddit, modo ſanguinis curſum non impediat.

Diſtinguit quidem BOERHAAVIVS mouentia a calefacientibus, *Tract. de virib. medic.* p. 107. et 221. Quoniam vero ſine motu augeri calor non poteſt, facile eſt intellectu, nullum fere aut certe leue discrimen inter calefacientia et mouentia interpoſitum eſſe, niſi quod haec amplioribus paulisper limitibus circumſcripta ſint, et diluentia quoque complectantur. Quae melius vero inter reſoluentia abs me fuerunt numerata.

§. 93. *Refrigerantia*, prioribus oppoſita, non vno modo operantur, licet omnia demum in eo conueniant, vt partium ſolidarum atque fluidarum tritum inter ſe imminuant. Efficiunt autem hoc ipſum nonnulla diluendo ſaltem atque attenuando, vt aqua frigida, ſalia permulta media, inprimisque nitrum atque ſal ammoniacum, nec non vrinoſa, oleoſis particulis adhaerentibus liberata, et permultae plantae latice aqueo turgentes, vel ſimplici vel nitroſo, vt borrago. Alia id praeſtant deſtruendo vel vim ſolidorum contractilem, vt diluentia aquoſa, atque balnea, vel ſtimulum ipſis applicatum, vt inuoluentia, cujusmodi ſunt omnia terreſtria, omnia oleoſa blanda, gelatinoſa, pinguia, farinacea; et obtundentia, quae acria immutant,

tant, qualia ſunt reſpectu acidorum alcalia, reſpectu alcalinorum acida, reſpectu alcalinorum oleoſorum ſaponacea. Alia denique expellendo acria, quo in loco ſunt vomitoria, purgantia, aliaque euacuantia. Externe quidem quaelibet corpora frigida applicata calore minuendo ſunt, at actio eorundem non vbique eſt tuta.

§. 94. Sed quum propoſuerim alterantium remediorum actionem, ad ea quoque tranſibo, vt, quomodo *euacuantia* operentur, exponam, orſus ab his, quae *ventrem deiiciunt*. Atque horum quidem aliqua id praeſtant vi reſoluendi humores viſcidos, qui in tubo inteſtinali haerent; aliqua irritando fibras ventriculi ac inteſtinorum: quo motus periſtalticus ſufflaminatus et magna vis humorum ſeroſorum ad aluum prolicitur, qui deinde cum ipſo ſtercore, quod liquarunt, ceterisque intus haerentibus diſſolutisque humoribus copioſe deuoluuntur; alia denique remolliendo.

§. 95. Quae reſoluendo agunt, virtutem ſuam ex totius ſubſtantiae vel formae proprietate, eademque ſalino amaricante, aut acidula, vel ſaponacea nanciſcuntur. Quae ſtimulando, eadem non ex tota ſubſtantia, ſed per materiam acrem, maximeque reſinoſam, ac ſubtili principio ſpirituoſo, obſcuro nobis quidem quoad naturam ſuam, permiſta operantur, quod ſe per omnem humorum maſſam diſpergit, eosdemque reſoluit, ac ipſum lac matris purgante virtute impraegnat. Eadem laſſitudinem relinquunt ex humorum imminutione, et inhorreſcere faciunt hominem ſub ipſa operatione, ſitim etiam ac oris ſiccitatem creant. Quae remolliendo operantur, cuiusmodi ſunt quaeuis vnguinoſa atque mucilaginoſa, ea ſimul orificia vaſorum reſorbentium quorumcunque obducunt, et hac ratione efficiunt, vt quidquid bilioſi laticis aut ſeroſi in cauo inteſtinorum continetur, hic obhaereſcat, et quum per dicta orificia penetrare non poſſit, per aluum copioſe, vna cum ipſo ſtercore remollito ac liquato, eliminetur.

§. 96. Numne etiam ſpecialibus humoribus educendis

dis quaedam purgantia accommodata ſunt? Ita viſum eſt antiquis viris, ſic vt alia bilem flauam, alia melancholicam, alia pituitam, alia humores tenues et aquoſos diſiicere ipſis crederentur, et in vno quoque genere quaedam blandius, quaedam moderatius exinanirent. Atque, vt non ſine vſu videntur hasce agendi differentias antiqui propoſuiſſe; ita ſine ratione videntur eſſe a recentioribus repudiatae. Ego certe veteribus hac in re adſtipulor, quum, ſi quid humorum per purgantia egeſtorum conſideratio recte oſtendit, non leue omnino in iisdem diſcrimen ſeſe offert, neque omnis generis humores per quaeuis purgantia aeque exinaniri poſſunt. Non ſolum vero ex viribus et energia, verum etiam ex agendi ratione horum differentiae exiſtunt. Rhabarbari enim licet tanta portio ſit, vt pares atque exigua ſcammonii portio vires obtineat, non tamen ſimiliter vnquam et pari ratione agit; neque poteſt rhabarbarum, quantumvis auctum, ſcammonii rationem et naturam imitari, neque ſcammonium, quantumuis imminutum, rhabarbari ſortiri indolem.

§. 97. At ſelectiora purgantia ſunt haec: Aloe, ialappa, gratiola, folia ſennae, acaciarum flores, rhamni cathartici baccae, polypodium, ellebori nigri radix, centaurium minus, tamarindi, manna, caſſia, rhabarbarum, ſcammonium, ſalia fontium amaricantia et ſal vulgare. Quae cuncta, ſi non nimis longa manu offerantur, *eccoprotica* exiſtunt. Quorſum et ſerum lactis, atque therebinthina, cum fontibus medicatis, ſpectant.

§. 98. *Draſtica* vero, h. e. valentiſſime agentia, ſic vt ſummi dolores in ventre concitentur, et ſubinde quoque animi deliquium inflammatione oriatur, aut ſanguis per aluum erumpat, ſunt nominatim eſulae cortex, colocynthidis poma, agaricus, gummi guttae, grana tiglia, cataputiae ſemen, cortex medius ſambuci, cyclaminis et bryoniae radix, cucumer aſininus, daphnoides, euphorbium.

In-

Indicem remediorum, quibus antiqui deiectionem moliebantur, poſuit A. C. CELSVS *L. V. c. V.* p. m. 260. E quibus pleraque tempore dierumque numero exoleuerunt, alia quod vel minimo vſu vehementius naturam conturbarent, alia quod nulla aut certe quam minima deiiciendi vi ſine fructu moleſta eſſent aegrotis. Prioris generis ſunt v. c. lapis armenius, aes vſtum, chalcitis, ſquama aeris, miſy, lactucae marinae lac, cuius vel vna gutta pani adiecta abunde purgat. Poſteriori claſſe continentur ammoniacum, bdellium, ficus arida, vitellus crudus, mel crudum, pix cruda, ſulphur, adeps, oleum, ruta, porrum, blitum, lenticula, eruum.

§. 99. Quae ex his (§. 97. 98.) bilem flauam, veterum ſententia, expurgant, *cholagoga* appellata, ſunt rhabarbarum, caſſia fiſtularis, roſarum pallidarum ſuccus, aloe, quae cuncta blande operantur; et ſcammonium, quod valentius agit. Quae atram bilem detrahunt, *melanagoga* propterea dicta, ſunt ſenna, quae facile, et elleborus niger, qui moleſte purgat. Quae pituitam abducunt, *phlegmagoga* ob id dicta, ſunt agaricus, hermodactylus, modice et lente deiicientia; turpethum et colocynthis, ventriculum ſubvertentia et corpus conturbantia. Quae denique aqueos et ſeroſos humores ducunt, *hydragoga* dicta, ſunt ex moderatis iris, cui flos purpureus, atque ebulus; ex immoderatis cucumeris agreſtis, ricinus, eſula maior, mezereum, euphorbium.

§. 100. Praeparata ex his (§. 97. 98.) vel ſimplicibus vel varie mixtis officinalia et ſelectiora ſunt ſyrupus de manna, de ſpina ceruina, roſarum ſolutiuus, de cichoreo cum rhabarbaro; oleum amygdalarum dulcium, colocynthidis; pulpa caſſiae, tamarindorum; paſſulae laxatiuae; reſina ialappae, ſcammonii; trochiſci agarici, colocynthidis; extractum rhabarbari, ellebori nigri, panchymagogum Crollii, elaterium; maſſa pilularum tartarearum, hierae cum agarico, de ſuccino Cratonis, de ammoniaco, balſamica-

micarum Beccheri, Stahlii; eſſentia ialappae, catholica purgans; tinctura rhabarbari orientalis; ſpecies diaturbith; vnguentum Agrippae, de arthanita; confectio Hamech. Quibus adde aurum fulminans, ſal mirabile Glauberi, ſal polychreſtum Seignette, tartarum et ex eo parata ſalia media, item mercurium dulcem, atque borracem.

§. 101. Denique nec hoc ignorare oportet, quaeuis purgantia licet leuiſſima, copioſe tamen aſſumta, vomitiones ciere; ſingulaque ante paſtum vorata copioſius deiicere, quam ſi tripla multo ante tempore adſumta fuiſſent; eademque quoque eſſe errhina; et valentiora cutim ſimul adurere et veſicas excitare, verrucasque abſumere; porro ſolo aſpectu eorundem nonnullos moueri, odore alios; ad haec aluum tardam ſemper fere operationem ſequi; adſtringentia denique, maiori quantitate in potione ſumta, ventrem tantum etiam non ſemper deiicere.

Vid. NICOL. PECHLINVS *de purgantium medicamentorum facultatibus.* Amſtel. 1702. 8. PHIL. IAC. DVTTELII Tr. *de virulenta purgantium indole.* Aug. Vindel. 1722. 8.

§. 102. Quae *vomitiones* cient, non aliter quidem ac ſtimulando ventriculi fibras, easque ad validiorem concitando conſtrictionem operantur, verûmtamen diuerſa ratione, ſic vt partim ſola eius, atque ſubita extenſione, partim ductuum eiusdem excretoriorum obſtipatione, qua quidquid exituri liquoris retinetur, dolorificam extenſionem fibrarum pariat, ſicque ſpiritus animales verſus ſtomachum determinet, partim denique mera conſtrictione ſubuerſionem inducant.

Non eſt, cur alios modos, quibus vomitus vel arte vel natura excitari poſſit, in praeſentia attingam, cum ſaltim de medicamentis vomitoriis hic mihi ſermo eſt. Fieri autem vomitum poſſe ex faucium irritatione, ex quocunque cibo potuue copioſius ingeſto, ex inflammatione et ſcirrho ſtomachi et vicinarum partium, ex maiori dolore in infimo ventre,

ventre, ex capitis vulneribus, ex irregulari corporis motu, vehementiore animi affectu, denique omni acri in corpore genito et vel longinque ventriculi fibras afficiente, vel intra ipſas illas haerente, experientia conſtat.

§. 103. Ac priori quidem modo per aquam copioſe ſumtam, eamque inprimis tepidam, vomitiones concitantur; altero per oleoſa quaecunque affatim hauſta; tertio per acria quaeuis, et ſalina, ac metallica corpora nonnulla, vel ſolitaria, vel ſalibus acidis acuata. Neque vero in corporum acrimonia ſemper actio poſita eſt, neque adeo in tota eorundem ſubſtantia, ſed in alia re longe ſubtiliſſima, intexta ipſis, et per ſe non ſeparanda, neque ex natura ſua nobis cognita. Alias enim ſal ammoniacum, et piper, armoracia, et quidquid acre eſt, vomitiones concitarent.

§. 104. Ex his autem, quae mere ſtimulando agunt, aliqua blande, nullaque offenſione ventriculum expurgant, vt gratiolae herba, hypecacoanhae, ſcillae, aſarique radix, huius item folia, nec non raphani domeſtici eſculenti ſemen; ex praeparatis autem officinalibus oxymel ſcilliticum, ſyrupus florum perſicorum, aqua benedicta Rulandi, atque tartarus emeticus: alia validius et impetuoſe, vt ellebori albi radix, gummi gutte, et ex compoſitis vitrum antimonii, tam ſimplex quam ceratum, crocus item metallorum, turpetum minerale, ſulphur auratum antimonii primae praecipitationis, ſal vitrioli vomitorium.

§. 105. Reliqua, quae tam maxima violentia ſurſum purgant, venenorum in modum ventriculum et viſcera conturbando, vt criſtallum lunae, lapidem lazuli, ricinique ſemina; quam quae facile quidem humores ſurſum pellunt, ſed ab vſu tamen receſſere, veluti balanum myrepſicam, vrticae ſemen et peponis radicem, indicaſſe ſaltem ſufficiat.

§. 106. Non ſolum vero vomitio illuuiem expurgat, quae in ventriculi capacitate haeret, ſed et alios omnis generis ſuperuacuos humores, altius multo in ventre ſitos, atque conſecutione demum et caput et reliquum

corpus leuat. Quocirca non his tantum affectibus medetur, qui ex praecordiorum impuritate naſcuntur, ſed et aliis praecordiorum ſympathia contractis, et quos e praecordiis in reliquum corpus effuſa protulit.

Vid. IO. EHRENFR. GEISLER (IVST. GODOFR. GVNZII) *Animaduerſiones de vſu vomitoriorum.* Lipſ. 1746.

§. 107. Scire etiam licet, vomitoria exigua doſi pituitam reſoluere, et ſudores ac vrinam mouere; indeque in quam plurimis morbis chronicis conuenire. Porro, quae immoderate et impetu agunt, ea plerumque etiam aluum deiicere; id quod tamen interdum quoque mitiora in debilioribus inprimis praeſtant.

§. 108. *Diaphoreticorum* actio non ſimplex eſt et vnius modi, vt neque vna atque ſimplex eſt ſudoris ratio. Sed vt is vel ab impetu maiori cordis et arteriarum, vel liquorum ſeroſorum maiori reſolutione excitatur, cum eo tamen, vt et ſufficienti copia humores ſeroſi vtrobique adſint in corpore, et cutis pori neque ſpaſmo conſtricti, neque glutinoſa materia infarcti; ita, quod ſudorem mouet, vel ſtimulans eſt, vel reſoluens, vel diluens, idemque inprimis calidum, vel relaxans, vel denique detergens.

Vid. WILH. GOTTL. HESSE diſſ. *de medicamentis diaphoreticis, eorumque in C. H. agendi modo.* Erf. 1743.

§. 109. Ex compoſitionibus praeſtantiſſimae ſunt et valentiſſimae mixtura ſimplex, tinctura bezoardica, ſpiritus tartari atque cornu cerui, eſſentia ſcordii, alexipharmaca Stahlii et puluis reſoluens eiusdem. Simplicia ſingula ſuis in locis legi poſſunt.

§. 110. At ſingularem adhuc conſiderationem merentur *balnea*, tam calida, quam vaporoſa, quae tantopere humores in corporis ſumma impellendo, ſudore tandem diſſoluunt. Sita eſt horum vis partim in calore, quo humores rarefaciunt ac diſſoluunt, partim in humiditate, qua cutis fibras et vaſorum excernentium oſcula relaxant. Ad quae accedit, quod corpo-

ribus

ribus circumfuſus aer, quum inſigni vi vaporum repletus, ad ſuſcipiendas partes e corpore exhalantes ſeroſas ineptus ſit, ſubſidere eas faciat in ſuperſicie cutis, vbi demum in guttulas collectae eam emolliunt, et maiorem ſic copiam ſudoris proliciunt.

§. 111. In *diureticis* ſimiliter diuerſa ratio agendi obſeruatur. Equidem in vniuerſum, quidquid tenues fluxilesque humores reddit, vel ſeri defectum reſtituit, vrinae ciendae eſt; vt quilibet per ſe facile comprehendit: at praeterea tamen et hoc alia fieri ratione poteſt, quum et vrinae fluxus vel a lento humore, vel alio corpore ſolido, ipſius vias hinc illinc obſtipante, vel a ſpaſmo veſicam occupante impeditur, quamuis ſufficiens vrinae ſecernendae copia adfuerit. Quapropter tres claſſes ſummae diureticorum erunt conſtituendae, quarum prima diluentia, altera reſoluentia, tertia antiſpaſmodica, vna cum abſorbentibus, demulcentibus atque emollientibus continentur; ſiquidem ab acri plerumque humore ſpaſmus conciliari fuerit. Quo in caſu etiam emollientia extus ſaltem applicata, anoue infuſa, diureticam facultatem obtinent.

Vid. JO. HIER. KNIPHOFF. diſſ. *de diureticis ſpecificis*. Erf. 1751.

§. 112. In primo ordine ſelectiora habentur potus calidi et acidulae cum thermis: in altero omnia fere, quae acre quid et olfactu ſtimulans habent, vt radicis raphani ſuccus, pimpinellae, apii et aſparagi radix, therebinthina, iuniperi baccae, millepedes et cantharides: in tertio ſalia omnis generis, terreſtria corpora, mucilaginoſae denique plantae atque ſemina.

§. 113. In compoſitionibus autem vſu maxime veniunt eſſentia ſuccini, tinctura antimonii et ſalis tartari, liquor terrae foliatae tartari, ſpiritus nitri et ſalis dulcis, roob iuniperi, ſpiritus tartari et ſimiles. Quae omnia fere ſtimulando atque reſoluendo agunt.

§. 114. Quod autem ad *ſaliuantia* pertinet, quo genere mercurius viuus venit, tum ſalibus cinctus et deuoratus, tum pinguitudini inuolutus et cuti illitus, fatendum eſt quidem, huius ſpecialem actionem nos

prorſus fugere. Quamquam enim haud difficulter concipimus, mercurium inſignem reſoluendi potentiam obtinere, tum ob inſignem grauitatem, qua reliqua omnia medicamenta antecellit, quamque etiam in minimos globulos diremtus retinet; tum ob inſignem penetrandi virtutem, inde ortam, qua anguſtiſſimos meatus aperit, eosdemque tanta celeritate penetrat, vt tredecies minimum illam, qua ſanguis mouetur, antecedat: tamen qui fiat, vt is mercurius in glandulas ſpeciatim ſaliuales agat ſiue oris, ſiue inteſtinorum, hisque annexum pancreas, eoque maxime, quod vi ſua disiunxit ſerum, propellat, ego ſane nulla aſſequor ratione, neque in textura glandularum, neque in ipſo mercurio quidquam inuenio, quod ad explicandam eius rationem faciat.

Si quis eſt, qui credat, mercurium ideo praecipue per glandulas ſaliuales oris educere lympham, quod maior ſit eiusdem in ſtatu naturali hic ſecretio, quam in reliquis partibus, adeoque quum maiori copia huc mercurius feratur, etiam hic praeciſe operationem ſuam illum exequi debere; huic ſciendum eſt, quod ſi haec ratio valeat, mercurium potius in glandulas inteſtinorum et pancreas, quin ne in has quidem, vt tamen aliquando contingit, ſed in cutis potius vaſa agere debere, ſudoremque potius impetu provocare, quam ſaliuam educere; ſiquidem, quod nemo ignorat, perſpirabilis humoris copia, illam humorum ſaliualium longe ſuperat.

§. 115. *Apophlegmatiſmi* vero, qui ſaliuam atque pituitam, non niſi vel manſi vel gargarizati ore deducunt, id fere praeſtant per acres quasdam partes, ſiue reſinoſas, ſiue oleoſas, ſiue ſalinas; quibus tam glutinoſos humores, hinc inde oſcula excretoria glandularum ſaliualium extus obſtruentes, ſaliuaeque curſum remorantes, diſſoluunt, quam ipſa vaſa ſaliualia ſtimulant. Quo fit, vt ſalialis humor abûnde et adfluat et profluat.

§. 116.

§. 116. Huiusmodi autem ſunt inprimis camphora, nicotianae folia, pyrethri et pimpinellae radix, caryophylli, et quaecunque aromata calida, iuniperi item baccae, myrrha, oleum thymi, et diuerſa ſalia tam acida, quam alcalina. Praeter haec vero et quaeuis corpora dura, ore circumducta, et gargariſmi.

§. 117. Non abſimili modo operantur, quae in nares vel immiſſa, vel hauſta, mucum atque pituitam proliciunt, *errhina* ideo dicta. Singulis enim iſtis eaedem inſunt partes acres, quae et mucum in naribus diſſoluunt, et ipſas glandulas ſtimulo ſuo ad vberiorem eius copiam fundendam citant. Similis propemodum eſt ſternutamenti ratio, niſi quod maior ei vis vehementer corpus ſuccutiat, et pituitam non e naribus tantum, ſed et ex ſinubus mucoſis atque faucibus exprimat.

§. 118. Prioris generis ſunt ſaluia, marum verum, beta rubra, betonica. Altero reſina guaiaci, vitriolum album, ſal ammoniacum, flores benzoes, nicotiana, et in compoſitionibus butyrum maioranae comprehenduntur, quae moderate quidem ſternutamenta mouent; deinde elleborus albus ac euphorbium, quorum effrenata vis eſt, ſic, vt non ſine cautione debeant admoveri. Ceteroquin omnia purgantia medicamenta, omniaque aromata calida efficacia ſunt ſternutamento euocando, prout alibi iam a me dictum eſt.

§. 119. Vſus autem ſternutatoriorum eſt multiplex, non ad nares tantum pituita expurgandos, ſed et ad apoplecticos aut veterno correptos et conſopitos excitandos, itemque ad calculum, ſecundas et ipſum conceptum expellendum, et ad complura alia cum capitis, tum oculorum, atque auditus vitia.

§. 120. Quaecunque menſes mouent, *emmenagoga* dicta, calida fere ſunt, et vel corroborantia, vel reſoluentia, vterumque expurgantia, vel relaxantia. Etenim quod ſanguinem ex vterinis vaſis egreſſurum remoratur, non aliud quidquam eſſe poteſt, niſi vel vterinae ſubſtantiae eiusque vaſorum laxitas, vel anguſtia eorundem, vel denſitas humorum atque viſcoſitas. In priori ergo caſu roborantia ſanguinem du-

cunt, eo quod contractionem vaſorum vterinorum et totius corporis adaugeant, maioremque ipſis vim in fluida impertiant: in altero emollientia, potu et inſeſſione: in tertio reſoluentia, tum, quod chylificationis impedimenta remoueant, et craſſam pituitam incidant, tum quod ſanguinem fundendo rarefaciendoque transgreſſum eius per minora vaſa vrgeant.

§. 121. In prima claſſe continentur caryophyllum, ſuccinum, ferrum, marrubium, matricaria, et calendulae flores: in altera chamaemelum, melilotus, elleborus, ſambucus, artemiſia, crocus: in tertia ſagapenum, myrrha, bdellium, opopanax, ammoniacum, ſabinae herba, flores cheiri, ari et pimpinellae radix, borrax, ſal ammoniacum. Ex quibus variae compoſitiones iam proſtant, et ex tempore quoque plures decerni poſſunt. Nec pauca ex his conceptus, ſecundas et humorem lochialem trahunt.

§. 122. *Anthelminticorum* vis ſita eſt partim in muci pituitaeque, quae ſedes et eſca eſt vermium, eiectione; quo nomine omnia validiora purgantia, inprimis ialappa et grana tiglia, et quaecunque incidentia fortiora, allium, aſa foetida et aquae Aquisgranenſes vermes pellunt: partim in letifera aliqua et particulatim vermibus venenata qualitate, quae vel in acri amaroue quarundam rerum ſucco, vermium corpora deſtruente, haerere videtur, qualis eſt allii, ceparum, abſinthii, tanaceti, corticum aurantiorum, ſantonici ſeminis, fellis tauri, aſae foetidae et fortaſſis etiam purgantium; vel in alia materia nobis ignota, qualem mercurius inprimis viuus, mars atque ſtannum obtinere videntur.

§. 123. In compoſitionibus habentur puluis contra vermes inteſtinorum, elixir proprietatis, mercurius dulcis, aethiops mineralis, ſpiritus minerales acidi dulces, ſpecificum anthelminticum Herrenſchwandii *): quae intus ſumpta proſunt; vnguentum de arthanita, colocynthidis oleum, quae extus ventri illita, in tenuiore inprimis corpore, iunctisque internis vermes expellunt. Notandum vero eſt, nec

vllum

vllum pene ex his omnibus eſſe, quod non aliquando et aegroti et curaturi ſpem fruſtretur.

*) Videtur illud ex valentiori materia purgante et corpore metallico vermibus peſtifero eſſe conflatum, ceu effectus, quos edit, et habitus externus oſtendunt. Vid. *Mem. preſent. à l'acad. de Sc. de Par.* T. I. p. 479. ſeq. et GVALT. VAN DOEVEREN diſſ. *de vermib. inteſt. hominum, praeſertim taenia*, p. 73. 74.

§. 124. *Carminatiua* non vno modo operantur, vt nec expanſionis, quae a flatibus fit, vna eſt ratio. Sed, vt haec vel ex maiori copia aeris per flatulenta aſſumta, vel ex inteſtinorum laxitate, vel ex aucta aeris in ventriculo inteſtinisue naturaliter contenti compreſſione per ſpaſticam ſtricturam, vel denique ex ſtercore indurato naſcitur; ita quod flatus exturbat ſiue deorſum ſiue ſurſum, illud eſt vel reſoluens, vel roborans, vel antiſpasmodicum, vel emolliens.

§. 125. In priori caſu carminatiuam facultatem exſerunt plantae acres, zinziber, zedoaria, helenium, pimpinella, ſaſſafras, acorus, mentha, roſmarinus, thymus: in altero cortices aurantiorum, anethi et cardui ſemen, comaeque centaurii minoris ac abſinthii: in tertio cucurbitae ſiccae ventri impoſitae, caſtoreum et theriaca. Ex quibus omnibus variae compoſitiones fieri poſſunt, et quorſum referas ex iam praeparatis ſpiritum nitri dulcem, ſpiritum carminatiuum de tribus, et eſſentiam carminatiuam Wedelii: in quarto denique ſemina farinoſa, et quidquid mucilaginoſi atque lubricantis in anum infunditur per partes inferiores.

§. 126. *Lithontriptica* denique, hoc eſt, ad veſicae et renum calculum comminuendum ſufficientibus viribus inſtructa remedia, ſic agunt, vt vel ipſam calculorum materiem, eorumue rudimenta diſſoluant, vel quod ipſos compegit, gluten deſtruant. Quae priori modo agunt, ſunt vel acida generoſiora, vt oleum vitrioli, et ex hoc compoſitum elixir acidum Dippelii; vel ſucci plantarum acres, allii, porri, raphani, qui ſimul ſtimulo ſuo excretionem vrinae calculorumque diſſolutorum promouent; vel amara, vt abſinthium et

gentianae radix, quae partim fibras renum fortiores reddunt, partim ſuperans acidum in corpore, quod multum ad calculi geneſin facit, infringunt. Quae altero, ſaponaceae aut alcalinae ſunt naturae, vt aqua calcis oſtracodermatum, oleum tartari per deliquium, liquor nitri fixi, thermae Carolinae, pilulae Stephenianae lithontripticae. Cetera cum ab antiquis viris, tum abs recentioribus decantata hoc nomine medicamenta, ſiue ſimplicia, ſiue compoſita, nihil prorſus eorum, quae titulo pollicentur, praeſtant.

Vid. IO. HENR. SCHVLZE diſſ. *qua problema, an dentur medicamenta, quae calculum in veſica comminuunt, in partem affirmatiuam reſoluitur.* Halae 1734. THEOPH. LOBB *Treatiſe en diſſolvents of the ſtone, and on curing the ſtone and gout of aliments.* Lond. 1739. 8.

§. 127. Atque haec quidem de generibus medicamentorum ſummis, quoad principia eorundem, modumque, quo in corpore humano operantur, dicta ſunt. Nunc etiam ſcire oportet, dari medicamenta, quae ſpecialem in quarundam partium morbis, certisque aegritudinibus potentiam medendi exſerant, *ſpecifica* ideo dicta a Medicis. Abſit vero, vt cum vulgari empeiricorum choro abſurde nobis perſuadeamus, eiusmodi remedia a quacunque demum cauſa orſum morbum ſpecifica vi et facultate abigere, aut ſpecialibus tantum partibus, reliquis intactis relictis, ſuccurrere, aut ſpeciales tantum humores, ceteris immotis, corrigere, aut certo denique et indubitate, omnique tempore et in omnibus ſubiectis iuuare, intentionique medentis ſemper ſatisfacere: haec enim talia nunquam a quoquam monſtrabuntur, ſiquidem nec idem morbus ex iisdem ſemper cauſis ſed diuerſis, imo ſaepe oppoſitis naſcitur, neque vires remediorum vnquam abſolutae ſunt, ſed per corporum demum reactionem, in quae admiſſa agunt, tales reſultant, et per indiuidui cuiusuis naturam aliter aliterque determinantur.

§. 128. Ineptiae igitur ſunt et mera phantaſmata, quae nonnulli de ſuis panaceis, arcanis et ſpecificis hepaticis vterinis, antihecticis, antepilepticis, ceteris,

iactita-

iactitarunt. Boni et prudentes Medici nulla alia remedia per ſpecifica illa (§. 127.) deſignant, quam quae potentiori ſaltem agendi virtute inſtructa, ad hunc vel illum morbum vincendum reliquis efficaciora ſunt.

§. 129. Et videtur quidem eiusmodi virtutis ratio in eo poſita eſſe, quod iſta quoad maximam ſubſtantiae ſuae partem vel eiusmodi principia complectuntur, quae cauſae alicuius morbi directe contraria ſunt, eamque inuertere et deſtruere, aut e corpore ſecure proſcribere valent, quo nomine proinde et purgantia et emetica eſſe appellarique ſpecifica poſſunt; vel quod nonnullae eorundem partes partibus corporis noſtri quibusdam, ſiue ſpecifica grauitate, ſiue mixtionis affinitate, aut motibus earundem ſingulariter vbique dimenſis, magis congruunt, easque, cum diutius illis vnita manent, virtute ſua magis afficiunt. Cuiusmodi e priorum ordine pro exemplo eſſe poſſunt manna in affectibus pectoris, et cortex Peruuianus in febribus intermittentibus; e poſteriori vero cantharides, renum ac veſicae viſcera κυρίως ferientes.

Conf. T. B. DE SAUVAGES *diſſertation ſur les medicamens, qui affectent certaines parties du corps humain plutôt que d'autres, & ſur la cauſe de cet effet.* à Bourdeaux 1752. 4. ANT. RüDIGER diſſ. cit. §. 6. 7.

§. 130. Quae cum ita ſint, veſtraque interſit, Auditores, vt optima quaeque et accommodatiſſima ad diuerſos morbos medicamenta, quae praeſtantiſſimorum Medicorum opera experientiaque explorata ſunt, pernoſcatis: en ex ſimplicibus praecipua ſequens tabula vobis exhibebit.

Ad febres intermittentes: cortex Peruuianus, gaſcarilla, flores chamomillae vulgaris, radix gentianae rubrae, centaurium minus, ſal ammoniacum.

Contra malignitatem febrium: nitrum, camphora, ſuccus citri, acetum, ſal ammoniacum, flores chamomillae, radix angelicae, ſcordium, myrrha, ipecacuanha, cantharides.

Ad rheumatiſmos et morbos arthriticos: antimonium

nium crudum, radix ariſtolochiae, polypodii, ſaſſaparillae, polium creticum, chamaedris, ſummitates pini, cortex Peruuianus, lac dulce.

Ad podagrae dolores leniendos: bufo vſtus, gentianae radix.

Ad odontalgiam: pyrethri radix, lignum guaiacum, roob ſambuci.

Ad oris aphthas: ſedum maius, rapa, cortex Peruuianus.

Ad epilepſiam: radix valerianae, viſcus quercinus, moſchus.

Ad phthiſin: plantago, naſturtium aquaticum, cucumis hortenſis, myrrha, bellis, cortex Peruuianus.

In aſthmate humido: dracunculus, gummi ammoniacum, ſquilla.

In ictero, marrubium album, flores cheiri, ari, et rhabarbari orientalis radix.

In ſingultu: galangae minoris radix, et moſchus.

In malo hypochondriaco: mars, cortex aurantiorum, millefolium, rhabarbarum orientale, ſal ammoniacum.

In cardialgia: oleum Caieput.

In colica flatulenta: flores chamomillae, lignum ſaſſafras, cortices aurantiorum, crocus, ſemen carui.

In hydrope: folia et baccae ebuli, folia pini, radix ireos noſtratis, hirundinariae, cortex vlmi, cantharides, millepedes, oleum oliuarum.

In alui profluuiis: bolus Armena, criſtallus montana, nux moſchata, ipecacuanha, cadogapala, ſimaruba, rhabarbarum orientale.

In iſchuria: cantharides.

In diabete: caſſine Linnaei, rhabarbarum, coccionella.

In ſarcocele: ſambuci flores, camphora.

Emmenagoga: mars, aloe, galbanum, myrrha, ſabina, crocus, ellebori nigri radix.

Ad partum et ſecundas pellendas: crocus, ſal ammoniacum, pulegium, vinum.

In rhachitide: ſaſſaparilla, rhabarbarum.

Ad

Ad gonorrhoeam: therebinthina, balſamum de Copaiua, ſemen cannabis, mercurius.

Contra luem veneream: lignum guaiacum, mercurius.

Ad ſcabiem: fumaria, hedera terreſtris, lapathum acutum, bonus Henricus, lignum ſaſſafras.

Contra morſum animalium rabidorum: oleum oliuarum, moſchus, radix mungos, muſcus caninus, mercurius.

In ſcorbuto: ſuccus citri, cochlearia, naſturtium aquaticum, trifolium fibrinum, radix armoraciae, pomum aurantium.

Ad epiphoram et vngues oculorum: axungia viperarum, ſuccus chelidonii, vitriolum album.

In aurium ſuſurru: ſedum maius.

In haemorrhagiis ex cauſa interna: geranium Robertianum, equiſetum, lapis haematites, nitrum.

Ad haemorrhagias externas: crepitus lupi, fungus pedis equini figura, cynomorium Michelii.

In ſoda: glandes quercuum.

In cancro faciei: phytolacca, carduus tomentoſus.

In cancro mammarum: cicuta, belladonna, phytolacca, plumbago herba.

In ſphacelo: cortex chinae, ſal ammoniacum.

Plura exquiſita remedia ad alios morbos, v. c. vermes, calculos, paſſim iam in paragraphis prioribus ènumerata ſunt. Modus autem ſingulis vtendi rectus, et opportunum tempus, reliquaeque cautiones, ipſo in opere copioſius nunc declarabuntur.

REGNVM
VEGETABILE.

CLASSIS I.
HERBAE ET FOLIA.

I. VSITATA.

Abrotanum.

Abrotanum mas anguſtifolium maius BAVH. *Pin.* 136. Artemiſia foliis ramoſiſſimis ſetaceis, caule erecto fruticoſo LINN. *Hort. Chliff.* 403. ſuffrutex hortenſis.

Odore fere camphorato, et aromatico, amaroque ſapore ſe commendat. Languenti ſtomacho opitulatur, inflationes leuat, menſes mouet in potu et inſeſſione, vermibus infeſtum eſt. Externe decoctum alopeciam tollit, et tineam et achores: in epithemate vero ad gangraenam ſiſtendam crebro abs Chirurgis adhibetur. Aqua diſtillata diuretica eſt.

Abſinthium Romanum.

Abſinthium ponticum tenuifolium incanum BAVH. *Pin.* 138. Artemiſia foliis compoſitis multifidis, ſubtus tomentoſis, floribus ſubrotundis nutantibus, receptaculo nudo LINN. *H. Cliff.* 404. Apud nos in hortis colitur.

Sapo-

Saporem et odorem habet abſinthii vulgaris, ſed mitiorem, ſicuti etiam viribus inferius illo iudicatur. Bilis tamen defectum bene ſupplet. Ad obſtructiones viſcerum laudauit EVGALENVS *de Scorb.* p. 18. et ad icterum BAGLIVIVS *Opp.* p. 83.

Abſinthium vulgare.

Abſinthium romanum officinarum Dioſcoridis. BAVH *Pin.* 138. Artemiſia foliis compoſitis multifidis, floribus ſubgloboſis pendulis, receptaculo papposo. LINN. *Fl. Suec.* 670. Artemiſia foliis incanis pinnatis, pinnis bilobis latioribus, floribus ex alis pendulis, in ſpicis heteromallis, HALL. *Heluet.* p. 696. Ad vias et locis ruderoſis.

Amariſſimi eſt ſaporis, et odoris grauis. Oleo abundat aethereo, et reſina. Vſus eius multiplex eſt, et praeclarus. Vim habet calefaciendi et roborandi, et diſſoluendi ſanguinem, vt etiam infuſio eiusdem extus ſanguini admixta, eum diſſoluat et ruborem gratum reddat. SCHWENCKE *Haematolog.* p. 184. Prodeſt ad inflationes ſtomachi, ad inteſtinorum dolores, ad icterum, ad ſcorbutum, quem ſolo abſinthio, aquae et vino, vel et cereuiſiae infuſo ſuperauit EVGALENVS *de Scorb.* p. 83. Inſigne quoque eſt anthelminticum et antifebrile, COMMERC. LITTER. NOR. 1734. p. 225. Aſſidue potum ad praecauendum calculum valet, AETIVS *c.* 16. *p.* 177. vt etiam duos calculoſos noſtra aetate ſimplici hoc medicamento ſanauerit Cel. LINNAEVS, poſtquam ipſis quolibet mane cochlear vnum eſſentiae per ſex hebdomades dederit, deincepsque tantundem ſingula hebdomade per dimidium annum, *diſſ. de geneſ. calc.* §. 40. Imbecillos capite laedere dicitur ob narcoticam facultatem, et oculis inprimis nocere, BOYLE *de vtil. ſimpl. medic.* p. 115. ſed haec vis plane innoxia eſt, neque adeo animaduerſa LINNAEO in tam longo et frequenti vſu eſſentiae l. c. Externe tumores diſcutit in fotu, et vlcerum putredinem coercet, cum

vino

vino vel aqua marina, EPH. NAT. CVR. *dec.* I. *ann.* 2. *obſ.* 2. Valachi, Moldaui et Hungari vappida ſua et debiliora vina eo condiunt SCHEND. *van der* BECK *app. ad A. N. C. Vol.* 1. ſed ea vina oculis non prodeſſe, BOERHAAVIVS expertus monet; et cereuiſiam abſinthio conditam inebriare, LINDERN de *Venen.* p. 547. licet DIOSCORIDES crapulam arcere abſinthium praeſumtum contendat, *L.* 3. *c.* 26.

Acetoſa.

α) Acetoſa rotundifolia hortenſis BAVH. *Pin.* 114. Rumex floribus hermaphroditis, foliis haſtatis LINN. *H. Cl.* 138. In hortis.

β) Oxalis ſiue Acetoſa *Tab.* 826. Acetoſa pratenſis C. B. *Pin.* 114. Rumex floribus diuiſis foliis oblongo ſagittatis LINN. *Fl. Suec.* 295. Lapathum acetoſum, ſexu diſtinctum, foliorum ſagittatorum hamis breuibus HALL. *Helu.* p. 168. In pratis. *Var.* Acetoſa montana maxima C. B. *Pin.* 14. In alpibus variis.

Acido ſucco tenui referta, aeſtum ſanguinis compeſcit, ſitim reſtinguit, bilis intemperiem obtundit, et nimiam humorum tenuitatem emendat. Hinc eius decoctum vel ſuccus expreſſus in febribus et in ſcorbuto praeſtantiſſimus. Plures ſcorbuticos in noſocomio Pariſienſi eadem ſanauit cum ouis frixa, Cl. MORINVS *Mem. de l' Acad. de Sc.* 1708. p. 63. *Hiſt.* Et Groenlandis eodem in morbo, vna cum gramine ſcorbutico, panacea eſt in brodio carnis cocta et farina ſubacta. GENTLEM. MAGAZ. *for. Aug.* 1754. p. 351. Denique commendata fuit, inde ab AETII temporibus, aduerſus morſum canis rabidi. Empiricum nouit G. W. WEDELIVS, qui ſtrumas, ganglia et ſimiles tumores curaret, praeuia morſicatione, inungendo butyrum cum acetoſa frixum. *Amoen. mat. med. p.* 88.

Acetoſella.

Oxys *Tab.* 910. Trifolium acetoſum vulgare C. B. *Pin.* 330. Oxalis ſcapo vnifloro, foliis ternatis, radice ſquamoſo articulata LINN. *Fl. Suec.* 385. in ſyluis.

Sale eſſentiali acido diues, acetoſae ſuccedit, et hecticis non inutilis eſt. SCHVLZE *mat. med.* p. 195. Salis vſus externus ad maculas rubiginoſas e linteis delendas vulgatus, internus aequiparandus cremori tartari.

Agrimonia.

Eupatorium veterum ſiue Agrimonia. C. B. *Pin.* 321. Agrimonia foliis pinnatis, fructibus hiſpidis, LINN. *H. Cl.* 179. in pratis.

Subadſtringens, et ſubacida eſt: incidit, detergit, morbis ab obſtructionibus profectis ſuccurrit, FERNEL. p. 180. in omnibus haemorrhagiis, alui profluuiis, mictione, quae noctu fit in lectum, (MONTAGNAN.) et vlceribus ex vi conſolidante prodeſt, vel in decocto, vel in puluere. Vlcus veſicae illius iniectione ſanauit CHOMEL. *Suppl.* p. 148. Puluere vſus eſt in fluore albo LENTILIVS *Iatromn.* p. 381. ſed diu vult vſurpari. Inter gargariſmos decoctum vulgo recipitur.

Alchimilla.

Alchimilla vulgaris C. B. *Pin.* 310. Alchimilla foliis lobatis LINN. *Fl. Suec.* 135. Alchimilla folio integro ſtellato polygonio HALL. *Helu.* 184. in paſcuis et locis ſyluarum vdis.

Traumatica eſt praecipue, interno et externo vſu. Nimium menſium profluuium et fluorem album moderatur. SCHVLZIVS caute intus dandam monet, ne ſub ſpe conſolidandorum vlcerum hectica febris exacerbetur. p. 307. Laudatur praeterea ad ramices et ad diſcuſſionem ſtagnantis ſanguinis.

Alliaria.

Alliaria *Tab.* 1144. Eryſimum foliis cordatis LINN. *Fl. Suec.* 558. Siſymbrium foliis cordatis retuſis HALL. *Helu,* 553. in ſyluis et ad ſepes.

Allii odorem refert contrita, et a vaccis comeſta ſaporem alliaceum lacti inſinuat. Ad gangraenam valdopere eam laudauit HILDANVS, ſi recens trita imponeretur, *Cent. II. obſ.* 94. ad vlcera cancroſa CHOMEL. p. 655. Scordio ſubſtitui poſſe, vbi id non ad manus eſt, SCHVLZIVS putat p. 310.

Althaea.

Althaea Dioſcoridis et Plinii. BAVH. *Pin.* 315. Althaea foliis ſimplicibus tomentoſis LINN. *H. Cl.* 348. ad foſſas.

Eſt ex numero V. herbarum emollientium. Inter cataplaſmata recipitur, vbi dolores leniendi ſunt, vel maturandi abſceſſus; inter clyſteres, vbi aluus ſoluenda eſt, vel vicinae partes conſtrictae relaxandae.

Anethum.

Anethum hortenſe C. B. *Pin.* 147. Anethum fructu compreſſo LINN. *H. Cl.* 106. in agris ſeritur.

Suauis odoris eſt, et virtutis ſtomachicae, carminativaeque, quam vtramlibet debet oleo aethereo, quod vehit. Recens praeſtantius eſt exſiccato. Illius comas ex oleo oliuarum decoquunt, eoque deinde ſalubriter vtuntur pro clyſteribus et inunctionibus.

Anſerina.

Potentilla C. B. *Pin.* 321. Potentilla foliis pinnatis, caule repente, LINN. *Fl. Suec.* 415. Potentilla repens, ſcapo nudo vnifloro, pinnis plurimis confertis, minoribus intermiſtis, HALL. *Helu.* p. 338. vulgatiſſima ad vias et foſſas.

Vulneraria eſt, curſus ſanguinis et aliorum humorum ſiſtit, in vino vel aqua decocta. Succus expreſ-

ſus

ſus linteo complicato exceptus et fronti applicatus narium haemorrhagiam coërcet. Idem tanquam ſpecificum contra calculum renum laudatus fuit a TIMAEO in *E. N. C. Dec.* 2. *ann.* 6. p. 113. TOVRNEFORTIVS eum adhibuit ad fluorem album, cum iure carnium. Mulieres aqua diſtillata non inutiliter os infantum ſuorum colluunt ad delenda vlcuſcula aphthoſa. Nonnullis eadem coſmetica habetur.

Arnicae folia cum floribus.

Doronicum plantaginis folio alterum C. B. *Pin.* 185. Doronicum foliis caulinis oppoſitis LINN. *Fl. Suec.* 684. Arnica foliis ouatis, integris, coniugatis, HALL. *Helu.* 737. in pratis nonnullis montanis, maxime Heluetiae.

Odor et ſapor nauſeoſus eſt, quodammodo acris et amarus. Sanguinem coagulatum et ſtagnantem potenter reſoluit epota, vt, qui primus commendauit, FEHRIVS panaceam lapſorum vocauerit. *E. N. C. ann.* 9. 10. *obſ.* 2. Laudauerunt deinde eandem eodem ſcopo BEROLINENSES Medici, *Act. Med. Ber.* Dec. I. vol. I. p. 46. X. p. 81. Dec. II. vol. I. p. 43. 66. IV. p. 92. 94. V. p. 19. et BRESLAVIENSES in ſuis *Actis* 1719. 1721. 1722. 1724. 1726. Etiam in *Commerc. litt. Nor.* 1736. p. 282. notabilis caſus recenſetur ſphacelati abdominis ex equi percuſſione, decocto arnicae reſoluti. Praeter haec vero et *libr. cit.* et alibi laudem ea obtinuit in lochiis ſuppreſſis (*Commerc. Nor.* 1735. p. 282.), in obſtructione menſium (*ib.* 1734. p. 4.), in colica haemorrhoidali (*Act. Berol.* Dec. I. vol. I. p. 52.), in vomitu cruento, epilepſia ex terrore (*Breslau.* 1724. p. 218.), tumoribus mammarum, dolore coxae, pleuritide ſpuria et febribus intermittentibus. Vnus vel ad ſummum duo pugilli pro decocto parando ſufficiunt; alias cardialgiam, nauſeam et vomitum mouet, quem tamen nec in tantilla doſi vbique euitare poteris, etiam in valentioribus, vti ſunt Sibiriaci (GMELIN. *Fl. Sib.* T. II.

p. 153.). Puluis foliorum pituitam e naribus trahit. *Act. N. C. vol. III. obſ.* 47.

Artemiſia cum floribus.

Artemiſia vulgaris maior *C. B. Pin.* 137. Artemiſia foliis pinnatifidis planis laciniatis, floribus erectis, LINN. *Fl. Suec.* 667. Artemiſia foliis planis, ſemipinnatis, pinnis rariter dentatis, floribus erectis, denſe ſpicatis, HALL. *Helu.* 696. in ruderoſis et ad vias.

Suaui et blande aromatico odore gaudet. Curſum menſtruum promouet, et lochiorum (*Commerc. Nor.* 1735. p. 430.), et ipſum partum. Dolores etiam a partu ſedat BVCHW. p. 34. vbique in decocto ſumta. In cataplaſmate vero ambuſtis medetur. *A. N. C. vol. II. obſ.* 195. Lanuginem foliis et caulibus innatam *Moxam Chinenſium* eſſe, CLEYERVS habet *E. N. C. dec.* 2. *ann.* 4. *obſ.* 1.

Aſarum.

Aſarum C. B. *Pin.* 197. Aſarum foliis petiolatis, ſubcordatis, floribus trifidis LINN. *Fl. Suec.* 392. in ſyluis.

Tota planta odore forti, multis nauſeoſo, et acri, amaroque ſapore praedita eſt. Folia vomitione mediocriter purgant, data a V. ad VIII, et affuſo vel vino, vel hydromelite, vel ſero lactis, vel leniente decocto expreſſa. FERNEL. p. 199. Minori doſi vrinam pellunt, menſes mouent, et pituitam reſoluunt. In aqua infuſa nunquam purgare dicuntur, ſed vrinam duntaxat ciere. FABREGOV. Puluis foliorum per nares aſſumtus validiſſime mucum ducit, et in longis cephalaeis prodeſt. SCHVLZ. diſſ. *de aſaro.*

Baſilicum.

Ocimum caryophyllatum maius C. B. *Pin.* 226. Ocimum foliis ouatis glabris LINN. *H. Cliff.* 305. In hortis colitur, Zeylonae et Indiae indigenum.

Odor

Odor et ſapor totius plantae iucundus et aromaticus. Confortat caput et ſtomachum, ac inflationes leuat. Quod vero a quibusdam refertur, ex contuſis foliis non modo, ſed et ſolo odoratu ſcorpiones in cerebro naſci, (HOLLER.) ad fabulas reiiciendum. BROWN *Pſeudodox. empir.* L. 2. p. 548.

Beccabunga.

Anagallis aquatica maior (et minor) folio ſubrotundo C. B. *Pin.* 252. Veronica racemis lateralibus, foliis ouatis planis, caule repente, LINN. *Fl. Suec.* 11. Veronica aquatica foliis ouatis, ex alis ramoſa, HALL. *Helu.* 528. in riuis aquisque purioribus vulgaris.

Saponacea eſt et ſuccoſa, abſtergente hinc facultate et refrigerante donata. In obſtructionibus viſcerum expediendis, et in podagra praeſtans, ſucco inprimis quotidie et diu epoto ad quatuor vncias; quem praeterea ſero lactis quam commodiſſime permiſcebis. Hac planta cum trifolio fibrino coniuncta ſibi ipſi opem attullit BOERHAAVIVS. Antiſcorbuticam praeterea facultatem obtinere, tritum eſt. Externo vſu vulneraria cenſetur, et inflammationibus, oedematibusque conducit.

Belladonna.

Solanum manicum multis ſ. Belladonna I. B. III. 611. Atropa caule herbaceo, foliis ouatis integris LINN. *Spec. Pl.* p. 181. in ſyluis caeduis.

Tota planta virulenta eſt, magis tamen baccae et radices, quam folia. Haec quidem aquae infuſa non ſine omni noxa potantur, quum et ſomnum moueant, et κυρίως laedant oculum, pupillae ipſius paralyticam laxitatem inducendo (RAIVS, LAMBERGEN), immo coecitatem, licet ſuperabilem, etiam externe ſaltem oculo applicata, WEPF. *Cicut. aquat.* p. 228. Non deterruit tamen is effectus recentiores quosdam, quin et interne et externe aduerſus cancrum mammarum infuſam, debitis ſub cautionibus

praeſcriberent; neque adeo fruſtrato effectu. Ita enim IVNCKERVS duabus in foeminis medelam adornauit: Decoxit ſufficientem quantitatem foliorum ſaturatius, et primo die cochlear vnum decocti dedit, altero duo, tertio tria; ſicque vlterius perrexit, donec vsque propenſionem in ſomnum aegrae ſenſerint. Continuatus vſus decocti fuit per 14 dies, poſteaque ſenſim rurſus imminuta doſis, atque demum aluus purgata. (ALBERTI diſſ. *de Bellad.*) Neque tamen in omni caſu idem prodeſſe admonuit. Et cel. HEISTERVS nouit foeminam, quae ab huius plantae decocto, quam a Chirurgo acceperat, amens quidem reddita fuit, ſed non curata. *Inſt. Chir.* p. 337. Nouiſſime vero Cl. LAMBERGEN ſolo infuſo foliorum Belladonnae quotidie ad patellam ſumto, cui circiter tria grana infuſa eſſent, carcinoma mammae perſanauit, poſtquam per 17 menſes in vſu eius inſtitiſſet, et ſex drachmas foliorum conſumſiſſet. Externum quidem Belladonnae vſum aduerſus cancrum veteres iam collaudarunt (GALEN. *meth. med. L.* 2. *c.* 2. AEGINETA *L* 4. *c.* 26.), qui vero, ex Ill. HALLERI obſeruatione, nihil profuit. *Goett. gel. Anz.* 1755. p. 1420. Sunt, qui etiam decoctum vel ſuccum externe inflammatis oculis admoueant (WELSCH. *Mictom.* p. 9.), verum is vſus nobis temerarius videtur.

Betonica.

Betonica purpurea C. B. *Pin.* 235. Betonica corollarum lacinia intermedia labii inferioris emarginata LINN. *Fl. Suec.* 487. Betonica foliis inter verticillos in vertice congeſtos breuiſſimis et integris HALL. *Helu.* 646. in pratis et ſyluis.

Sapor ſubſalſus, leniter aromaticus, odor tenuis. Viſcerum coagula modeſte detergit, regium morbum ſanat, menſes ducit, arthriticos ſolatur HILDAN. Recentis plantae vertiginoſam virtutem BARTHOLINVS probat *Cent.* 3. *hiſt.* 97. Eandem naribus in-

intruſam et per horae quadrantem detentam, ſingularem vſum praeſtare in lippitudine ſeroſa *A. N.* C. *vol.* 4. *obſ.* 11. Inter emplaſtra pro vulneribus capitis foliorum puluis vulgo recipitur.

Bonus Henricus.

Lapathum vnctuoſum folio triangulo C.B. *Pin.* 115. Chenopodium foliis triangulari-ſagittatis, integerrimis, LINN. *Fl. Suec.* 208. ad vias, pagos, vrbes.

Vulneraria eſt, et hydragoga, ſi recens oedematibus admoueatur, quam virtutem a bubulco DILLENIVS accepit et admiratus eſt. *A. N. C. vol. I. obſ.* 57. Puluis vnguento pomadino admiſtus eidem viſus eſt ſcabiem ſanaſſe. Recens contuſa folia ac cum flore lactis vel butyro non ſalito in linimentum redacta, haemorrhoidum leniunt dolores.

Borrago.

Bugloſſum latifolium, Borrago C.B. *Pin.* 256. Borrago foliis omnibus alternis, calycibus patentibus, LINN. *Hort. Vpſ.* 34. In hortis colitur.

Succum vere nitroſum continet MARGGRAF *Mem. de Berl.* 1747. p. 72. Egregie igitur humectat et temperat feruidos humores, et in febribus ardentibus conuenit. In pleuritide et peripneumonia ſuccus datus, (qui vbique praeſtantior decocto,) ſputum etiam promouet. LAZERME *cur. morb.* T. I. p. 173. 177. Idem bilem atram domare, et triſtitiam melancholicorum cum ſpectris et imaginibus diſpellere creditur. FERNEL. *meth. med.* p. 185.

Botrys.

1. Botrys ambroſioides vulgaris C. B. *Pin.* 138. Chenopodium foliis oblongis dentato-ſinuatis, racemis nudis multifidis LINN. *H. Cl.* 84. In Hetruria, Calabria, et Narbonenſi agro, apud nos in hortis.

2. Botrys ambroſioides Mexicana C B. *Pin.* 138. et app. 516. Chenopodium ambroſioides Mexicanum TOVRNEF. *Inſt.* 506. Chenopodium ſuaueolens, foliis longioribus, Mexicanum. RVPP. *Fl. Ien.* 339.

Suaueolens et fragrans planta: pectoralis prae ceteris iudicatur, et carminatiua, et antiſpaſmodica. Laudatur adeo in aſthmate, tuſſi conuulſiua, cardialgia, inflatione hypochondriaca, et hyſterica affectione, interno et externo vſu. Commendatur etiam in hunc finem aqua, cochleatim ſumenda. Botrys Mexicana laudem obtinuit primo tanquam cardinale lithontripticum a GOERIZIO *Breslau. Tent. VI.* p. 2026. et KRAMERO *Commerc. Nor.* 1735. p. 44. deinde tanquam antiſpaſmodica planta, et quae in infuſo ſudores ac vrinam mouet. *Primit. Med. Polon. Vol.* 2. p. 245. Nonnulli etiam opem ſibi inde pollicentur in lue venerea; verum nihil notatu digni Cl. WAGNERVS obſeruauit. *Comm. Nor.* 1735. p. 363.

Burſa paſtoris.

Burſa paſtoris maior folio ſinuato C. B. *Pin.* 108. Thlaſpi ſiliquis verticaliter cordatis LINN. *H. Cl.* 330. Naſturtium ſiliquis verticaliter cordatis HALL. *Helu.* 545. in pratis et viis vulgatiſſima.

Nauſeoſum quidpiam et dulce odore ſpirat; ſubadſtringentis eſt virtutis, minime vero ignea et acris, vti BOERHAAVIVS exiſtimauit, quem forte decepit character plantae. Commendatur ad nimios fluxus alui, haemorrhoidum, menſium (SOLENAND. *conſil.* 8. *ſect.* 4. p. 328.), renum, fluorem album et haemoptyſin, in infuſione. Externe recens contuſa fronti applicatur in haemorrhagia narium, et ad cephalalgias. WELSCH *Mictomim.* p. 29. Auribus inditam odontalgiae quoque mederi, BORELLVS expertus eſt *Cent.* 3. *obſ.* 27. Aquam diſtillatam olim etiam interne laudarunt ad ſanguinis profluuia; ſed plures recentiores nullius, neſcio, an juſte momenti eam aeſtimant.

Cala-

Calamintha.

Calamintha vulgaris officinarum Germaniae C. B. *Pin.* 228. Meliſſa floribus ex axillis ſuperioribus, pedunculo communi confertis LINN *H. Cl.* 307. Calamintha foliis ex ouato acuminatis, caule erecto, panicula ſpicata terminato, HALL. *Helu.* 651. in montibus Heluetiae, Italiae etc. et in dumetis.

Suaui eſt odore balſamico, illum pulegii et menthae referente, quem acceptum habet oleo aethereo, quod diſtillatione etiam largitur. Corpus ſudore digerit, ventriculum et inteſtina confortat, obſtructiones et infarctus expedit, menſes pellit, regium morbum et aſthma expurgat.

· *Carduus benedictus.*

Cnicus ſylueſtris hirſutior C. B. *Pin.* 378. Cnicus caule diffuſo, foliis tentato ſinuatis, LINN. *H. Cl.* 394. In hortis ſeritur.

Sapore eſt admodum amaro et multiplicis vſus. Sal commune continet (*Hiſt. de l'Ac. des Sc. de Berl.* 1747. p. 79.), et fere dimidium reſinoſarum partium actiuarum (*Commerc. Nor.* 1733. p. 60.), Interno vſu, vel in puluere ſumta ad drachmam dimidiam, vel in eſſentia ad integram drachmam et amplius, vel in infuſo ad ſeſcuncem, ſudorem mouet, exanthemata expellit, ſanguinem purificat, menſes deficientes reſtituit, icterum et febres intermittentes ſanat. Externe vlcera expurgat, gangraenam ſiſtit, et putredinem arcet, in ipſo cancro ſalubris.

Centaurium minus cum floribus.

Centaurium minus MATTH. 488. Gentiana corollis infundibuli formibus quinquefidis, foliis lineari-lanceolatis; caule dichotomo, LINN. *Fl. Suec.* 205. Gentiana foliis trineruiis, ouatis, floribus vmbellatis, tubo ſtrictiſſimo, HALL. *Helu.* 475. in pratis.

Ad hanc plantam, etiam valde amaram, omnia fere transferri poſſunt, qui ſupra de carduo benedicto ſcripta ſunt. Sudoriferam, et ſtomachicam, et emmenagogam, et antifebrilem eſſe, confitentur omnes (G. W. WEDEL. diſſ. *de cent. min.*), vt RVLANDVS et ETTMVLLERVS decocto eius fere in omni febre intermittente vſi ſint, et Cl. MARCHAND cortici Peruuiano, etiam extractum, aequiparauerit. *Hiſt. de l'Ac. des Sc. de Par.* 1701. p. 284. Porro vero in omni cachexia, quin in ipſo hydrope (*E. N. C. cent. X. obſ.* 24. *app.* et SLEVOGT Progr. *de cent. min.*) et in viſcerum induratione ipſius virtus probata eſt, vt de anthelmintica nihil dicam. Si recens adhibetur, virtutem purgantem exſerit DIOSCORID. quam etiam extractum et eſſentia ad cochlear vnum vel duo ſumta, poſſidet SCHVLZE: neque tamen decoctum in omnibus idem efficit, WEDEL. p. 30. et in aliis vomitum excitat. ID. Externo vſu decoctum traumaticum eſt inſigne, et ad ſinus repurgandos atque calloſitates molliendas vtiliſſimum. GALEN. *de ſimpl. med. fac.* p. 191. WEDEL. *diſſ. cit.* p. 29.

Chaerefolium.

Chaerophyllum ſatiuum C. B. *Pin.* 152. Scandix ſeminibus nitidis ouato ſubulatis LINN. *Fl. Suec.* 242. Chaerophyllum ſeminibus laeuibus, vmbellis ad nodos ſeſſilibus, BOEHM *Fl. Lipſ.* 492. In agris et hortis ſeritur.

Planta culinaria, ſapore acri, et ſubtili odore ab aromatico oleo. Virtute gaudet ſanguinem et lac in mammis ſtagnans, recens inprimis impoſitum, diſſoluendi, calculi dolores et vrinae ſuppreſſionem leuandi, praeſertim vbi cum oleo ſcorpionum frixum, pubi admouetur. SCHVLZE. Ceterum mucidam bronchiorum materiam bene incidit, et in aliis viſcerum infarctibus quoque confert GRVBE *de arcan. Med. non arc.* p. 4. Traumaticum eſſe, *Commerc. Nor.* 1736.

1736. p. 283. et peculiariter vertigini mederi, WEDEL. *Prax. clin.* p. 97.

Chamaedrys.

Chamaedrys maior (minorque) repens C. B. *Pin.* 248. Teucrium foliis ouatis inciſo crenatis petiolatis, floribus laxe verticillatis, LINN. *H. Cl.* 302. Chamaedrys procumbens, foliis ſolidis ouatis, rotunde crenatis, HALL. *Helu.* 630. in ſyluis et pratis.

Planta amaro et acri ſapore, leuiter odorata, egregii vſus. Coagula humorum incidit, ſolida roborat, hinc ad cachexiae omne genus proficiens. Ex aqua epotam contra pectoris morbos, acutosque laterum dolores laudarunt antiqui (CELSVS L. 4. c. 9.). Ad febres intermittentes RIVERIVS *Cent.* 4. *obſ.* 54. et efficaciorem aliquando ipſo cortice expertus eſt CHOMEL p. 462. ad ſputum ſanguinis CRATO *ep. L.* 5 *p.* 301. denique ad arthritidem multi (inde a VESALIO *Ep. de Chin.* p. 48.), SOLENAND. *Sect.* 5. *conſil.* 1. TIMAEVS *L.* 5. *Epiſt.* 1. BOCCONE *obſeru.* p. 118. Externe in vlceribus abſtergendis valet.

Chamaepytis.

Chamaepytis lutea vulgaris ſ. folio trifido C. B. *Pin.* 249. Teucrium foliis linearibus trifidis integerrimis LINN. *Hort. Vpſal.* 160. Bugula foliis trifidis, floribus ſparſis in alis foliorum HALL. *Helu.* 634. in arenoſis locis, maxime Auſtriae, Italiae et Angliae.

Attactu viſcoſa, odorem halecis ſale conditi aemulatur, ſaporis acris et amari. Eadem, quae chamaedrys, praeſtat, et peculiariter regio morbo correptis et arthriticis medetur FERNEL. Decoctum Mauris frequentiſſimo in vſu eſt, aduerſus febres intermittentes. SHAW *Trauels* p. 264.

Chelidonium maius.

Chelidonium maius vulgare C. B. *Pin.* 144. Chelidonium pedunculis multifloris LINN. *Fl. Suec.* 430.

Che-

Chelidonium lobis ſubrotundis HALL. *Helu.* 305. in locis incultis.

Succo turgidum eſt croceo, mordace, acri, et aliquantulum ſubamaro, grauiter olente: quo obſtructiones tollit, abſtergit, vlcera expurgat et perſanat. Interne raro adhibetur; ſed domeſtico experimento Poloni in vſum trahunt cum radice, aduerſus hydropem ex abuſu ſpirituum ardentium ipſis familiarem, vbi infuſum cereuiſia frequenter potant. ERNDL. *Varſau. illuſtr.* p. 190. Succus oculis inſtillatus, claritatem ipſis adfert DIOSCOR. in incipiente ſuffuſione vtilis HILDAN. *ep.* 59. et in pterygio, quod ſolus abſumit, A. N. C. *vol.* 2. *obſ.* 77. vti et verrucas.

Cochlearia.

Cochlearia folio ſubrotundo C. B. *Pin.* 110. Cochlearia foliis radicalibus ſubrotundis, caulinis oblongis ſinuatis, LINN. *Fl. Suec.* 537. in locis maritimis Europae, et in hortis.

Succulenta planta, acris, et oleo fugaciſſimo et aeque ſubtili ſpiritu diues. Scorbuticis praecipue auxilio eſt, et magno nautis in Groenlandia, vbi itidem copioſe vna cum acetoſa creſcit, ſolatio. Nauta quidam Batauus, quum in naue ad Groenlandiam appulſa hoc malo fere conſumtus eſſet, herba tamen iſta pecudum more paſtus, reſtituta ſanitate, in patriam firmis viribus rediit. ANSON. Saluberrima etiam in vitiis ſcorbuticis gingiuarum, in menſium defectu, et in aſthmate pituitoſo.

Dictamnus Creticus.

Dictamnus Creticus C. B. *Pin.* 222. Origanum foliis tomentoſis, ſpicis nutantibus LINN. *H. Cl.* 314. Suffrutex ſponte naſcens in Monte Ida inſulae Cretae; apud nos vero in hortis colitur.

Suaui odore et ſapore aromatico praeditus eſt; calefacit, vterum roborat, menſes mouet, et alexipharmacas poſſidet vires.

Ebu-

Ebulus.

Sambucus humilis ſ. Ebulus BAVH. *Pin.* 456. Sambucus caule herbaceo ſimpliciſſimo LINN. *Fl. Su.* 251. Sambucus herbacea, floribus vmbellatis, HALL. *Helu.* 466. in areis ſuburbanis, ad vias et foſſas.

Odor ingratus, virtus ſtimulans et potenter reſolvens, hinc vtilis in decocto aduerſus hydropem, et externe in fotu, maxime vinoſo, tam ad tumores oedematoſos, quam inflammatorios.

Equiſetum.

Equiſetum aruenſe longioribus ſetis C. B. *Pin.* 16. Equiſetum ſcapo fructificante nudo, caule ſterili, ramis compoſitis, LINN. *Fl. Suec.* 833. Equiſetum caulibus floriferis a folioſis diuerſis HALL. *Helu.* 144. in aruis humidioribus.

Planta adſtringens et diuretica, ad haemorrhagias, et inprimis mictum cruentum, laudatur a multis. *Hiſt. morb. Vratislau.* 1701. p. 284. *Commerc. Nor.* 1733. p. 286. *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 97. in decocto ſiue ex aqua, ſiue cereuiſia; quod etiam butyro inſulſo et melle adiecto, plebeium quidem et domeſticum, ſed non ſpernendum remedium eſt in nephritide calculoſa. HOFFMANNVS *Med. Syſt. T. IV. P.* 2. p. 386. Nocere tamen equiſetum vaccis et ouibus, et abortuum in integro grege cauſam fuiſſe, monet SCHVLZIVS *A. N. C. vol. I. obſ.* 230. id quod vero alii negant (BRESLAV. 1718. p. 1621.) Sed optime conciliari poſſe contrarias ſententias, HALLERVS putat *Enum. ſtirp. Helu.* p. 142. Rhenanum enim illud et aſperum equiſetum non absque noxa ventriculi deuorari probabile eſt, quum alia mitiora ſint, et limae fabricam non habeant, vti maximum paluſtre. A rangiferis amari LINNAEVS.

Ery-

Eryſimum.

Eryſimum vulgare C. B. *Pin.* 100. Eryſimum ſiliquis cauli appreſſis LINN. *Fl. Suec.* 554. Siſymbrium foliis pinnatis, extremo lobo triangulo, ſiliquis erectis, cauli appreſſis, HALL. *Helu.* 551. vbique ad vias.

Odor nullus, ſed ſapor acer et feruidus, vt cutem recens contuſum et impoſitum inurat. BARTHOL. *de cauter. c.* 15. Validiſſime adeo interne in infuſo ſumtum incidit pituitam, in pulmonibus vel aliis in locis haerentem Sed modo non detur, vbi cum pectoris morbis coniuncta febris eſt. BOERHAAV. *Hiſt. Plant.* p. 428. Vrinam etiam et menſes pellit. Externo vſu tumores ſcirrhoſos mammarum et vteri potenter diſcutit. ACT. MED. BEROL. *Dec.* 3. *vol. I.* p. 59.

Fumaria.

Fumaria officinarum et Dioſcoridis C. B. *Pin.* 143. Fumaria pericarpiis monoſpermis LINN. *Fl. Suec.* 548. ad muros, in hortis et agris.

Modice acris et amara planta morbis omnibus ex ſanguinis impuritate remedio eſt, viſcerum omnium obſtructiones tollit, et febres longas, quae inde profectae ſunt: icterum bene etiam ſanat RIVER. et bilem atram blande expurgat. Optime vel in ſero lactis infunditur, vel ſuccus datur ad tres vncias quotidie. Aquam diſtillatam vulgo exhibent ad variolarum et morbillorum expulſionem promouendam; ſed nocere eam, monet STORCH (Tr. *von Blattern,* et *viert. Medic. Iahrg.* p. 767.) et alii,

Geniſta cum floribus.

Geniſta tinctoria Germanica C. B. *Pin.* 395. Geniſta foliis lanceolatis, ramis teretibus ſtriatis, LINN. *Fl. Suec.* 587. Geniſta foliis confertis, oualibus, acutis, floribus ſeſſilibus, ſpicatis, HALL. *Helu.* 592. in ſterilibus aruis et collibus lapidoſis.

Vrinas

Vrinas potenter mouet, et viſcera obſtructa reſerat, in decoctis vſurpata. In hydrope inprimis frequentiſſimi eſt vſus, quem propria obſeruatione nuper confirmauit MOEHRING *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 32. Etiam lixiuium e cinere cum vino paratum hoc nomine commendabile eſt, quod vſurparunt MYNSICHTVS et SYDENHAMVS. Decoctum in nonnullis vomitum ciet, in aliis ſeceſſum mouet.

Geranium moſchatum.

Geranium cicutae folio moſchatum C. B. *Pin.* 319. Geranium pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, LINN *Fl. Suec.* 579. In hortis colitur.

Rarioris quidem hodie eſt vſus; ſed imbecillos reficere inflationes leuare, et viribus praeſtare vulnerariis, et iis omnibus, quibus et cetera genera, antiqui memoriae prodidere.

Geranium Robertianum.

Geranium Robertianum primum C. B. *Pin.* 319. Geranium pedunculis bifloris, foliis quinquetriue partitis, lobis pinnatifidis, LINN. *Fl. Suec.* 578. ad ſepes et in aruis.

Vulneraria eſt, et epota ad ſanguinis profluuia ſiſtenda, in cataplaſmate vero ad oedemata, in gargarizatione ad oris ardorem, anginam, et linguae fiſſuras laudatur; quo nomine vel ſolam aquam eius diſtillatam, in qua mucilago ſeminis cydoniorum diſſoluta fuit, adhibent. Ad febres intermittentes intus adhibitam vidit HALLERVS, ſed absque ſucceſſu, *Helu.* p. 369. Mulierculae poſt ablactationem vel recens contuſam, vel aquam inde diſtillatam, mammis imponere ad lac diſcutiendum ſolent. Succus recens melle ſubactus ad vlcera ſordida repurganda valet, vſque adeo, vt ſint, qui ab eo ſanationem cancri ſperare audeant.

He-

Hedera terreſtris.

Hedera terreſtris vulgaris C. B. *Pin.* 306. Glechoma foliis reniformibus crenatis LINN. *Fl. Suec.* 483. Chamaeclema caulibus procumbentibus, radicatis, foliis cordiformibus, petiolatis, HALL. *Helu.* 652. ad ſepes et vias.

Suaui odore, ſubamara et ſubacris eſt. Succus epotus ad vncias aliquot, aut ſaltem decoctum, vrinae difficultatibus medetur, et in colica ex hypochondriorum et menſium vitio proficit HEDER *diſſ.* §. 21. vt BAGLIVVS etiam de tinctura affirmet, quod flatus momento fere diſcutiat, p. 140. Aduerſus ſcabiem nil magis, quam ſuccum quotidie epotum, prodeſſe, quidam mihi certo retulit; ſed ipſe nondum experimentum feci. Vulgarem vſum ad pectoris morbos taceo. Externe ſuccus vlceribus admotus, vel puluis inſperſus, ea conſolidat. Ceterum planta fermentationem cereuiſiae impedit, eamque peculiari vi limpidam atque claram reddit. BLAIR.

Hyſſopus.

Hyſſopus officinarum coerulea ſ. ſpicata C. B. *Pin.* 217. Hyſſopus ſpicis ſecundis LINN. *H. Cliff.* 304. Suffrutex, in hortis colitur.

Aromatico blanditur ſapore et odore, ab oleo, quo imbuta eſt, aethereo, et quo craſſos humores et viſcerum obſtructiones expedit, eaque ipſa roborat. Vſus eius praecipuus eſt in affectibus pectoris, ſi cum melle delingatur aut decoctum cum ficis, aqua, melle, et ruta potetur; et faucium mucoſis, vbi optime gargarizatur cum decocto ficorum; deinde ad diſcutiendos flatus, et menſium fluxum promouendum. Externe ad vexata facit in epithemate; et vapor auribus ſuſceptus tinnitum tollit; decoctum vero cum aceto, dentium dolorem in collutione ſedat. DIOSCOR.

Lauri folia.

Laurus vulgaris C. B. *Pin.* 155. Laurus foliis lanceolatis venoſis perennantibus, floribus quadrifidis diuiſis LINN. *H. Cl.* 155. Arbor manſueta, Italiae, Graeciae, aliarumque calidarum prouinciarum incola; apud nos in hortis colitur.

Modice folia adſtringunt, tonum partium reparant, et flatus diſpellunt. Trita, et in linimentum redacta ope olei oliuarum, ac vmbilico parturientis impoſita, partum promouere dicuntur. GENTLEM. MAGAZ. 1753. p. 461.

Linaria cum floribus.

Linaria vulgaris lutea, flore maiore, C. B. *Pin.* 212. Antirrhinum foliis lanceolato linearibus confertis, caule erecto, ſpicis terminalibus ſeſſilibus, floribus imbricatis LINN. *Fl. Suec.* 501. Antirrhinum foliis linearibus, aſcendentibus, congeſtis, ramis ſpica florali denſa terminatis, HALL. *Helu.* 614. ad foſſas et locis ruderoſis.

Aliquantum foetet, et pro diuerſitate regionum modo plus, modo minus, vt ſint, qui venenatam propterea exiſtiment, neque intus aſſumi velint. BLAIR. Certe flores muſcas necant, ſi ipſos aggrediuntur; ob quem finem Sueci eos in feneſtras ſuas ponunt. LINN. *Fl. Suec.* 501. Intus ſumta herba aluum laxat, et diureſin mouet. Externe haemorrhoidibus tumentibus et dolentibus, in linimento applicata, dolores optime lenit. GREG. HORST. *L.* 4. *obſ.* 42. Frequens quoque vſus eſt in clyſteribus et fotibus ad idem malum, et contra vrinae ſuppreſſionem. Non absque acrimonia eſſe plantam, haec omnia demonſtrant.

Maiorana.

Maiorana vulgaris C. B. *Pin.* 224. Origanum foliis ouatis obtuſis, ſpicis confertis compactis pubeſcentibus, LINN. *Hort. Cliff.* 304. Colitur in hortis.

Fragrans planta, oleo diues, praecipuum et praeſtantiſſimum aroma Germanorum. Partibus paralyſi tactis medetur, et dolori, grauitatique capitis a ſeroſa colluuie ortis. Puluis et aqua et oleum ſaccharo ſubactum, in nares tracta, pituitam valide educunt cum ſternutatione. Idem puluis, ad ſcrupulum ſaepe ſumtus, aduerſus epilepſiam prodeſt. FONSECA. Recens herba, tumoribus mammarum dolentibus et ſcirrhoſis aliquandiu ſedulo applicata, eos dispellit. COHAVSEN *Commerc. Nor.* 1742. p. 151.

Malua cum floribus.

Malua ſylueſtris, folio ſubrotundo C. B. *Pin.* 314. Malua caule procumbente, foliis cordato orbicularibus, obſolete quinquelobis, LINN. *Fl. Suec.* 580. ad vias et ſepes.

Mucilaginoſa eſt planta, quae ideo relaxat et lenit, et inter emollientes numeratur. In alui et vrinae difficultatibus (HORST. *ep.* p. 10.) faucium aſperitate, tuſſi (FOREST.) et raucedine frequentis eſt vſus, tam in decoctis et infuſis, quam in clyſteribus. Aluum etiam ducit absque irritatione, et olim inter edulia vſurpabatur.

Marrubium album.

Marrubium album vulgare C. B. *Pin.* 230. Marrubium denticulis calycinis ſetaceis vncinatis, LINN. *Fl. Suec.* 485. ad vias et in ruderoſis.

Saporis intenſe amari eſt, odoris non prorſus iniucundi, vt moſchum adeo redolere dicat hyeme DODONAEVS 88. Iecur, lienem, thoracem, vterumque valide expurgat et obſtructione liberat. FERNEL. In phthiſi illud per ſe, vel ſuccum cum melle incoctum, antiqui commendarunt. CELS, L. 3. c. 22. et 27. Nec in aſthmate pituitoſo quidquam vtilius. LOESEKE p. 401. Menſium fluxum infuſo vinoſo optime prouocauit BORELLVS. Icterum vero ſyrupo eiusdem, ex aqua marrubii ſumto, curauit

ZACVTVS *Prax. L.* 2. *obſ.* 48. Scirrhum hepatis diſſoluit CHOMEL. p. 173. Attenuantem eius, ac potenter reſoluentem virtutem optime docet decoctum ſanguini admiſtum, quem rubicundiorem et fluidiorem longe reddit, quam ſpiritus ſalis ammoniaci. SCHWENCKE *Haematol.* p. 187. Externe idem decoctum vlcera bene abſtergit.

Marum verum.

Marum Cortuſi I. B. *Hiſt.* 3. p. 242. Teucrium foliis ouatis, vtrinque acutis integerrimis, floribus ſolitariis ſpicatim digeſtis LINN. *H. Cl.* 302. Suffrutex manſuetus, in Valentia creſcens, apud nos in hortis colitur.

Fragrantiſſimo et acri odore, ſapore ſimili, ob oleum aethereum, quod recondit (HOFFM. *obſ. chym.* p. 19.), reſoluens et tonicum eſt praeſtantiſſimum; quod infarctas glandulas et viſcera mirifice expedit (WEDEL. *diſſ.*), et in vertigine, paralyſi, aliisque morbis capitis et neruorum, ab atonia et pituitoſa colluuie ortis, ſummi vſus eſt. Recens tritum et naribus intruſum, vel ſiccatum. et in puluerem redactum, mucum e naribus potenter elicit. Nonnulli ſciunt ſpiritum admodum fragrantem inde parare, quod fermentationis ope fieri ſuſpicor, quum ſola digeſtio vel diſtillatio haud ſufficiat.

Matricaria cum floribus.

Matricaria vulgaris ſ. ſatiua C. B. *Pin.* 133. Matricaria foliis compoſitis planis, foliis ouato inciſis, pedunculis ramoſis, LINN *H. Cl.* 416. Matricaria foliis pinnatis, pinnis latis, inciſis, ſemifloſculis breuiſſimis, HALL. *Helu.* 1719. in ruderoſis.

Odor plantae ſingularis, vt hyſtericarum naribus admota, eas excitare perhibeatur. Ob quam cauſam etiam interne in eodem malo, et in colica flatulenta, et in doloribus a partu, et in menſium obſtructione

 non

non inutiliter quidem in infuſo, ſiue epoto ſiue per inferiores partes in anum iniecto, vſurpatur. Externe ad mammarum tumores et dolores fixos commendatur; recens trita et auri immiſſa ad odontalgiam CHOMEL. Vertici impoſitos flores ternario numero vuulam prolapſam leuare, GOETZIVS *A. N. C. vol.* 2. *obſ.* 195. n. 33. quod valde paradoxon videtur.

Excitanda hoc loco etiam eſt Matricaria alpina, chamaemeli foliis C. B. *Pin.* Achillea foliis pinnatis, pinnis longis, acutis, ſubhirſutis, raro dentatis, HALL. *Helu.* 714. quae in ſaxis altioribus alpium naſcitur. Ea acriter aroma ſpirat. SCHEVCHZERVS diſtillari ait a Valleſiis, et pro cephalico atque vterino medicamento haberi. Alpicolas Bernenſes vero perinde *Genipi* vocare, vti abſinthium alpinum, et ſimiliter inter vulneraria principe loco ponere, HALLER. *l. c.*

Melilotus cum floribus.

Melilotus officinarum Germaniae BAVH. *Pin.* 331. Trifolium floribus racemoſis, leguminibus nudis diſpermis, caule erecto, LINN. *Fl. Suec.* 619. Melilotus ſiliquis turgidis, breuibus, obſcure transuerſis rugoſis, HALL. *Helu.* 587. inter ſegetes et ad vias.

Suaueolens planta, dolores lenit, tumores diſcutit, et abſceſſus maturat, in cataplaſmate, fotu, emplaſtro, clyſtere vſurpata. Infuſum in vrinae difficultate, et ad dolores colicos et inflammationes abdominis prodeſt. CHOMEL.

Meliſſa.

Meliſſa hortenſis C. B. *Pin.* 229. Meliſſa floribus ex axillis inferioribus ſubſeſſilibus LINN. *H. Cl.* 307. in montibus Italiae Allobrogicis.

Amoeno odore citrum aemulatur, et ſapore eſt grato balſamico; quae qualitates ſunt ab oleo aethereo et volatili, quod facile exhalat, et herbam odore, ſimul vero praecipuis viribus orbatam relinquit. Ventriculo, capiti,

capiti, inteſtinis, vtero valde amica eſt, quorum omnium et imbecillitati ſuccurrit, et dolores ac ſpaſmos lenit. Atram bilem etiam demulcet, et melancholicis proficit, vt etiam praecipuum ſit ingrediens infuſi Riveriani aduerſus affectionem maniacam. Vino ſaepius infuſa, illud admodum gratum reddit. Paronychiae admota in cataplaſmate cum farina facto, eam feliciter tollit. SCHVLZE. Oleum diſtillatum in epilepſia vterina, cum vino vel aqua ipſius vinoſa ſumtum, ſaepe prodeſt. ID. Meliſſae Turcicae, quam vocant, eadem vtilitas eſt.

Mentha.

Mentha criſpa Danica ſiue Germanica ſpecioſa MORIS. *Hiſt.* 3. p. 307. Mentha floribus ſpicatis, foliis cordato dentatis, vndulatis, ſeſſilibus, LINN *H. Cl.* 306. in hortis ſeritur.

Odore acri et ſuaui, ſapore aromatico et ſubadſtringente, egregias vires ab oleo aethereo habet, quo abundat. In ventriculi et inteſtinorum laxitate (BOERHAAV. *Chem.* T. II. p. 129.), vomitu (HOFFMANN. *Med. Syſt.* III. p. 447.), doloribus inteſtinorum (ID. IV. p. 296.); diarrhoea, lienteria (BOERH. *l. c.* p. 77.), vt et vteri morbis ab atonia ortis inſigni cum fructu adhibetur, eſſentiae, olei, aquae, infuſi ſpecie. Mentha ſylueſtris eadem, ſed mitius, praeſtat.

Mercurialis.

Mercurialis ſpicata ſ. teſticulata C. B. *Pin.* 121. Mercurialis caule brachiato, foliis glabris, LINN. *H. Cl.* 461. in agris et locis ruderatis.

Inter quinque herbas emollientes numeratur. Propter mucilaginoſas partes lubricat, laxat et aperit; vnde in obſtructionibus alui et vteri, vel decoctum eius vel mel, quod ſucci eiusdem portionem recepit, clyſteribus additur. Galli ſyrupum etiam ad duas vncias, ad ventrem laxandum, exhibent. Succum expreſſum interne quotidie per bimeſtre ſumtum, et in

peſſario quoque adhibitum, ſteriles mulieres foecundas reddere, *ab* HEER *obſ.* 14.

Millefolium cum floribus.

Millefolium vulgare album C. B. *Pin.* 140. Achillea foliis duplicato pinnatis glabris, laciniis linearibus acute laciniatis, LINN. *Fl. Suec.* 705. Achillea pinnis foliorum plurimis, longe aequalibus, pinnatis, pinnulis trifidis et quinquefidis, HALL. *Helu.* 715. in pratis, paſcuis et ad vias.

Leuiter odorata planta, oleo aethereo fragrante, quod coeruleum colorem habet, impraegnata, vniuerſaliter primo in omnibus morbis internis, qui a ſpasmis oriuntur; et dolores coniunctos habent, nominatim in haemorrhoidum coecarum dolore, colica, doloribus poſt partum a lochiis ſuppreſſis, cardialgicis anxietatibus, et ſanguinis profluuiis, quae a ſpaſticis viſcerum contractionibus originem ſaepe ducunt, magnae eſt vtilitatis. In haemorrhoidibus ſiſtendis, in ſe ipſo expertus laudat BVCHWALD p. 178. in haemoptyſi BRESLAV. 1718. M. Mart. in renum vitiis HOFFMANNVS *Med. Syſt. T. IV. p.* 373. *P. II.* qui per longum vſum infuſi nonnullos ab omni calculoſa affectione, cui diutius obnoxii erant, prorſus liberatos vidit. Acerbioribus quoque commotionibus in paſſione hypochondriaca ſuccurrit. STAHL. Externe tumores et inflammationes diſcutit, et vulnera quoque conſolidat. In puluerem redactum, et cum teſtis cochlearum, oleoque lini in linimentum redactum, optime lenit dolores haemorrhoidum coecarum. VNZER *Hamb. Magaz.* T. IX. p. 487. In Suecia ad cereuiſiam ſumunt plantam, cui magnam inebriandi vim conciliat, vt *gutta inſaniae* appelletur. Sibiriaci ex floribus ſpiritum coeruleum parant. GMELIN.

Haec omnia valent quidem de vulgari millefolio, quod ſupra nominauimus; ſed longe magis de *nobili*

illo,

illo, vt vocauit TABERN. p. 129. quod teſte Perill. HALLERO multo praeſtantius eſt, et ipſi dicitur Achillea pinnis foliorum et pinnulis remotis, et anguſtis pinnulis plurimis, *l. c.* C. BAVH. vero Tanacetum minus album, odore camphorae, *Baſ.* p. 40.

Naſturtium aquaticum.

Naſturtium aquaticum ſupinum C. B. *Pin.* 194. Siſymbrium foliis pinnatis, foliolis ſubcordatis, LINN. *Fl. Suec.* 552. Siſymbrium foliis pinnatis, anguloſis, floribus ſuper folia vix elatis, HALL. *Helu.* 549. in riuis, maxime purioribus. Erfordiae cultura cicuratur in riuis puriſſimis.

Planta omni laude maior in ſcorbuto EVGALEN. in phthiſi, pulmonibus licet iam pene conſumtis, quod ſtupendum eſt, BONNET *ſepulchr.* p. 562. et ad ſcirrhos viſcerum. Succum vero vbique intelligo, ad quatuor vncias quotidie epotum. Inter remedia febrifuga locum etiam meretur, SYLV. *Prax. app. tract.* 9. §. 151. HARTMANN. *Prax. chym. c.* 139. et ad comatoſos excitandos commendatur a RONDELET. *meth. cur. c.* 19. vnde illud prouerbium in ſomniculoſos: Ede naſturtium; licet in febribus ſoporoſis, quas Ill. WERLHOFIVS obſeruauit, haud ita mirabilem efficaciam ediderit, *de Febrib. obſeru.* p. 81. Addo, et egregium eſſe ſtomachicum, nec in arthritide contemnendum.

Nicotiana.

Nicotiana maior latifolia BAVH. *Pin.* 169. Nicotiana foliis lanceolatis LINN. *H. Cl.* 56. Americana planta, nunc in variis Europae regionibus etiam colitur.

Singularem acrem et volatilem, quodammodo nauſeoſum praebet odorem et ſaporem, narcotica ſimul et ſtimulante virtute praedita. Quum primum eius uſus inuentus fuit, laudata eſt pro vero antidoto famis, et hoc nomine apud Indos fumus familiaris fuit. LERY

Hiſt. de l'Amer. p. 213. apud Anglos vero maſticatio hodienum in vſu eſt. In ſe planta viroſa et nauſeoſa eſt, quae ἄνω καὶ κάτω valide purgat, et ſoporoſos reddit omnes, qui ipſi haud aſſueti ſunt. Sed vſu continuato hanc facultatem exuit, et ſine noxa e fiſtula hauritur, vt ſaltem aluum quotidie ſui officii admoneat. Inſuetis vero in odontalgia, catarrhalibus decubitibus, et lippitudine humida opem fert, SCHVLZE; et ab haemoptyſi periodica multorum annorum, tabaci fumo quendam liberatum eſſe, ZWINGER *Theatr. prax.* p. 470. Sed ad alium vſum externum in clyſteribus et epithematibus venio. Illorum praeſtantiam, ſiue ex aqua decocto tabaco, (*Act. Med. Berol. dec.* 2. *vol.* 3. *p.* 39.) ſiue inprimis fumo per ſingularem fiſtulam in anum immiſſo, complures laudant in pertinaciſſimis alui obſtructionibus, in doloribus colicis, in herniis incarceratis, modo non ſint nimis antiquae aut cum ſacco fortius concretae, quin et in tympanitide(SCHAEFFER *Tr. vom Tobacksrauch-Clyſtiere*). Folia cum aceto in cataplaſma redacta tumores duros hypochondriorum diſſipant, ſimulque vomitum excitant. *Eſſays of Edinb. vol.* 2. *n.* 5. Eadem anthracibus peſtilentialibus impoſita, eos vtiliter inurunt: carpis manuum vero, quoad vsque veſiculas excitauerint, febrem intermittentem tollunt. RENSTRöM *Act. Ac. Suec.* 1754. p. 80. Decoctum aquoſum vlcera cacoëthea mundificat, PLATER *Obſ. l.* 2. *p.* 551. etiam ea, quibus ſphacelus iam acceſſit. DELIVS *amoenit. med. dec. IV.* Ceterum peſtis tempore fumus tabaci inſigniter proficit; et DIEMERBROEKIVS contagium ſuſceptum, fumiſuctione ex proprio corpore diſpuliſſe affirmat, *de Peſte L.* 4. *hiſt.* 7. neque Nouiomagi neque Londini illas aedes peſte infectas fuiſſe, in quibus herba fuiſſet diuendita. Lappones etiam interne ſumunt tabacum et eius oleum; hoc quidem adverſus colicam ſpaſmodicam, LINN. *Fl. Lappon.* p. 69. puluerem vero aduerſus capitis dolores et coryzam, quum tertiam partem fauillae iuniperi admiſcuerint.

MON-

MONTIN. Adeo apud nos eſſe, qui fiſtulas tabaci, oleo probe imbutas, in puluere aduerſus colicam, perinde ac Lappones crudum oleum, aſſumant, lego apud SCHAARSCHMIDT *med. Nachr.* I. p. 117. Sternutamenta mouere puluerem, apud omnes conſtat.

Nummuralia.

Nummuralia lutea maior C. B. *Pin.* 309. Lyſimachia foliis ſubrotundis, floribus ſolitariis, caule repente, LINN. *Fl. Suec.* 168. in humidis locis circa frutices.

Vulneraria eſt interno vſu et externo, et fluxus ſanguinis varios coërcet; vt omnibus praetulerit AGERIVS ex propria obſeruatione. Habet etiam aliquid antiſcorbutici. Succum aduerſus phthiſin ſpecifice prodeſſe, WALDSCHM. *Opp. Cap.* 20. Ad haemorrhoidum dolorem ſedandum, eundem cum butyro recenti in vnguentum redactum, RIVER. In haemorrhagia narium enormi et creberrime reuertente, pilulas profuiſſe, quorum baſis erat extractum nummulariae. SCHVLZ.

Origanum.

α) Origanum ſylueſtre C. B. *Pin.* 223. Origanum foliis ouatis, ſpicis laxis erectis confertis paniculatis, LINN. *Fl. Suec.* 480. Origanum ſpicis folioſis, breviſſimis, coloratis, vmbellatis, HALL. *Helu.* 656. ad margines dumetorum.

β) Origanum creticum C. B. *Pin.* 223. Origanum foliis ouatis acutis glabris, venis ſcabris, ſpicis tetragonis, LINN. *mat. med. de Plant.* 300. in inſula Creta, et apud nos in hortis.

Vtrumque oleo aromatico ſcatet, magis tamen creticum, quam vulgare. Ob quod calefaciunt, imbecillas partes roborant, obſtructiones aperiunt, menſes cient, aſthmaticis et ictericis auxiliantur; crudo etiam, nauſeabundoque ventriculo efficacia. Oleum vtriusque diſtillatum ad dolores dentium confert,

ſi cauo ſcilicet cum goſſypio indatur. Singultum etiam leuare, a guttulis tribus ad quinque ſumtum, SCHVLZIVS.

Parietaria.

Parietaria officinarum et Dioſcoridis C. B. *Pin.* 121. Parietaria foliis lanceolato ouatis LINN. *H. Cl.* 469. Helxine MATTH. 781. ad muros et inter fruticeta.

Ponitur inter herbas quinque emollientes: inſipida eſt et aquoſa. Sanguinem in partibus contuſis reſoluit, diureſin mouet, et renum morbis maxime appropriata eſt. GOURRAIGNE. Et diuretica quidem facultas tanta eſt, vt Cl. POISSONIER hydropem ſanauerit lacte caprae, quae hac herba paſta fuerat, educta ante aqua per paracenteſin. Sanguinem etiam ſiſtere, WELSCH *Mictomim.* Succus vero vtique praeſtat. Externe frixata butyro cum chaerefolio, additoque oleo ſcorpionum, in ſuppreſſione vrinae confert, et doloribus a calculo, ſi pubi ac perinaeo, illinatur. SCHVLZE. In clyſteribus aluum laxat.

Pini ſtrobuli.

Pinus ſylueſtris C. B. *Pin.* 491. Pinus foliis geminis, primordialibus ſolitariis glabris, LINN. *Fl. Suec.* 788. Pinus foliis geminis, cono pendulo, nucleis ſtrigoſis, HALL. *Helu.* 149. in ſyluis et montibus.

Strobuli ſunt tenellae Pini ſummitates, odore et ſapore reſinoſo, amaricanteque. Scorbuticos humores peculiariter corrigunt et euacuant per cutis et vrinarias vias; Sibiriacis etiam hoc nomine celebrati, GMELIN *Fl. Sib.* T. I. p. 178. Dolores etiam articulorum et rheumaticos curant. MOELLEMBROK c. 13. BAGLIV. p. 117. Optime vere decocti ex cereuiſia vel ex vino potantur. Mirum adeo eſt, ab VRSIN. WAHRMVND omnem vſum denegari ſtrobulis, quid? quod pro nociuis haberi, *Vorurth. des Verſtand.* p. 68. Externe decoctum ſcabiem abſtergit, et partes a prurigine defendit; vulnera etiam ab inflam-

flammatione vindicat, DIOSC. cum aceto factum, feruenti collutione, dentium dolores mulcet. ID. Folia pini ex aqua ſaturate decocta, potu vrinam valide mouent, et ab hydrope liberant. CHRISTIERNIN *Act. Suec.* 1754. p. 239.

Plantago.

Plantago latifolia maior C. B. *Pin.* 189. Plantago foliis ouatis, glabris, LINN. *H. Cl.* 36. ad vias et in lacunoſis.

Planta nemini ignota, inſipida, herbacea, adſtringens, oleracei generis, DIOSC. Inter vulneraria eminet, vt ſufficere credat LVDOVICI p. 332. Vlcera ſanat qualiacunque, et ſinus conglutinat. DIOSC. Contra tabem etiam vtiliter datur vel ſuccus, vel decoctum. CELS. *l.* 3. *c.* 22. neque ſine recentiorum experimento, *Eph. N. C. cent. VII. obſ.* 120. *dec.* 2. *ann.* 9. *obſ.* 63: et SCHVLZ. p. 412. Porro foliorum ſuccus, colluta ſubinde oris vlcera, purgat: idem lippitudinibus et aurium doloribus inſtillatur. DIOSC. Datur et herba decocta ad aquam inter cutem, cui leucophlegmatiae nomen eſt. ID. Et coctum cum aceto et ſale olus, dyſentericis coeliacisque ſumtum auxiliatur. ID. et WEDEL. *diſſ.* p. 27. Clyſtere etiam dyſentericis infunditur. Sola aqua bibita mane per aliquot dies, multas a fluore albo liberatas eſſe, nouit SOLENAND. p. 328. Specifice denique folia contra morſus venenatorum animalium valere, WEDEL. *diſſ.* p. 19. 20. Neque ea inutilia eſſe, ſi mammarum cancris applicentur, BORELL. *Cent.* 2. *obſ.* 51.

Populi gemmae ſ. oculi.

Populus nigra C. B. *Pin.* 429. Populus foliis deltoidibus, acuminatis, ſerratis, (leuibus) LINN. *Fl. Suec.* 821. in pratis et ad fluuiorum ripas.

Viſcoſae ſunt hae gemmae, odoratiſſimae, et vere balſamicae (WEISMANN *A. N. C. vol.* 3. *obſ.* 92.).

Ha-

Habent emolliendi, conſolidandi, diſcutiendique facultatem, quae efficit, vt eſſentia earundem cum ſpiritu vini parata, a multis tantopere laudetur in vulnerum curationibus, v. c. TEICHMEYERO diſſ. *de aneur. brach. cur.* 1734. imo etiam ad alia profluuia diuturna et ad dyſenteriam, doſi dimidiae drachmae bis die ſumta. TOVRNEF. Eandem tincturam in affectibus pectoris et ſcorbuticis opem ferre, WEISMANN *l. c.* p. 304. et adhuc praeſtantiorem fieri, ſi loco ſpiritus vini aſſumatur ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus vel tinctura antimonii acris; et ſi infundantur in oleo amygdalarum dulcium vel lini, ſiſtere balſamum traumaticum, interne et externe in pleuritide et aliis pulmonum morbis ſalutare. ID. Ipſam arborem reſinam fundere, aurum colore imitantem et attritu iucundum odorem ſpirantem, DIOSCOR. et nuper quoque Cl. MONTI *Comm. Bonon. Tom. II. P. I.* p. 61.

Portulaca.

Portulaca latifolia ſ. ſatiua BAVH. *Pin.* 286. Portulaca foliis cuneiformibus ſeſſilibus LINN. *H. Vpſ.* 146 in hortis vtplurimum colitur.

Planta ſucculenta, aquoſa, ſubacida. Bilis feruorem per febres maxime ardentes et malignas ſiſtit, et putredinem cohibet, ne ſerpat longius; quo nomine ſuccus epotus inprimis prodeſt. Idem vomitum ſedat, praeſertim bilioſum. Contra dyſenteriam, haemoptyſin, et alia profluuia ſanguinis, nec non ſcorbutum, percocta efficax eſt. Renes denique, et veſicam adiuvat: quo nomine et ſyrupum ad ſtranguriam commendauit CRATO *Ep. V.* p. 275. Vulneribus, quae ad ſyderationem ſpectant, in cataplaſmate ſuperhabetur. Cruda acetariis expeditur.

Pulegium.

Pulegium latifolium C. B. *Pin.* 282. Mentha floribus verticillatis, foliis ouatis, obtuſis, ſubcrenatis, LINN.

LINN. *H. Cl.* 306. Pulegium foliis ſubrotundis, verticillis nudis, HALL. *Helu.* 659. in humidoſis locis Angliae et Galliae, apud nos vero in hortis.

Odoris ſuauis, et ſaporis aromatici ſubamari, ob oleum aethereum. Stomachi cruditates nauſeamque compeſcit: atram bilem per aluum exigit: menſtrua, ſecundas, ac partus vrget. Succus pulmonis vitia, inprimisque tuſſim conuulſiuam mulcet, BOYLE *de vtil. ſimpl. med.* p. 120. licet non vbique efficax, RIDLEY *Obſ.* 20. p. 82. neque vnquam Ill. WERLHOFII votis reſponderit, *Commerc. Nor.* 1733. p. 173. In eundem finem antiquos iam adhibuiſſe, ſed ex melle et aloe potum, apud DIOSCOR. lego. Externo vſu in cataplaſmate vel epithemate, inflammationes ſedat; et podagricis ſubuenit, impoſitum, vſque dum rubeſcat locus. Decoctum eius ablutas prurigines mitigat. ID. Facultatem ptarmicam omnes norunt.

Pulmonaria.

Symphitum maculoſum ſ. Pulmonaria latifolia C. B. *Pin.* 259. Pulmonaria foliis radicalibus ouato cordatis LINN. *Fl. Suec.* 156. inter fruticeta et in ſyluis.

Sapor herbaceus, viſcidus, cum notis naturae acidae. Decoctum in haemoptoe (MATTH. p. 1040.), tuſſi et phthiſi efficax; externo quoque vſu vulnerario ſcopo, BVCHW. p. 219. Inter omnes plantas, combuſta, dat plurimos cineres, ad ſeptimam partem ponderis. GMELIN. *Act. Petrop. T. V.* p. 283.

Pyrola.

Pyrola rotundifolia maior BAVH. *Pin.* 191. Pyrola ſtaminibus aſcendentibus, piſtillis declinatis, LINN. *Fl. Suec.* 330. in ſyluis.

Planta inſipida, inodora. Modice adſtringit, hincque inter traumatica numeratur, decoctaque laudatur

ad

ad vlcera tum interna, tum externa; itemque ad vulnera.

Roſmarinus.

Roſmarinus hortenſis anguſtiore, ſeu ſpontaneus latiore folio C. B. *Pin.* 217. Roſmarinus LINN. *H. Cl.* 14. Frutex manſuetus Galliae, Hiſpaniae, Narbonae, et mediae Heluetiae; apud nos hortenſis.

Graui eſt odore, ſapore aromatico, acri, propter oleum aethereum, quo ſcatet. Excalefactoria vi praeditus, et roborante haud mediocri, in omnibus capitis, neruorum et neruoſorum viſcerum morbis, a cauſa frigida et atonia ortis, praeſentaneum eſt remedium, tum externo vſu, tum interno. Regium etiam ſanat morbum, et fluorem album, ſi decoctum in aqua bibatur; menſtruorum item fluxum promouet, et obſtructas glandulas infantum et ſcirrhos expedit. HEIST. *Chir. de Scirrh.* et *Comp. pract. c.* 12. §. 29. Oleum diſtillatum, ad guttulas quatuor vel ſex ante inſultum febris tertianae datum, febrem tollit. In ſuperficie foliorum, microſcopio luſtratorum, deprehendit aliquando BOERHAAVIVS tubercula ceracea, *Chem. II.* p. 154.

Ruta cum capitulis ſeminalibus.

Ruta hortenſis latifolia C. B. *Pin.* 336. Ruta foliis decompoſitis LINN. *H. Cl.* 145. Frutex manſuetus, Africae, Graeciae, Hetruriae, Narbonae indigenus; apud nos hortenſis.

Graui odore et ſapore amaro ſpecifico, acri pollet, ſingulis ab oleo aethereo, quo praedita eſt. Multiplicem vſum habet. Alexipharmaca eſt, et ſudorifera: ad hyſtericam paſſionem facit, epota ſaltem aqua eius diſtillata, et ſaepius cohobata. BOERH. *Chem. II.* p. 77. Epilepſiae prodeſt (TRALLIANVS *L.* I. *c.* 15.), viſum acuit, tormina ſedat. Feruefacta ex oleo, et pota, vermes expellit. DIOSCOR. Decocta in aqua, difficultates ſpirandi tollit, et coxendicum articulo-

culorumque cruciatus, et horrores febrium circuitu repetentes. Item vrinam ciet, et menſtrua pellit. Alvum ſiſtit potu ciboue. Succus oculorum maculas delet, ad vnam vel duas guttulas aliquoties de die inſtillatus. Idem intus ſumtus ſaepius, ad cochlear vnum, ad inflammationem ventriculi. BAEVMLER. Folia viridia, contuſa, ad condylomata et haemorrhoides coecas. FORESTVS *L.* 23. *obſ.* 8. Aqua diſtillata vero ad cancrum. VATER *diſſ.*

Sabina.

Sabina folio cupreſſi C. B. *Pin.* 487. Iuniperus foliis inferne adnatis, oppoſitionibus concatenatis. LINN. *H. Cl.* 464. Arbuſcula manſueta, Sibiriae et Tartariae indigena, apud nos hortenſis.

Inter omnes plantas fere dat plurimum olei aetherei. Decoctum eius, ſanguini admiſtum, rubedinem intenſiorem facit, quam ſpiritus ſalis ammoniaci. SCHWENCKE *Haematol.* p. 187. Calefacit, menſes, lochia, et haemorrhoides potentiſſime mouet, in decocto et eſſentia, modo adhibeatur, vbi conuenit. Succus cum lacte potus vermibus remedio eſt. Nonnulli etiam pro vrina cienda et pellendo calculo adhibent, ſed minus tuto. *Act. Berol. Dec. I. vol.* 7. p. 42. In linimentis et decoctis ad achores et fauos capitis, et ad ſcabiem quoque confert. Ad odontalgiam vero, et otalgiam et rheumaticos dolores in ſuffitibus. Oſſibus inſperſus puluis cariem abſumit.

Saluia.

Saluia maior C. B. *Pin.* 237. Saluia foliis lanceolato ouatis, crenulatis, floribus ſpicatis, calycibus acutis, LINN. *H. Cl.* 12. Italiae indigena, apud nos in hortis colitur.

Planta perquam iucundo odore, ſed graui, oleum vehens aethereum. Inter tonica, quibus vtimur adverſus paralyſin, et viſcerum laxitates, et fluorem album, et vrinae incontinentiam, alioſque morbos, remedium

medium pulcherrimum. In fluore albo omnibus praefert LENTIL. *Iatromn.* Aduerſus ſputum cruentum, ſuccum commendauit cum melle bibendum, ad duos cyathos, AETIVS *Tetrab. I. Serm. I.* Aduerſus cardialgiam, decoctum, DECKER. in *Prax.* ad ſcorbutum et gingiuarum laxitatem multi. Si infuſum ſanguini calenti admiſcetur, ſtatim inde attenuatur ſanguis cum floridiſſimo colore; neque vllum medicamentum notum huius claſſis pulcriorem colorem efficit. SCHWENCKE *Haematol.* p. 186. Linteolum aqua ſaluiae imbutum, et linguae paralyticae impoſitum, eam ſanauit. *A. N. C. vol. II.* p. 437. Cataplaſma ex foliis ſaluiae cum butyro frixis, abdomini applicatum, ſodam diſpulit, *ib.* p. 439. Infuſum ſaluiae praeſtare Thee Chinenſi, STENZEL. *diſſ.* Puluis foliorum ſternutatorius eſt.

Sanicula.

Sanicula officinarum C. B. *Pin.* 319. Sanicula foliis radicalibus ſimplicibus, floſculis omnibus ſeſſilibus, LINN. *Fl. Suec.* 222. in ſyluis.

Odore caret, ſapore eſt modice amaro et adſtringente. Numeratur inter vulneraria et ad vlcera quoque interna, et haemoptyſin, in decoctis commendatur. Idem etiam laudauit interne HARRIS ad cancrum occultum.

Saponaria.

Saponaria maior laeuis C. B. *Pin.* 206. Saponaria calycibus monophyllis cylindraceis, foliis ouato lanceolatis, LINN. *H. Cl.* 165. Saponaria foliis trineruiis, floribus vmbellatis, HALL. *Helu.* 328. In Anglia, Gallia, Heluetia, Belgio naſcitur; apud nos colitur in hortis.

Amariſſima planta, trita inter aquam ſpumas agens. Pulcre abſtergit, coagula bilis et ſanguinis reſoluit, icterum et fluorem album ſanat. SEPTAL. *anim. L.* 7. *n.* 215. Etiam in lue venerea efficax, ZAPATA;

licet

licet tanto hoſte debilior videatur. HALLER *l. c.* Externe decoctum ad ſcabiem valet.

Satureia.

Satureia hortenſis C. B. *Pin.* 218. Satureia pedunculis bifloris LINN. *Hort. Vpſ.* 161. Circa Monſpelium ſponte creſcit, apud nos in hortis.

Aromatica, oleo diues, fragrans: pulegii vires proxime imitatur. Ad embammata conficienda in culinis. Oleum eius, iuxta thymi, forte acerrimum.

Saxifraga.

Saxifraga rotundifolia alba C. B. *Pin.* 309. Saxifraga, foliis reniformibus lobatis, caule ramoſo, radice granuloſa, LINN. *Fl. Suec.* 350. in pratis et ad colles.

Aliquantum acris eſt, et ſubacidula. Vrinarias vias ſtimulat, et ſabulum expellit, in infuſo ſumta. Lithontripticam adeo virtutem habere creditur; id quod tamen multis dubium videtur. LINN. *mat. med.* p. 73. LOBELIVS vero de ipſa aqua diſtillata, proprio experimento, id adfirmat.

Scabioſa cum floribus.

Scabioſa pratenſis hirſuta C. B. *Pin.* 269. Scabioſa corollulis quadrifidis, corollis radiatis, caule hiſpido, LINN. *Fl. Suec.* 111. Scabioſa caule et foliis ſubhirſutis, imis ouatis, ſuperioribus ſemipinnatis, HALL. *Helu.* 669.

Modice amara eſt, ſaponacea, et leniſſime adſtringens. Moderate reſoluit et diſcutit. In pectoris morbis, phthiſi, pleuritide, tuſſi, empyemate, inflammationibusque viſcerum enixe laudata a BOERHAAV. et BAGLIV. p. 56. a BVCHWALDIO in vlceribus mali moris, etiam venereis, p. 253. Algirenſes decocto vtuntur ad febres intermittentes, *Phil. Trans. n.* 411. Vulgo aqua diſtillata in vſu eſt,

ad variolas expellendas. Decoctum externe pro lotione ad ſcabiem, achores et fauos valet.

Scolopendrium.

Lingua ceruina officinarum C. B. *Pin.* 353. Aſplenium frondibus enſiformibus, integris, baſi cordato inflexis, petiolis hirſutis, LINN. *H. Cl.* 474. In Gallia, Italia, et Heluetia montana ſponte naſcitur.

Saponacea planta ſapore et viribus. Saliuam maſticata ducit: obſtructiones expedit, et tantopere reſoluit, ut quadraginta diebus lienem abſumere credatur, FERNEL p. 184. quod vero nimium eſt. Calculos etiam in veſica comminuere, ID. Vulneraria porro eſt, et in ſugillationibus internis, ac haemoptyſi, potu adhibetur. Ad dolores dentium multi commendant decoctum calide ore ſuſcipiendum.

Scordium.

Scordium C. B. *Pin.* 247. Teucrium foliis ouato lanceolatis ſeſſilibus, floribus ſaepius binatis, LINN. *Fl. Suec.* 476. Chamaedrys foliis ellipticis, ſerratis, mollibus, verticillis inter folia paucifloris, HALL. *Helu.* 631. in paludoſis.

Odor aliquantum alliaceus, ſapor acris et amarus, virtus excalefaciens, reſoluens, vrinam et ſudorem ciens, anthelmintica, putredini reſiſtens, vulneraria. Cocta recens aridaue cum vino aduerſus venenatos ſerpentum morſus olim data fuit, DIOSCOR. neque inutilem deprehendit KLEINKNECHT *Tr. de Scord.* p. 55. contra morſus rabidorum animalium. Idem a cachexia et anaſarca liberatos vidit, p. 69. Ad veterem tuſſim, et febres intermittentes facit in eclegmate; et in peſte praeſtantiſſimum eſt antidotum. Praeter reſinoſas partes, quas ſpiritus vini extrahit, ſal continet ad naturam ſalis veſci accedens, NEVMANN. *Prael. chem.* p. 1016. et partes oleoſas, quas aqua diſtillata vehit, aſt tantilla quantitate, vt nec guttu-

guttulam ſeparare queamus; quamquam haec inde virtutem pellentem cum odore obtinet. Externo vſu planta in inflammationibus, quae ad gangraenam ſpectant, vtiliſſima eſt, ſi in cataplaſmate adhibetur.

Secale.

Secale hybernum vel maius C. B. *Pin.* 23. Secale glumarum ciliis ſcabris LINN. *Hort. Vpſ.* 22. In agris ſeritur.

Prima viridia ſtamina ſuccum continent, optime detergentem, qui menſes mouet, *Act. Berol. Dec. I. vol.* 5. 70. et conuulſiuos motus infantum ſanat, PIETSCH *von Convulſion.* p. 105. nec in ictero inutilis eſt. Poloni plebeii communiter quoque eo phthiſin ſiccam expugnare tentant, at irrito vtplurimum conatu, imo aliquando manifeſte nociuo. ERNDTEL. *Varſau.* p. 191.

Sedum maius.

Sedum maius vulgare C. B. *Pin.* 283. Semperuiuum foliis radicalibus carnoſis, caulinis imbricatis, corymbo racemoſo reflexo, LINN. *Fl. Suec.* 395. Sedum roſulis acaulis, liberis, conniuentibus, foliis ciliatis, HALLER. *Helu.* 392. in muris et tectis.

Succus plantae aquoſus, pauliſper nitroſus, et acris. Hinc vis eius refrigerare, abſtergere, et adſtringere. Auri vtiliter inſtillatur in ſuſurru et auditu abolito, BAEVMLER. deinde etiam oculis ad nubeculas delendas. BRESLAV. *M. Ian.* 1722. Medetur quoque vlceribus ſerpentibus et cauernoſis, ambuſtis igni, cancro, linguaeque fiſſuris, et aphthis: vbi confert, eum cum melle illinere. *van* SWIET 111. In potu datur contra dyſenteriam, aluique profluuia, DIOSC. BOERH. imo etiam aduerſus gonorrhoeam. BRASSAV.

Sedum minus.

Semperuiuum minus vermiculatum acre C. B. *Pin.* 283. Sedum foliis ſubouatis, adnato ſeſſilibus, gibbis, erectiuſculis, alternis, racemo triplici, LINN. *Fl. Suec.* 389. in petris, parietinis, et maceriis.

Succus foliorum acris, ſubcorroſiuus: iisdem cum priore viribus praeditus quidem, ſed valentiore gradu agit, vt vomitum cieat, vrinamque pellat: vnde ad hydropem, febres quartanas, et ſcorbutum obſervatus eſt prodeſſe.

Senna.

α) Senna Alexandrina, foliis acutis, C. B. *Pin.* 397.

β) Senna Italica, ſiue foliis obtuſis. ID.

Caſſia foliolis tripinnibus quadripinnibusque ſubouatis LINN. *H. Cl.* 159. Frutex.

Modice amara et nauſeoſa, melancholiam, bilem atque craſſam pituitam commodiſſime et modeſte purgat, niſi vehementer decocta ſit, vbi torſionibus, vt in me ipſo expertus ſum, valde moleſta, interdumque hypercatharſin mouet. HEISTER. *Wahrnehm.* p. 217. 218. 219. Diuturnorum et lentorum morborum, quos viſcerum impuritas, aut vetus obſtructio genuit, ſingulare eſt praeſidium, vt lentarum veterumque febrium, melancholiae, epilepſiae, ſcabiei, impetiginis, vitiliginis, elephantiaſis, omnisque denique impuritatis. FERNEL. p. 192. In affectibus oculorum, a ſero acri et ſpiſſo, tanquam ſpecificum a RIVERIO commendatur. Datur autem puluis eius ad drachmas duas, infuſum a drachmis tribus ad drachmas ſex. Anodynum praeſtantiſſimum eſſe, SCHVLZIVS p. 189. de quo tamen valde dubito. Ab Arabibus medicinae inuecta fuit.

Serpillum.

Serpillum vulgare minus C. B. *Pin.* 220. Thymus floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis ob-

obtuſis, baſi ciliatis, LINN. *Fl. Suec.* 477. Suffrutex vulgaris, ad vias.

Odor et ſapor plantae acris, et ſuauis aromaticus. Virtus excalefaciens, reſoluens, emmenagoga, roborans: in catarrhis et lentis pectoris morbis, doloribus colicis, paralyſi, chloroſi, ſingultu praeſtans. Infuſo ſerpilli, quod ſudorem mouit, liberatus fuit aliquis ab hydrope, qui febrem acutam exceperat. *Fränk. Samml.* II. p. 366. Externe in fotibus, aurium et capitis dolores lenit: in vino decocta et calide ore ſuſcepta, odontalgiam. Loquelam ſpiritus ope reſtitutam DOLAEVS habet *L. I. c.* 10. Aquam diſtillatum inter cephalicas multum aeſtimat LVDOVICI p. 271.

Solanum.

Solanum officinarum C. B. *Pin.* 166. Solanum caule inermi herbaceo, foliis ouatis angulatis, LINN. *Fl. Suec.* 188. Solanum foliis anguloſis, vndulatis, caule leui, HALL. *Helu.* 507. ad muros et in cultis.

Moderate dolores lenit, diſſipatque inflammationes: quo nomine in epithematibus, cataplaſmatibus, et gargariſmis adplicatur, et varias quoque compoſitiones ingreditur. Herba recens contuſa vel aqua diſtillata fronti ſuperhabetur in doloribus capitis et deliriis febrium. Folia per errorem pro atriplice in cibum ſumta, ſingularis virulentiae notas dederunt. *Commerc. litt. Nor.* 1731. p. 372.

Tanacetum cum floribus.

α) Tanacetum vulgare luteum C. B. *Pin.* 132.

β) Tanacetum foliis criſpis. ID. *ib.*

Tanacetum foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis ſerratis, LINN. *Fl. Suec.* 666. in pratis. *β*) in hortis.

Grauis odoris et amari ſaporis planta, anthelmintica virtute primum clara eſt HOFFM. *Med. Syſt.* IV. p. 333. deinde roborante, vt ventriculo imbecillo ſuccurrat, febres intermittentes et cachexiam ſanet, menſium-

ſiumque fluxum promoueat. Succus ceteris compoſitionibus praeſtat. Lappones in fotu naturalibus partibus fœminarum parturientium frequenter admouent. LINN. *Fl. Lappon.* 295. Flores ſiccatos et in puluerem contritos pro magno anthyſterico ad drachmam dat GHERLI *Obſ.* 58.

Taraxaci folia cum floribus.

Dens Leonis latiore folio C. B. *Pin.* 126. Leontodon calyce inferne reflexo LINN. *Fl. Suec.* 627. Taraxacum pinnis foliorum triangularibus HALL. *Helu.* 739. ad vias.

Planta turget ſucco viſcoſo, lacteo, ſaponaceo et amaricante, quo feruorem febrilem temperat BARRETE, acre diluit, et pituitam reſoluit, ſingula deinceps per diureſin euacuando. In cachecticis morbis, febribus intermittentibus, hecticis, nephritide, ſcabie et ictero praeſtantiſſima eſt. DELIVS *diſſ.* Maxime vero epotus ſuccus iuvat, vel ſpiritus per fermentationem paratus. Extractum ad drachmam vnam datum ter de die, ex aqua diſtillata ipſius plantae, RüDIGERVS laudat ad exſiccandam purpuram rubram, cui maculae petechizantes interſperſae ſunt, diſſ. *de Verit. virt. med. propriae*, p. 16.

Thee folia.

Thee KAEMPF. *amoen.* p. 606. Thea LINN. *H. Cl.* 204. Frutex Chinae et Iaponiae incola.

Folia in ſe narcoticum virus continent, adeoque toſtione prius egent, quo id expellatur. Ita vero hi, qui eam adminiſtrant, nociuam eorundem facultatem experiuntur, minus vero, qui infuſo deinceps vtuntur. Sunt autem fruticis theiferi diuerſae ſpecies, hincque diuerſa bonitas, qualitasque foliorum. Quam bona autem emantur iſta a Belgis in Chinenſi regno, multum tamen gratiae in vniuerſum amittunt in itinere maritimo, vt vel eadem folia, a Ruſſicis mercatoribus

toribus ibidem emta, quoniam ſuper niues vehuntur, Belgicam Theam bonitate et gratia multum ſuperent. *A. N. C. vol. X. obſ.* 21. Vix hodie quidem medicamenti titulum thea ſuſtinet, quum ipſi adeo aſſueti ſimus: nulli tamen dubitamus, ipſi tonicam, attenuantem, atque diureticam virtutem attribuere. BAGLIVIVS in doloribus calculoſis et podagricis eam ſpecialiter commendauit p. 117. De partibus ipſius conſtitutiuis, in diuerſis ſpeciebus, proportione et actiuitate, omnino diuerſimodis, ſubtiliſſime expoſuit TH. SCHORT *Treat. on Thea, Sugar* etc.

Thymus.

Thymus vulgaris folio tenuiore C. B. *Pin.* 219. Thymus erectus, foliis ouatis margine reflexis, floribus verticillato ſpicatis, LINN. *H. Cl.* 302. Suffrutex manſuetus, Galliae Narbonenſis indigenus; apud nos hortenſis.

Fragrans et aromatica ipſi qualitas, quam oleo aethereo debet. Ventriculum roborat, pulmones expurgat, menſes ciet, et inflationes leuat. Externo vſu in ſacculis dolores rheumaticos diſcutit. Oleum, omnium fere acerrimum, in odontalgia cum goſſypio cauitatibus dentium immiſſum, efficax.

Trifolium fibrinum.

Trifolium paluſtre C. B. *Pin.* 327. Menyanthes foliis ternatis LINN. *Fl. Suec.* 163. in locis paluſtribus et vliginoſis.

Admodum amara planta, ad multos morbos, et inprimis chronicos vtilis, nominatim ad ſcorbutum, BARTHOL. *Act. Hafn.* III. 75. hydropem, *ib.* arthritidem et podagram, *Abh. der Kayſ. Ac. der Nat. IV.* p. 172. vlcera antiqua, BOERH. cachexiam, *A. N. C.* II. obſ. 42. calculoſas affectiones, BRESLAV. 1722. M. Febr. catarrhales morbos et febres intermittentes, FRANC. Ruſtici quamplurimi Weſtrogothi folia, de-

deficientibus conis lupuli, pro conficienda cereuiſia adhibent. LINN. *Fl. Lappon.* 80. Puluis caulium alvum purgat, ſi ad drachmam ſumatur, et vomitum ciet. WILLIVS *Act. Hafn. cit.*

Tuſſilago cum floribus.

Tuſſilago vulgaris C. B. *Pin.* 197. Tuſſilago ſcapo imbricato vnifloro, foliis ſubcordatis angulatis denticulatis, LINN. *Fl. Suec.* 680. Petaſites ſcapo vnifloro, floſculis in ambitu ligulatis, HALL. *Helu.* 708. in agris ſubhumidis et ad foſſas.

Qualitas amara, ſubuiſcida. Vis leniens et aperiens. Vſus maxime in morbis thoracis, tuſſi, raucedine, aſthmate, phthiſi, etiam in acutis, pleuritide et peripneumonia, BAGLIV. Communiter vel ex aqua decoquitur, vel ſuccus potatur. Sed aridae quoque fumum, per infundibulum hianti ore raptum, hos ſanare, qui ſicca tuſſi atque orthopnoea infeſtantur, DIOSCORID. pectoris etiam vomicas rumpere, ID. Succum nonnulli praeterea ad calculum comminuendum commendant, *Comm. Nor.* 1736. p. 394.

Veronica.

Veronica mas ſupina et vulgatiſſima C. B. *Pin.* 252. Veronica ſpicis pedunculatis lateralibus, caule procumbente, LINN. *mat. med.* 11. in ſyluis.

Sapor plantae amaricans et blande adſtrigens. Vulneraria eſt, externo vſu, BARTHOL. *cent* 3. *hiſt.* 97. et vel diſtillata ſaltem, *E. N. C. dec.* 2. *ann.* 3. *obſ.* 166. et interno, vbi in phthiſi laudatur, BRESL. 1722. M. Febr. et ad mictum cruentum, FISCHER *de Senio* p. 217. Propter tonicam vero virtutem etiam in tuſſi prodeſt, et difficultate reſpirandi, necnon ad renum calculum. *E. N. C. Dec.* 1. *ann.* 1. *obſ.* 107. *Commerc. Nor.* 1735. p. 44. Ipſi podagrae ſuccum ad duas vncias quotidie epotnm mederi, BOERH.

Loco

Loco thee Chinenſis vſurpandam ſuaſerunt HOFFM. et FRANC.

Violariae herba.

Viola martia purpurea, flore ſimplici odoro, C. B. *Pin.* 199. Viola acaulis, ſtolonibus teretibus reptantibus, pedunculis radicatis, LINN. *Fl. Suec.* 715. ad ſepes, in vmbroſis, et ſub arboribus.

Ad emollientes herbas refertur, et clementer aluum ſubducit, CRAT. *ep. L.* 5. vrinaeque difficultati medetur. Capitis quoque dolores a bile conſopit. FERNEL. p. 185. vſus eſt in clyſteribus et decoctis.

Virga aurea.

Virga aurea latifolia ſerrata C. B. *Pin.* 268. Solidago caule erecto, racemis alternis erectis, LINN. *Fl. Suec.* 685. in ſyluis.

Amara eſt, cum adſtrictione. Inter praecipuas vulnerarias tonicasque refertur, eoque nomine balſamis vulnerariis et decoctis additur. Inprimis vero ad nephritidem laudatur, et ad vlcera vrethrae et renum, LISCHWITZ *diſſ.* nec non ad mictum cruentum, BVRGGR. *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 8. et ad pellendum calculum, quo nomine aliquoties drachmis tribus pulveris ter per interualla octo horarum ſumtis ſatisfecit. FVLV. GHERLI. *obſ.* 56.

Vrtica.

Vrtica vrens maxima C. B. *Pin.* 232. Vrtica dioica foliis oblongo cordatis LINN. *Fl. Suec.* 774. ad ſepes et in rudetis.

Sapor plantae aquoſus cum aliqua adſtrictione. Recens planta vim habet rubefaciendi, excitandique veſicas: quarum illam monſtrat, ſi contuſa parti diu ſatis applicatur; hanc vero, ſi tangitur, aut membrum ea caeditur. Iſta vis autem non tam a ſpinis e foliis protuberantibus pendet, ſed ab acri ſucco, quem iſtae con-

continent, HOOCK *Microgr. Obſ.* 34. quique vulnuſculis ab ipſis factis inſtillatur. Ob hanc cauſam antiquis iam in vſu fuit, torpentis membri ſummam cutem, vrticis caeſam, exaſperare, CELS. *L.* 3. *c.* 27. quo ſolo remedio paralyſin ſanatam fuiſſe, etiam legimus in *Mem. de l'Ac. des Sc. de Par. ann.* 1741. *hiſt.* p. 103. Ad excitandos lethargicos porro vrticis caedenda crura iuſſit ARETAEVS *morb. acut. cur. L. I. c.* 11. Sed is vſus externus non tam antiquus eſt, quam quod folia canis morſibus, addito ſale, medeantur, itemque vlcera ſordida, gangraenas et carcinomata ſanent; et quod gargarizatus ſuccus inflammatione turgentem vuam exprimat; trita autem folia cum ſucco, et naribus indita, ad profluuia narium faciant, DIOSC. Quam adſtringentem facultatem deinde quoque recentiores in aliis ſanguinis profuſionibus experti ſunt, vt in mictu cruento, *Hiſt. morb. Vratisl.* 1701. p. 284. in haemoptyſi, LAZERME *Cur. morb. T. I.* p. 188. 191. DEIDIER *conſult. II.* et in haemorrhagiis ſcorbuticis. SENNERT. dum ad aliquot vncias ſuccum bibendum dediſſent, vel contuſa folia in fotu ſaltem applicaſſent, BORELL. *Cent. I. obſ.* 95. Et, quod maxime mirandum eſt, Cl. POISSONIER lacte vaccae, hac herba ſola paſtae, haemoptyſin, mictum cruentum, fluxum haemorrhoidalem, et ſcorbutum ſanauit. Ceterum vtilem eſſe ſuccum in affectibus nephtriticis, SPIES diſſ. *de herb. antineph.* et vrinas quaſi cruentas pellere, etiam applicatam plantam, CHOMEL *Suppl.* p. 170. Cocta cum conchis folia, aluum emollire, vrinas mouere, et inflationes ſoluere; decocta cum ptiſana, vitia pectoris extrahere, DIOSCOR. Spiritum denique, in quo vrticae maceratae, membra frigore correpta, praeſenti fructu ſolari, ſi eodem fricentur, BAEVMLER.

II. MI-

II. MINVS VSITATA.

Abietis folia.

α) Picea maior prima ſ. Abies rubra C. B. *Pin.* 493. Abies foliis ſolitariis, apice acuminatis, LINN. *H. Cl.* 449.

β) Abies conis ſurſum ſpectantibus, ſiue mas, C.B. *Pin.* 505. Abies foliis ſolitariis, apice emarginatis, LINN. *H. Cliff.* 449. Abies foliorum apice bifido HALL. *Helu.* 148. Arbor frequentiſſima.

Decocta folia commendantur in vlceribus renum, et ad ſcorbutum. BRESLAV. 1723. M. Iul. Balſamica vi ſua ſanguinem imbuunt, et vrinas cient. Lappones ſpiritu frumenti inebriati, quum cephalalgia vexantur, opem ſibi ferunt ramulis nouellis Abietis α) conſciſſis et contritis, capitique circumpoſitis. LINN. *Fl. Lapp.* p. 278.

Abſinthium alpinum

Abſinthium alpinum incanum C.B. *Prodr.* 71. Abſinthium ſeriphium montanum candidum SCHEVCHZ. *It. I.* p. 29. Artemiſia ex alis florida, foliis petiolatis, palmatis, planis, ſericeis, HALL. *Helu.* 695. in alpium ſaxoſis paſſim.

Amaricat, aromatica eſt, magnae famae planta inter alpicolas. Ad febres intermittentes, quae in alpinis ſaepe ſaeuiunt; ad vulnera conſolidanda, ad pellendos menſes, frequenter etiam in ſubitis illis frigoribus ſuppreſſos, communis eſt in toto Bernenſium alpium tractu, quaſi panacea. HALLER.

Acmella.

Chryſanthemum bidens ſ. Bidens zeylanica, flore luteo, lamii folio, BREYN. *icon.* 48. Verbeſina foliis oppoſitis lanceolato ouatis, petiolatis, ſerratis, pedunculis vnifloris, dichotomiae caulis, LINN. *Fl.*

Zeyl.

Zeyl. 309. Creſcit in inſula Ceylon Indiae orientalis.

Amara et balſamica planta, Societati Anglicanae anno 1690. primum monſtrata fuit, et commendata ad calculoſas et nephriticas affectiones, ſi infuſum eius biberetur. *E. N. C. Dec. III. ann.* 7. *et* 8. *obſ.* 210. et SEBA *Theſaur.* I. p. 19. 20. Experimenta cum illa fecit ANT. FEL. FANTINVS, et obſeruauit quidem, minus illam concretos iam et genitos calculos diſſoluere, impedire tamen poſſe, ne concreſcant, dum ſabuloſum viſcidum diſſolueret. Obſeruauit ſimul FANTINVS, quod aegro, per eos dies, quibus herbam ſumſiſſet, difficultates vrinae increſcerent, ſic vt poſt aliquot dies medicamento ſuperſedere debuerit, et emollientia tantum adhibere. *Comment. Bonon.* I. p. 167. SCHEND. *van der* BECK autem teſtatur, quod experientiae ſuae ſuffragium ſemper tulerit; additque, ſe hydropem etiam incipientem longo hujus herbae vſu expugnauiſſe, *A. N. C. app.* p. 119. Acmellae ſuccedaneam fore *Sigesbeckiam*, quae facile in hortis noſtris et caldariis luxuriat, LINNAEVS cenſet *mat. med.* 406. Verbeſinam etiam noſtratem, NEBELIVS *diſſ.*

Adianthum aureum.

Polytrichum aureum medium C. B. *Pin.* 356. Polytrichum capſula parallelepipeda LINN. *Fl. Suec.* 868. Polytrichum vulgare et maius, capſula quadrangulari, HALL. *Helu.* 106. in ericetis, ſyluis et ſiccioribus paſcuis.

Cenſetur inter herbas capillares. Vis ipſi blande adſtringens et traumatica. Decoctum ex vino rubro commendatur a SOLENANDRO ad fluxum menſium nimium, *Conſil.* 8. *Sect.* 4. p. 329. ex aqua vero ad pleuritidem a TOVRNEFORTIO *aut. de Par.* Vulgus inter antimagica remedia refert.

Ane-

Anemone.

Anemone nemoroſa flore maiore C. B. *Pin.* 196. Anemone ſeminibus acutis, foliolis inciſis, caule vniflora, LINN. *H. Cl.* 224. Anemone ſemine laeui, petalis ſenis, ellipticis, HALL. *Helu.* 330. in ſyluis.

Aliquantum acris planta, ad tineam capitis cataplaſmatis forma laudatur a CHOMELIO ex propria obſeruatione. Succus eius, naribus infuſus, pituitam trahit FERNEL.

Aparine.

Aparine vulgaris C. B. *Pin.* 334. Aparine foliis lanceolatis, acuminatis, ſcaberrimis, corollis fructu minoribus, LINN. *Fl. Suec.* 120. Galium caulis angulis, foliique ora et neruo ſerratis, fructu hiſpido, HALL. *Helu.* 459. ad dumeta et ſepes.

Ad diſcutiendas ſtrumas cum axungia tritam iam dudum laudauit DIOSCORIDES; ſed haec virtus fere neglecta fuit, et vnus MATTHIOLI eſt, quem ſcio, qui eam hoc fine interdum cum fructu vſurpauerit. Nuper vero idem experimentis ſuis confirmauit Cl. GASPARI *Obſeru.* p. 18. 19. qui etiam decocto tumores teſtium et mammarum diſſipauit, *ib.* p. 20. Ceterum ſuccum ſeminis, caulium ac foliorum, potu contra viperarum phalangiorumque morſus auxiliari: infuſo, aurium dolori mederi, DIOSC. Anſeres hac planta ſibi ventriculum expurgare, appetentiamque excitare, BLAIR.

Aſter.

α) Senecio ſ. Erigeron coeruleus, aliis Conyza coerulea, I. B. III. 1043. Aſter aruenſis coeruleus acris TOVRNEF. *inſtit.* 481. Erigeron floribus ex ala foliorum prodeuntibus, floſculis foemininis multis imperfectis, HALL. *Helu.* 724. in aruis aridis et cliuis lapidoſis.

Acris

Acris eſt, pituitam pulmonum incidit et expurgat; quo nomine in ſuperiori Germania adhibetur, decocti ſpecie. WEDELIVS hanc plantam vocat *rugam*, et recte inter abſtergentia refert, *Syllab. c.* 4.

β) Conyza media aſteris flore luteo *C. B. Pin.* 265. Aſter pratenſis autumnalis, conyzae folio, TOVRNEF. *inſtit.* 482. Aſter foliis amplexicaulibus, criſpis, ſubtus incanis, luteo flore radiato, HALL. *Helu.* 726. ad ſcrobes et in humectis.

Huius plantae decoctum mire laudarunt CAMERAR. et C. HOFFM. ad dyſenteriam, et dyſentericam ſuam herbam nominarunt. In officinis Brandenburgicis pro Arnica vendunt, fabrica licet, ſapore ac odore diuerſam.

Balſamita.

Mentha hortenſis corymbifera C. B. *Pin.* 226. Tanacetum foliis ouatis integris ſerratis LINN. *H. Cl.* 398. Hetruriae et Narbonae indigena, apud nos hortenſis.

Amara et odorata, ventriculi imbecillitati ſuccurrit, menſes mouet, ſpaſmos hyſtericos ſedat, venenatam vim opii infringit.

Branca vrſina.

α) Acanthus ſatiuus ſeu mollis Virgilii C. B. *Pin.* 382. Acanthus foliis ſinuatis inermibus LINN. *H. Cl.* 181. in Italia et Sicilia creſcit.

β) Sphondylium vulgare hirſutum C. B. *Pin.* 157. Heracleum foliis pinnatifidis LINN. *H. Cliff.* 103. Sphondylium pinnarum pinnis hirſutis, ſemiquinquefidis, HALL. *Helu.* 447. in humidioribus paſcuis et pratis.

Hanc alteram plantam β) vulgo quidem in officinis nomine ſupra ſcripto recipiunt, et inter herbas emollientes ponunt, ſed immerito, quum vi diuerſiſſima gaudeat, et prior ſaltem α) glutinoſa ſit. Falſa

ſa etiam haec de Sphondylio referuntur, quod Poloni eo aduerſus plicam polonicam vtantur, et decocto ſaepe, ad citandam eam; caput lauent; deinde quoque, quod potum ſuum *Bartſch* inde conficiant: quae omnia ERNDTELIVS refutauit *Varſau.* p. 210. et 139. *Bartſch* enim, teſte illo, fit tantum ex furfuribus triticeis aut farina, affuſa aqua, in loco tepido per aliquot dies ad fermentationem depoſitis, donec acidiuſculum ſaporem contrahant. Brodiis carnis autem quotidie fere admiſcere plantam, SCHVLZE *von Krankh. in Lith.* p. 81. Et Ruſſos artificium noſſe, inde ſpiritum ardentem praeparandi. GMEL. *Fl. Sib. I.* 213.

Bugula.

α) Conſolida media pratenſis coerulea C. B. *Pin.* 260. Teucrium foliis obuerſe ouatis crenatis, caule ſimpliciſſimo, ſtolonibus reptatricibus, LINN. *Cliff.* 301. Bugula foliis ouatis, inter flores ſtipatis, flagellis repens, HALL. *Helu.* 634. in pratis.

β) Bugula hirſuta geneuenſis MORIS. III. 391. Conſolida media geneuenſis I. B. III. b. 432. Aiuga tetragono pyramidalis LINN. *Fl. Su.* 475. Bugula foliis anguloſe dentatis, caule ſimplici, HALL. 635. in pratis montoſis.

Amara eſt, detergens, ſubadſtringens, et vulneraria, ad anginas, ad pulmonum, aliaque interna vlcera vtilis. ETTMVLL. Prima ſpecies quidem proprie officinas ingreditur; ſed placuit LINNAEO alteram ſubſtituere, *Mat. med.* 306.

Camphorata.

α) Camphorata hirſuta C. B. *Pin.* 486. Camphorata Monſpelienſium I. B. III. p. 379. Camphoroſina foliis hirſutis linearibus LINN. *Amoen. ac.* I. p. 392. in Hiſpaniae, Narbonae, Tartariae arenoſis.

β) Camphorata glabra C. B. *Baſil.* p. 113. Camphorata foliis confertiſſimis, inermibus, liuidis, HALL. *Helu.* 183. in Heluetia.

Vir-

Virtus detergens et excalefaciens huius plantae, camphoram tenuiter olentis, noſtro demum ſeculo detecta fuit; eiusque infuſum ad recentem hydropem, fluorem album et aſthma inprimis, a Monſpelienſibus (DEIDIER *Conſult. I.*) et BVRLETO commendatum, *Mem. de Par. ann.* 1705.

Capillus veneris.

Adianthum foliis coriandri C. B. *Pin.* 355. in Italia et Gallia.

Inter quinque capillares eſt, et famam habet ex ſyrupo, quem Monſpelienſes copioſe inde parant et transmittunt, tanquam medicamentum, quod ad thoracis vitia, raucitatem, dyſpnoeam, et tuſſim faciat.

Caryophyllata.

Caryophyllata vulgaris C. B. *Pin.* 321. Geum floribus erectis, fructu globoſo, ſeminum cauda vncinata glabra, LINN. *Cliff.* 195. Caryophyllata pinnis paucioribus rhomboideis, tubarum fine vncinato, HALL. *Helu.* 335. in ſyluis et vmbroſis.

Rarioris quidem vſus huius plantae folia ſunt, ſed lego tamen vlceribus applicata, eodem expurgare, *Act. Berol. Dec. I. vol. VII.* p. 45.

Carduus Mariae.

Carduus albis maculis notatus vulgaris C. B. *Pin.* 381. Carduus ſquamis calycinis, margine apiceque ſpinoſis, LINN. *Cliff.* 393. Silybum neruis foliorum albis HALL. *Helu.* 684. inter fimeta in ſuburbanis, et circa hortos.

Succum continet fere inſipidum, ſed ſpecie tamen tartari impraegnatum. MARGGR. *Hiſt. de l' Ac. de Berl.* ann. 1747. p. 79. Ex integra planta diſtillari aqua ſolet, quam laudant in pleuritide. Siccatis vero foliis peculiaris virtus in pectoris affectibus tribuitur, et contra fluorem album.

Car-

Carduus tomentoſus.

Acanthium MATTH. p. 671. Carduus alatus tomentoſus, acanthi folio, vulgaris, TOVRNEF. *aut. de Par.* 14. Onopordum foliis decurrentibus, margine ſpinoſis, LINN. *H. Cl.* 393. Onopordon foliis tomentoſis, obiter laciniatis, caule alato, brachiato, HALL. *Helu.* 674. ad vias.

Succus in cancro faciei exulcerato adplicatus egregiam opem præſtat; quam experti ſunt BORELLVS *Cent.* 2. *obſ.* 51. et ELLERVS *Anmerk.* p. 58. in tribus foeminis.

Caſſine.

Caſſine vera Floridanorum, arbuſcula baccifera, PLVKN. *mant.* 40. t. 376. f. 2. CATESBY *Corol.* 2. p. 57. t. 57. Ilex foliis ouato-lanceolatis LINN. *H. Cliff.* 40. Arbor manſueta, in Virginia et Carolina creſcens.

Folia ſubaromaticum quid habent: ad pituitam de pulmonibus abſtergendam, et ad variolas commendantur. LINN. diſſ. *cenſ. med. ſimpl. veget.*

Chelidonium minus.

Chelidonia rotundifolia minor C. B. *Pin.* 309. Ficaria RVPP. *Fl. Ien.* 159. Ranunculus foliis cordatis, angulatis, petiolatis, LINN. *Fl. Suec.* 460. in pratis et vmbroſis.

Herbaceo eſt ſapore, absque magna acrimonia, vt tamen aqua diſtillata, teſte GEOFROY, odorem et ſaporem ſinapi habeat, III. p. 315. Scorbuticam dyſcraſiam corrigit, coagula ſanguinis diſſoluit, gingiuarum putredinem exſtinguit, et haemorrhoidum coecarum dolores ſedat, vnguenti ſpecie applicata. Etiam decoctum in potu haemorrhoidarios iuuat. BOERH. Iuniora folia vere in acetaria recipiuntur.

Cicuta.

Sium erucae folio C. B. *Pin.* 154. Cicuta LINN. *Vogel. Mat. Med.*

Fl.

Fl. Suec. 239. Cicuta vmbellis folio oppoſitis, petiolis marginatis obtuſis, ID. *Sp. Pl.* 255. in paludoſis.

Venenata planta, intus aſſumta, vertiginem, ſomnum, deliria et ipſam mortem inducens; etiam ſolo odore infenſa, quod hortulano contigit, qui eandem praecidendo, vertiginem paſſus eſt, BOERH. *Prael. VI.* p. 255. Externe tamen ad duros diſcutiendos et reſolvendos tumores, et ad repellendum lac mulierum, folia recentia mammis imponi ſolent. Saepius etiam veſiculam colis criſtallinam folio cicutae trito et impoſito diſcuſſit *ab* HEERS *obſ.* 1. vnde in ſecretis habuit. Sed nec externe ſemper ſine omni noxa eſt, BORELL. *obſ.* 3. *cent.* 2. PAVLI *Quadr. bot. cl. III.* Nouiſſime Cl. RATHLAVW cicutae vim aduerſus elephantiaſin expertus eſt, *Goett. gel. Anz.* 1754. p. 285. 477.

Clematis.

Clematitis ſylueſtris latifolia TOVRN. *aut. de Par.* p. 72. Flammula ſepium, foliis integris, RVPP. p. 54. Clematis foliis pinnatis, foliolis cordatis, inaequaliter inciſo ſerratis, LINN. *H. Cliff.* 225. et foliolis ouatis integerrimis, ID. *ib.* ad ſepes.

Valde acris, vt ad inurenda vlcera et veſicas excitandas adhiberi poſſit, CHESNEAV p. 421. vnde factum eſt, vt Galli eam *herbe aux gueux* vocarent. Neque aqua diſtillata ſine acrimonia eſt, diciturque in morbis frigidis prodeſſe, MATTH. p. 958. In acetario tamen aſſumtam haud nocuiſſe, ait BORELL. *cent.* 3. *obſ.* 96. et cum lepidio condiri ad cibos, DIOSC.

Clinopodium.

Clinopodium montanum C. B. *Pin.* 224. Clinopodium Auſtriacum CLVS. *Pannon.* 622. 623. Clinopodium verticillis paucifloris, in ſpicam congeſtis, HALL. *Helu.* 653. Abunde in montoſis alpium.

Medicamentum eſt alpicolarum, magni pretii in morbis pectoris, HALL. Odorem ſpirat grauem et iucundum.

Colutea.

Colutea.

Colutea veſicaria C. B. *Pin.* p. 399. Colutea foliis obuerſe cordatis, caule arboreo, LINN. *H. Cl.* 365. Frutex ſepedalis; in ſyluis paſſim, et in hortis.

Sennae virtute purgante ſuppar, ſed ignauius aluum mouet, GESNER. *ep.* p. 92. cum doſis infuſi ſit integrae vnciae, GARIDEL. Ruricolae ſcopo purgandi paſſim vtuntur. BARTHOL. *Dan. med. domeſt.* p. 229.

Conſolida Saracenica.

Conſolida aurea TAB. 556. Virga aurea anguſtifolia, ſerrata, ſ. Solidago Saracenica, I. B. II. 1063. Senecio foliis longe ellipticis, acute ſerratis, floribus vmbellatis, HALL. *Helu.* 734. in ſyluis montanis.

Odor, dum viret, balſamibus, ſed non omnibus gratus. Virtus pene eadem, ac virgae aureae, tonica et vrinam mouens; ſed laudatur praecipue ad mala ex lapſu, vbi in decocto potatur. HALL.

Corallina ſ. Muſcus corallinus.

Muſcus coralloides, ſquamis loricatus, C. B. *Pin.* 364. Sertularia ramis teretibus, articulis cylindraceis lapideis aequalibus, LINN. *Fl. Lapp.* 563.

Planta ſubmarina, e mari mediterraneo aliisque petitur. Increſcere ſolet coralliorum fruticibus, plantis marinis aliis, conchis biualuibus, et rupibus dicti maris: etiam dorſo erucae cuiusdam accreſcere vidit SEBA. Subter aqua tenax eſt, et firmis articulis mediante neruo, ipſos perforante, connexis conſtat; extracta vero et ſiccata facile conteritur, quum neruus fragilis ſit. Salſum ſaporem habet. Frequentiſſimus vſus eſt ad vermes inteſtinorum expellendos. Datur ex lacte a ſcrupulo vno ad drachmam. Commendari etiam ſolet, ratione virtutis adſtringentis, ad fluxus alui, ſanguinisque nimios.

Coris.

Coris coerulea maritima C. B. *Pin.* 280. Coris LINN. *H. Cl.* 80. in Gallia Narbonenſi et inſula Creta.

Sapor amariſſimus et nauſeoſus. Pro magno medicamento habetur ad virus venereum expellendum.

Coronopus.

Coronopus RVELL. p. 373. Coronopus Ruellii ſ. Naſturtium verrucoſum I. B. II. 919. Ambroſia campeſtris repens C. B. *Pin.* 138. Cochlearia foliis pinnatifidis LINN. *Cliff.* 331. Naſturtium ſylueſtre, capſulis criſtatis, TOVRN. *Inſtit.* p. 214. in compitis et ad ſcrobes.

Acris eſt, et naſturcini ſaporis. Pertinet inter tonicas ac leniter adſtringentes plantas, et quae vrinam cient. Inprimis cocliacum morbum ſanare creditur, in acetario vel alio modo aſſumta, TABERN. in decocto autem ſanguinis fluxus ſiſtere, et calculum renalem conterere, ID. Medicamentum lithontripticum D. Stephens ingreditur.

Echium minimum.

Echium ſcorpioides aruenſe C. B. *Baſ.* 75. Lithoſpermum aruenſe minus TOVRN. *ant. de Par.* 112. Scorpiurus annuus flore paruo HALL. *Helu.* 519. in pratis agrisque.

Contuſum oculis inflammatis inter duplicatum linteum applicatum egregie ſuccurrit, et pannos etiam delet, *Act. Berol. Dec. I. vol.* 5. p. 33. 54. 61.

Endiuia.

Intybus ſatiua latifolia C. B. *Pin.* 124. Cichorium caule ſimplici, foliis integris crenatis, LINN. *H. Cl.* 389. inter olera colitur.

Oleracea, ſucco temperante et abſtergente diues. Bilem viſcidam attenuat, et in ictero prodeſt.

Erica.

Erica.

Erica vulgaris glabra C. B. *Pin.* 485. Erica foliis quadrifariam imbricatis, triquetris, glabris, erectis, corollis inaequalibus, calice breuioribus, LINN. *H. Cliff.* 147. Erica antheris bicornibus incluſis corollis inaequalibus, campanulatis, mediocribus, foliis oppoſitis ſagittatis, ID. *Spec. Plant.* p. 352. Erica foliis imbricatis glabris, HALL. *Helu.* 419. in campis ſterilibus.

Decoctum continuato vſu veſicae calculos comminutos expellere, MATTHIOLI: colicae mederi, TRAGVS: lactis prouentum in mulieribus augere, et puluerem item florum, PANCOV. Succum e foliis expreſſum vel e floribus aquam diſtillatam, rubedinem oculorum auferre, ſi ipſis inſtilletur, RAI. p. 1713. Reprobum quidem mel e floribus apes inde efficere, DIOSC. ſed probum contra, et quod flaueſcit, LINN.

Euphraſia.

Euphraſia officinarum C. B. *Pin.* 233. Euphraſia foliis ouatis acute dentatis, LINN. *Fl. Suec.* 516. in pratis humidis.

Leuiter amaricat, et ad oculorum inflammationem ac viſus debilitatem pota mire laudatur, HILDAN. *epiſt.* 59. inprimis in ſucco, ALLEYNE. Non multum vero aeſtimat BOERH. *de ocul. morb.* Calidam eſſe, et vino infuſam, oculisque admotam, amicum Lobelii pene excoecauiſſe, C. HOFFM.

Gallium luteum.

Gallium luteum C. B. *Pin.* 335. Gallium foliis octonis linearibus, ramis floriferis breuibus, LINN. *Fl. Suec.* 116. Gallium foliis octonis, graciliſſimis, confertiſſimis, ſpica flaua caulem terminante, HALL. *Helu.* 461. in pratis et muris.

Grato eſt odore. Leniter ſiccat et adſtringit: impetigines ſanat, GESNER *ep.* p. 70. malum hyſteri-

cum leuat, IVSSIEV, et epilepticos motus, aduerſus quos in Gallia et Catalaunia frequenter adhibetur, CHOMEL; denique lac coagulat, ſi recens admiſcetur. Absque additamento diſtillata, ſubito liquorem acidum ſtillat, *Act. Hafn.* I. *obſ.* 69.

Gentianella.

α) Gentiana pratenſis flore lanuginoſo C. B. *Pin.* 188. Gentiana corollis (quinquefidis) hypocrateriformibus, fauce barbatis, LINN. *Fl. Suec.* 203. in pratis ſiccis.

Amara eſt, et tonica virtute gaudet. Ad febres tertianas et pleuritidem commendatur. In Marchia ruſtici aduerſus ſubluxationes vtuntur. SCHVLZE.

β) Gentiana minor ſ. vulgi cruciata C. B. *Pin.* 186. Gentiana corollis quadrifidis imberbibus, verticillatis, ſeſſilibus, LINN. *Spec. Pl.* p. 231. n. 20. in montoſis apricis.

Huius ſicca folia, vel quod praeſtat recentia, vino macerata, vlceribus pedum antiquis ſola appoſitione promtiſſime mederi, Cl. RAIMANNVS expertus teſtatur *Comm. Nor.* 1733. p. 363. Decoctum in lue venerea mire laudat ZAPATA c. 9. p. 97. ſed ſub nomine ſaponariae praeſcribit.

Glaucium.

Papauer corniculatum FVCHS. 520. Glaucium foliis tomentoſis, imis pinnatis, ſuperioribus ſerratis, amplexicaulibus, HALL. *Helu.* 304. in maritimis et aſperis.

Diureticam et lithontripticam virtutem ipſi adſcribit TOVRNEF. ſed haec vis proprie radici competit, DIOSC. Planta potius venenata eſt, et potu et cibo eadem inferre conſueuit, quae papaueris ſuccus: quod non modo a DIOSCOR. animaduerſum eſt L. VI. c. 18. ſed etiam ab Anglis, LOWTHORP. *Phil. Tranſ.* II. p. 642. Externe vero folia ex oleo illita cruſtas emarginant, et nubeculas ac pannos iumentorum perunсta abſtergunt, DIOSC.

Gratiola.

Gratiola centauroides C. B. *Pin.* 279. Gratiola floribus pedunculatis, foliis lanceolatis ſerratis, LINN. *Mat. med.* n. 18. in pratis humidis.

Amariſſimo et ingrato eſt ſapore. Aluum potenter mouet, in puluere ad dimidiam drachmam ſumta, aut in decocto, ſiue infuſo vinoſo, ad duas. Commodiſſime vero in lacte infunditur. Hydropicis inprimis deſtinatur, et qui quartana febre laborant. Sed malum effectum in hydropico habent, VRATISL. 1728. p. 870. Extractum, quod e ſucco fit, etiam purgat, ſed clementius, quam quod e reſiduo, BOVLDVC *Mem. de Par.* 1705. Decoctum foliorum ex lacte vermes etiam necat: aquoſum externe vulnera et vlcera expurgat et ſiccat, CAESALP. *L.* 5. *c.* 96. obiter noto, radicem in puluere ad drachmam dimidiam aſſumtam, idem praeſtare in dyſenteria, quod hypecacuanha, BOVLD. *l. c.*

Hedera arborea.

Hedera arborea C. B. *Pin.* 305. Hedera foliis ouatis lobatisque LINN. *Fl. Lapp.* 91. Frutex cicur Europaeus.

Folia habent amarum et nauſeoſum ſaporem. In puluere data laudantur tanquam ſpecificum in infantum atrophia, *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 120. In cataplaſmate lac diſpellunt; cum vino cocta, aut nude vlceribus impoſita, ea exſiccant.

Herniaria.

Polygonum minus ſ. Herniaria maior C. B. *Pin.* 281. Herniaria calycibus bractea nudis LINN. *Fl. Suec.* 207. in arenoſis.

Subſalſa eſt, et ſubadſtringens. Ad hernias primo laudata fuit, inde ab Hollerii temporibus, a quo etiam *Holleriana* dicta. Deinde ad renum et calculi morbos, quum vrinam vehementer cieat, vt nocere etiam poſſit, CHOMEL; quo nomine et hydropicis fuit praeſcripta,

ſcripta, non ſiue vſu, ID. *Pl. vſuell.* p. 248. et *Suppl.* p. 83. Sed in his rariſſime hodie vſus eſt. Peculiarem vero hoc ſaeculo virtutem contra oculorum caliginem, in trageae vel eſſentiae forma, aperuit GRVHLMANNVS.

Horminum.

α) Horminum pratenſe, foliis ſerratis, C.B. *Baſ.* 69. Saluia foliis ouatis, inciſo crenatis, verticillis ſubnudis, LINN. *H. Cliff.* 12. Saluia foliis ouato-lanceolatis, ſerratis, verticillis raris et diſſitis, HALL. *Helu.* 638. Sclarea ſylueſtris, Matriſaluia, TAB. 374. in pratis, collibus ſiccis, et ad vias.

Viſcoſa et odorata, ad ſomnum inuitans hos, qui inter eam ambulant, BOERH. *Prael. IV.* p. 521. et caput turbans, ceu in ſe ipſo expertus eſt STENZEL. diſſ. *de med. virt. ven.* p. 39. Ad febres tertianas facit, flatus diſſipat, menſium fluxum promouet, fluorem album ſiſtit.

β) Horminum luteum glutinoſum C. B. *Baſ.* 69. Colus Iouis CLVS. *Pann.* 577. Horminum flore luteo RIV. T. 35. Saluia foliis cordato ſagittatis, ſerratis, acutis, LINN. *H. Cliff.* 13. in montanis.

Ad calculum et thoracis morbos laudant BRESLAV. *T.* 29. p. 96. Vinum moſchatum reddere, BOCCON. *Muſ. di Piant.* p. 53.

Hyoſciamus.

Hyoſciamus vulgaris et niger C. B. *Pin.* 169. Hyoſciamus foliis amplexicaulibus LINN. *Fl. Suec.* 184. in rudetis, foſſis, fimetis, ſuburbanis.

Planta viſcoſa et foetida. Vim narcoticam inſignem poſſidet, et pota vel comeſta ſimilem ebriis abalienationem mouet, DIOSC. adeo, vt ex ſolo vapore Boerhaauius cum amico temulentus factus ſit, quum emplaſtrum de Hyoſciamo pararent. Et HALLERVS meminit, ſodalem, qui ſecum Leidae Boerhaauium audiuiſſet, omne venenôrum genus ex horto ſelegiſſe,

voraſſe,

voraſſe, tuliſſe, napellos, apocyna, Belladonnae baccas etiam ſuauiter deglutiiſſe, ab Hyoſciamo vero victum poenas dediſſe audaciae, et mente alienatum, crure altero reſolutum, a Boerhaauio reſtitutum fuiſſe, *Heluet.* Iſta vero non impediunt, quo minus folia per ſeſe vel ex lacte ſubacta, partibus dolentibus, ſiue ex ſpaſmo, ſiue tumore, imponantur, quod ad mitigandos omne genus dolores faciant.

Hypericum.

Hypericum vulgare C. B. *Pin.* 279. Hypericum floribus trigynis, caule ancipiti, foliis punctatis, obtuſis, LINN. *Fl. Suec.* 625. in pratis.

Balſamica planta, cuius petala cum antheris notata ſunt veſiculis, ſucco reſinifero plenis, quem compuncta emittunt, et diſtillatione quoque produnt, oleo terebinthineo pene ſimilem. Virtutem hinc detergentem, vulnerariam, antictericam, et antifebrilem poſſidet, et vermes quoque expellit. *Act. Hfn. I. obſ.* 40. Quin ad ipſam melancholiam et maniam commendatur, ANGEL. SAL. *Coll. chym.* p. 8. Denique et ad antimagica refertur remedia, EYSEL *diſſ.* ſed non aliter iuuat, quam quod morbis a debilitate neruorum ſuccurrit. BAGLIVVS tincturam in pleuritide ſpuria tanquam remedium, quod profecto coagula ſanguinis diſſoluit, et vulnerarium non ſatis laudandum, pro ſecreto communicat p. 39. Oleum coctum, in iuſculo ſumtum, egregium eſſe tuſſis remedium, *A. N. C. vol. II. obſ.* 195.

Iſatis.

Iſatis ſylueſtris vel anguſtifolia C. B. *Pin.* 113. Iſatis foliis radicalibus crenatis, caulinis integerrimis, pene acutis, ſiliculis oblongis, LINN. *Fl. Suec.* 543. *Var.* Iſatis ſatiua vel latifolia C. B. *Pin.* In agris, Thuringiae inprimis, copioſe colitur.

Nobiliſſima tinctoria planta, non minus ac medica, vtpote vi reſoluente haud mediocriter inſtructa, ob quam ad icterum et ad atram bilem commendatur a BOERH. Prouinciales etiam ad variolarum expulſionem adhibent, CHOMEL. Sed praeferenda eſt, ob maiorem acrimoniam et virtutem, ſatiua. Ex non alia planta copioſius ſal volatile haberi, WEDEL.

Laburnum.

Laburnum, arbor trifolia, Agarydi ſimilis, I. B. II. 361. Cytiſus foliolis ouato oblongis, racemis ſimplicibus pendulis, LINN. *Cliff.* 354. arbor decempedalis, in ſyluis montanis frequens.

Vis ei purgans et vomitoria eſt, ad flagitium vsque, MATTHIOL. p. 931. Vulnerariam quoque eſſe, ſi folia in turundam ficta immittantur vulneri, BOCCONE *Muſ. di Fiſ.* p. 139.

Lactuca.

Lactuca floreſcens MATTH. 399. Lactuca ſatiua C. B. *Pin.* 122. LINN. *Cliff.* 384. In agris oleraceis copioſe ſeritur.

Planta oleracea. Ob ſuccum dulcem et lacteum refrigerat, aeſtum praecordiorum compeſcit, bilemque fraenat, ceu in proprio corpore GALENVS expertus eſt, *de alim. fac. L. II. c.* 40. Eaque aſſumtione ſomnum arceſſit, ID. et hypnoticam virtutem poſſidet, ob quam antiqui, vltimo in coena loco, eam quoque adſumſerunt. DIOSCOR.

Lauroceraſus.

Lauroceraſus CLVS. *hiſt.* I. p. 4. Padus foliis ſemper virentibus lanceolato ouatis LINN. *H. Cl.* 185. Trapezuntina arbor, in hortis colitur.

Venenatam vim potius et narcoticam folia habent, quam medicinalem, ſic, vt aqua ipſorum diſtillata et homines et bruta enecata fuiſſe, multis exemplis probetur

betur in *Trans. phil.* n. 418. et 420. et a VATERO *diſſ.* et STENZELIO *de anod. virt. ven.* p. 33. et *du* HAMEL *des Arbr.* T. I. Sed folia tamen lacti imponunt vulgo, vt ſaporem amygdalinum adipiſcantur: id quod tamen nec ſemper quidem ſine noxa fieri, ſi vel largiori doſi recipiantur, vel iuſto longius coquantur, in *Commerc. Nor.* 1733. p. 201. lego.

Liguſtrum.

Liguſtrum Germanicum C. B. *Baſ.* 112. Phillyrea, DODON. 771. Frutex ſepedalis, ad ſepes frequens.

Amarum ſaporem cum adſtrictione folia praebent. In ſcorbutica dentium laxitate et angina catarrhali gargarizationes cum ipſis fiunt. Aquam diſtillatam ad linguae fiſſuras GABELCHOVERVS laudat.

Linnaea.

Campanula ſerpillifolia C. B. *Pin.* 93. Linnaea, LINN. *Fl. Lappon.* 250. t. 12. f. 4. in ſyluis Suecicis et alpibus Italicis frequens.

Diureticam virtutem poſſidet et demulcentem. Angermanni in cataplaſmate coctam, vel in fomento, partibus rheumatico dolore vexatis, praeſentaneo cum effectu, imponunt. LINN. Officinas nondum intrauit.

Linum catharticum.

Linum pratenſe, floſculis exiguis, C. B. *Pin.* 214. Linum foliis oppoſitis ouato-lanceolatis, petalis acutis, LINN. *Fl. Suec.* 255. Linum foliis coniugatis, petalis albis acutis, HALL. *Helu.* 372. in pratis humidis.

Amariſſima planta. Clementer purgat in ſero lactis vel aqua, ad manipulum infuſa ſiue calide, ſiue frigide; vbi vero per noctem macerari eam oportet. De ſicca planta drachma ſumitur. Nephriticis inprimis et arthriticis conducit. SLEVOGT. *Progr.*

Lobelia.

Lobelia.

Trachelium Americanum, flore coeruleo, LOB. *Ic.* Rapunculus galeatus Virginianus, flore violaceo maiore, MORIS, *Hiſt.* 2. p. 466. Lobelia caule erecto, foliis ouato-lanceolatis, crenatis, calycum ſinubus reflexis, LINN. *Cliff.* 426. In Virginia creſcit.

Decantatiſſimi et moltoties iam probati vſus plantae in lue venerea, mercurio virtute prorſus ſuppar. *Act. Suec.* Digniſſima igitur, quae in materia medica recipiatur.

Muſcus arboreus ſ. quercuum.

Vſnea vulgaris, loris longis implexis, DILL. *muſc.* 56. T. 11. f. 1. Lichen filamentoſus pendulus, ramis implexis, ſcutellis radiatis, LINN. *Fl. Suec.* 984. ad annoſas quercus.

Adſtringit, et ad tuſſim acrem, ferinam, commendatur in decocto, BAGLIV. p. 115. Valere etiam in aliis morbis conuulſiuis, ID. Externe vtuntur tanquam ſtiptico.

Muſcus caninus.

Lichenoides digitatum cinereum, lactucae foliis ſinuoſis, DILL. *muſc.* 200. T. 27. f. 102. Lichen foliaceus repens, lobatus, obtuſus, planus, ſubtus venoſus, pelta marginali aſcendente, LINN. *Fl. Suec.* 961. ad lapides et in ſyluis aceroſis.

Is muſcus, quem vulgo *cinereum terreſtrem Raii* cognominant, ad hydrophobiam, admiſtu piperis, primum a DAMPIERIO, deinde SLOANIO et MEADIO commendatus fuit, *Trans. phil. n.* 237. Verum de eius virtute *van* SWIETEN, cum praeceptore ſuo, dubitauit, *T. III. p.* 587. Minantem tamen hydrophobiam eum auertere, *Fränk. Samml.* I. p. 494.

Muſcus catharcticus.

Muſcus catharcticus ſiue Islandicus purgans BORRICH. *Act. Dan.* 1671. obſ. 66. p. 126. Muſcus pulmona-

monarius terreſtris ſanguineus BREYN. *E. N. C. dec. I. ann. III. obſ.* 289. *c. ic.* Lichen foliis oblongis laciniatis, marginibus conniuentibus ciliaribus, LINN. *Fl. Lappon.* 445. in montanis et alpinis ad terram et ſaxa naſcitur.

Amarus eſt, aluum ducit iunior, BORRICH. ſiccus vero edulis eſt, quum ante amarities aqua excoquitur, ID. HIAERNE *act. lab. ch. Tentam. VI.* et ad vitam phthiſicorum ſuſtentandam in iuſculó vel lacte coctus ab Islandis et Suecis copioſe adhibetur, LINN. *l. c.* Vulnerarius etiam eſt, et ad haemoptyſin et coagula ſanguinis ex lapſu vtiliſſimus. HIAERNE *l. c.*

Muſcus clauatus.

Muſcus terreſtris clauatus C. B. *Pin.* 360. Lycopodium caule repente, foliis patulis, pedunculis ſpica gemina terminatis, LINN. *Fl. Suec.* 859. in montanis et ſyluoſis.

Decocto ex aqua vel cereuiſia Poloni frequenter vtuntur ad citandam plicam, idemque bis terue de die capiti calide cum linteis applicant. Quo fotu ſpaſmi ac dolores ſopiuntur, cutis arida emollitur, et pori obſtructi reſerantur, ERNDTL. *Varſau.* p. 210. Interne etiam adhibent.

Muſcus cumatilis.

Lichenoides ſubglaucum cumatile, foliis tenacibus eleganter laciniatis, DILL. *muſc.* 197. T. 26. f. 99. Lichen foliaceus, repens, lobatus, obtuſus, planus, verrucis ſparſis, pelta marginali aſcendente, LINN. *Fl. Suec.* 963. in iuniperetis.

Impetu ſeceſſum mouet, et ad vermes inprimis expellendos ahthasque extollitur. Ruſticis Suecicis vſitatiſſimus eſt. LINN.

Muſcus pulmonarius.

Pulmonaria FVCHS. *hiſt.* 637. Lichen pulmonarius ſiue pulmonaria arborea I. B. III. p. 759. Lichenoides peltatum, arboreum, maximum, platiphyl-

phyllum, DILL. *Gieſſ.* 208. Lichen foliaceus repens, laciniatus, obtuſus, glaber, ſupra lacunoſus, ſubtus tomentoſus, LINN. *Fl. Suec.* 960. ad quercus et fagos antiquas; et in Sibiria ad abietes.

Adſtringit et ſiccat: Sibiriacus amaricat. GMELIN *Iter Sib.* III. p. 426. Tuſſientibus et ictericis auxiliatur. *E. N. C. ann. III. obſ.* 290. Sibiriaci loco lupuli cereuiſiae incoquunt. GMEL. *l. c.*

Muſcus pyxidatus.

Lichen pyxidatus, oris coccineis et tumentibus, VAILL. *Paris* 115. T. 21. f. 4. Lichen ſcyphifer ſimplex, integerrimus, ſtipite cylindrico, tuberculis coccineis, LINN. *Fl. Suec.* 972. in ſyluis.

Commendatur infuſum ad tuſſim conuulſiuam.

Nepeta.

Mentha cattaria vulgaris et maior C. B. *Pin.* 228. Nepeta floribus interrupte ſpicatis, pedunculatis, LINN. *Fl. Suec.* 486. in ſyluis et rudetis.

Amaritudine ſua et peculiari odore oſtendit, quod non inefficax ſit. Efficax autem eſt, docente vſu, ad pellendos menſes, et flatus, et vermes, et aperienda obſtructa viſcera. Modus vtendi eſt vel in ſucco, qui ad vncias duas ſumitur, vel in infuſo vinoſo, vel in decocto, etiam in pediluuiis et inſeſſu.

Onagra.

Lyſimachia lutea corniculata C. B. *Pin.* 516. Onagra foliis ouato-lanceolatis planis; HALL. *Helu.* 410. in pratis.

Abſtergentem eſſe et vulnerariam, HERMANNVS notauit; ſed rariſſimi vſus eſt.

Ononis.

Ononis ſpinoſa, flore purpureo, C. B. *Pin.* 389. Ononis floribus ſubſeſſilibus, ſolitariis, lateralibus,

caule

caule ſpinoſo, LINN. *Fl. Suec.* 623. Anonis floribus pene ſeſſilibus, vaginis foliorum ampliſſimis, ramo quolibet in ſpinam terminato, HALL. *Helu.* 589. ad vias et margines agrorum.

Aperit et vrinam ciet. Verno tempore nonnulli ex germinibus recentibus acetaria parant, ſcopo et aperitiuo et antiſcorbutico. Hungari decocto vinoſo totius plantae, cui cepam et aliquot caryophyllos addunt, ſalutariter caput et artus lauant ter de die in febre maligna, ad deliriorum mitigationem. SCHüLLER *diſſ.*

Oreoſelinum.

Apium montanum folio ampliore C. B. *Pin.* 153. Oreoſelinum CLVS. *hiſt.* II. 195. RIV. *pentap.* Selinum pinnis ad angulos obtuſos pinnatis, pinnulis inciſis, non ſerratis, LINN. *Fl. Suec.* 228. HALLER. *Helu.* 444. in paſcuis montoſis.

In Saxoniae ſuperioris officinas inde ab aliquo tempore introducta eſt, tanquam medicamentum, quod infuſione ex aqua ſumtum, vrinam bene moueret, et mucum de pulmonibus atque ſtomacho ſine magno impetu abſtergeret. Palato gratum eſt infuſum, et colore citrino non modo, ſed et ſimili ſapore ac odore ſe commendat. Extractum aquoſum ad quinque grana ieiuno ſumtum, mucum itidem de pulmonibus expurgat, SCHMIEDEL *diſſ.* p. 41. cui etiam infuſum in gonorrhoea profuit, p. 40.

Paris.

Solanum quadrifolium bacciferum C. B. *Pin.* 167. Aconitum ſalutiferum, TAB. 1095. Paris foliis quaternis LINN. *H. Cliff.* 153. in ſyluis.

Narcotica planta et odore, et ſapore, et interno vſu, quae ſuccum dat refrigerantem, opii aemulum, GESNER. *ep.* p. 32. b. Externe vero folia carbunculos exſtinguunt, ſi ipſis contuſa imponantur, ID. et IOEL *Opp. V. lib. I. ſect.* 3. inflammationesque item ſcroti et teſtium ſiſtunt. HARTMANN. *Prax.* p. 674.

Pedicu-

Pedicularis.

Pedicularis pratenſis rubra elatior RAI. *hiſt.* 700. Pedicularis caule ramoſo, calycibus punctis tuberculoſis, corollae labio obliquo, LINN. *Fl. Suec.* 505. in paſcuis paludoſis.

Ingrata quidem eſt ſapore et odore, ſed grata tamen virtute abſtergente et vulneraria, quam monſtrat in expurgandis vlceribus ſinuoſis atque fiſtulis, inprimis, ſi interne decoctum ſimul praeſcribatur, *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 158.

Pentaphyllum.

Quinquefolium maius repens C. B. *Pin.* 325. Potentilla foliis digitatis, caule repente, pedunculis vnifloris, LINN. *Fl. Suec.* 418. Potentilla foliis quinatis, longe petiolatis, caule repente, HALLER. *Helu.* 340. in locis ruderoſis.

Vulnerariam eſſe et adſtringentem, hinc ad viſcerum imbecillitates, febres intermittentes, ventrisque et ſanguinis fluxus proficuam, multi contendunt. In gargariſmis eodem ſcopo prodeſt; et gingiuarum quoque exulcerationi, dentiumque doloribus et vacillationi medetur.

Peragua, vulgo *Apalachine.*

Caſſine foliis oblongis ſerratis, LINN. *Spec. Pl.* 268. Frutex aethiopicus, alaterni foliis, SEB. *theſ. I.* p. 46. T. 24. f. 5. in Carolina et Aethiopia.

Planta amara, cui vis eſt vomitum moderate ciendi, quem in finem infuſum eius apud Americanos valde celebratum eſt, ſicut quotannis certo anni tempore ad ripas maris, vbi frutex copioſe naſcitur, conueniant, quemadmodum apud nos ad fontes minerales, et in conſeſſu vas infuſo feruido repletum vnus alteri porrigat: quod cum per tres dies continuauerint, quilibet magnam copiam foliorum colligit, et ſecum domi transportat. Metallicolis etiam et incolis Peruani regni circa celebres illas fodinas Potoſianas crebro in vſu

eſt.

eſt. Ceterum aduerſus diabeten tanquam ſpecificum laudatur, et ad bilioſam colicam.

Perſicaria.

1. Perſicaria mitis maculoſa LOBEL. *Icon.* p. 315. Perſicaria foliis non ſerratis, pene glabris, vaginis foliorum ciliaribus, ſpicis denſioribus, HALL. *Helu.* 180. Perſicaria floribus hexandris digynis, LINN. *Fl. Suec.* 319. inter ſegetes et ad ſcrobes.

Sapor mitis, nitroſus, acidulus, adſtringens. Ad gangraenam ſiſtendam, TOVRNEF. et ad vlcera repurganda commendatur decoctum tam in epithemate, quam iniectione. CRATO *Ep. L.* 3. p. 281. Aquam diſtillatam inter ſecretiora contra calculum remedia laudarunt BOYLEVS *Vtil. phil. exper.* p. 160. et BAGLIV. *Opp.* p. 118. verum non reſpondit BOERHAAVIO *Prael.*

2. Perſicaria vrens ſeu Hydropiper C. B. *Pin.* 101. Perſicaria acris, ſpicis longis ſtrigoſioribus, vaginis non ciliatis, HALL. *Helu.* 181. Polygonum foliis lanceolatis, floribus hexandris ſemidigynis, LINN. *mat. med.* 187. in locis ſubhumidis.

Sapor ex vrente et acido mixtus. Infuſum paſſulis vel acetoſa temperatum laudem promeruit in morbo regio et hydrope, *Commerc. Nor.* 1739. *hebd.* 18. aqua vero diſtillata in nephritide calculoſa, ſi ad vncias duas vel tres epotetur, *ib.* Externe decoctum pariter, ac prioris (1) ad vlcera commendatur, et ad tumores oedematoſos. BOERH.

3. *α*) Potamogeton ſalicis folio C. B. *Pin.* 193. Perſicaria foliis ſerratis, ſpica denſa cylindrica, HALL. *Helu.* 180. Perſicaria floribus pentandris, digynis, corolla ſtaminibus breuiore, LINN. *Fl. Suec.* 318. *β*) Perſicaria acida peculiaris Iungermanni HOFFM. *Fl. Alt.* TREW *Commerc. Nor.* 1737. *T.* 5. *f.* 12.

Haec planta amphibia eſt. In aquis monſtrat folia levia, plana, et caulem procumbentem tuncque eſt *α*): in terram vero tranſpoſita, caulem erectum et folia

hirſuta et ſtrictiora, tuncque eſt β). Atque de hac poſteriori peculiarem conſcripſit SCHVLZIVS diſſertationem. Laudatur tanquam vulneraria, et quod a calculis hominem liberet.

Phytolacca.

Solanum racemoſum Americanum PLVKN. *Almag.* 353. T. 225. f. 3. Phytolacca Mexicana, baccis ſeſſilibus, DILLEN. *H. Elth.* 218. T. 239. f. 308. Phytolacca foliis integerrimis LINN. *H. Cl.* 177. in Virginia et Mexico.

Succus plantae adultioris acris et corroſiuus eſt, quum recens edulis ſit. Illius vim ante aliquod tempus eximiam expertus eſt Medicus Anglus in cancro aperto labiorum et mammae, quem non ſine dolore erodit, deincepsque ſanat, ſi pauliſper inſolatus, ipſi aliquamdiu applicatur. Cl. PONTIVS vim narcoticam plantae tribuit; at nemini adhuc talem monſtrauit. *Recueil des pieces, qui ont remport. le prix de l' Ac. de Chir. T. I.*

Plumbago.

Lepidium Dentillaria dictum C. B. *Pin.* 97. Plumbago foliis amplexicaulibus LINN. *H. Cliff.* 53. in regno Neapolitano, Syracuſa et agro Monſpelienſi.

Etiam haec planta ſucco vrente turget, qui ad cancrum vtilis eſt, ſic vt oleum oliuarum, cui folia infuſa ſunt, ſaepius vlceri illinatur. SCHREIBER p. 68.

Porrum.

Porrum ſectiuum iuncifolium C. B. *Pin.* 72. Cepa ſcapo longitudine figuraque foliorum, foliis ſubulatis, filiformibus, ſpathis globoſis, LINN. *H. Cliff.* 136. Allium ſcapo nudo, folia adaequante, foliis teretibus ſubulato filiformibus, ID. *H. Vpſ.* 78. Allium ſtaminibus ſimplicibus, foliis radicalibus teretibus, ſcapi longitudine, HALL. *All.* 28. In agris colitur et hortis.

Odor

Odor alliaceus, ſapor ſimilis, at non ita acris. Pota et comeſta in vrina pellenda et diſſoluendo calculo multum valet, LOBB. *exper.* 97. vt HIPPOCRATES iam narret, foeminam ex longo eſu porri ſubito a calculo vterino liberatam eſſe, qui diu illam cruciaſſet, *Epid. L.* 5. *Sect.* 7. Porro ſuccum aſſumtum, et omni cibo porrum ipſum adiectum, vlceribus internis medicamentum eſſe, CELS. *L.* 3. *c.* 27. Eundem denique haemorrhagias ſiſtere, FALLOP. et abortum praecauere, ſicque foemellas foecundas reddere, SCHOL. SAL.

Brunella.

Brunella maior, folio non diſſecto, C. B. *Pin.* 460. Brunella bracteis cordatis, LINN. *Fl. Suec.* 498. Brunella foliis dentatis, ſpica folio minore, HALL. *Helu.* 636. in humectis.

Sapor modice amarus et ſubadſtringens. Virtus vulneraria. Quo ſcopo contuſa ad ſupprimendum ſanguinem vulneribus imponitur; interne vero decocti ſpecie in ſanguinis profluuiis vſurpatur. Pro gargarizationibus in angina et aphthis inſeruit. Carbunculos ſe huius plantae ope perſanaſſe, et CAESALPINVS et GVYDE LA BROSSE teſtantur p. 51.

Ranunculus.

α) Ranunculus pratenſis erectus acris C. B. *Pin.* 178. Ranunculus calycibus patulis, pedunculis teretibus, foliis tripartito multifidis, ſummis linearibus, LINN. *Fl. Suec.* 466. Ranunculus caule erecto multifloro, folio pentagono, lobis ſeſſilibus, HALLER. *Helu.* 324. in ſyluis et pratis.

β) Ranunculus longifolius, aliis Flammula, I. B. III. b. 848. Ranunculus longifolius paluſtris minor C. B. *Pin.* 180. Ranunculus foliis ouato-lanceolatis (integerrimis), petiolatis, caule declinato, LINN. *H. Cliff* 228. HALLER. *Helu.* 322. in vliginoſis.

Vtraque planta contuſa, magis tamen poſterior, ob ſummam acrimoniam, pro veſicante inſeruit, et utiliter adhibita fuit in dolore capitis a CHESNEAU *obſ.* p. 11. et 420. qui ipſi capiti eam applicauit; in iſchiatico morbo a BAGLIVIO p. 113. ab agyrta vero in arthritico, quem fruſtra curaſſent FABRICIVS et CAPIVACCIVS. Eodem fomento, carpo applicato, febres intermittentes exſtingui, ait GABELCHOV. *L.* 6. *obſ.* 112. p. 277. Decoctum ex cereuiſia epilepſiae mederi, *Fränk. Samml.* I. p. 428. Aquam diſtillatam, e floribus potiſſimum, vomitionem ciere, ſicque febres epotam exſtinguere, PECHLIN. *Obſ.* II. 59. et BRESLAV. *Tent.* I. p. 30.

Ruta muraria ſ. Paronychia.

Ruta muraria C. B. *Pin.* 356. Aſplenium frondibus alternatim decompoſitis, foliolis cuneiformibus crenulatis, LINN. *Fl. Suec.* 855. Aſplenium ramis duplicato-ramoſis, pinnis ſerratis, aequalibus et laxe diſpoſitis, HALL. *Helu.* 137. in locis ſaxeis et ad muros.

Inter herbas capillares cenſetur. Laudatur praecipue tanquam tonicum et pectorale medicamentum in tuſſi (BOYLE), ad rumpendam vomicam (CHOMEL), et ad ſcorbutum (MICHAEL.). Sed vbique vſus diuturnus infuſi requiritur; cui non inutiliter mel admiſcetur. Puluerem ad quadraginta dies interne ſumtum, nonnulli ad hernias infantum commendant: eſſentiae uſum ad hypochondriacam affectionem. Denique mulierculae ſolent in aphthis infantum faſciſculo ex hac herba recenti parato et melle roſarum imbuto, mucum oris et faucium abſtergere, indeque maiorem effectum exſpectant, quam ſi ſimplici penicillo abſterſiſſent. SCHVLZ.

Salicaria.

Lyſimachia ſpicata purpurea C. B. *Pin.* 246. Lythrum foliis oblongis, acutis (oppoſitis) floribus verticil-

ticillatis, LINN. *Fl. Lapp*, 197. Salicaria floribus ſpicatis, foliis coniugatis, HALL. *Helu.* 405. ad ripas fluuiorum et in ſalicetis.

Vulnerariam eſſe, et ad lippitudinem laudari, lego.

Salicornia ſ. Kali.

Kali geniculatum C. B. Salicornia articulis apice craſſioribus obtuſis LINN. *mat. med.* 8. in locis maritimis et ad ſalinos fontes.

Haec eſt celebrata illa planta, ex qua ad mediterraneum mare per combuſtionem *Sodam* praeparant. Quae cum ad varios vſus, vitriarium, ſaponarium et chemicum adhibetur, hoc loco debebat nominari. Ceterum plantae ſapor acris et ſalſus eſt, vt interne in decocto ad diureſin mouendam, externe ad ſcabiem adhiberi poſſit: Sal vero ad abſceſſus rumpendos et ad carnem ſupercreſcentem auferendam.

Salix.

Salix vulgaris arboreſcens C. B. *Pin.* 473. Salix foliis lineari-lanceolatis, acuminatis, ſerratis, vtrinque pubeſcentibus, ſerraturis infimis glanduloſis, LINN. *Fl. Suec.* 812. ad fluuios et in ſubhumidis.

Omnes ſalices amaricant cum auſteritate quadam, et refrigerant: quo fine nonnulli recentium ſucco, et ſiccorum foliorum decocto ad alui fluxus, et peruigilia moderanda vtuntur; alii inſuper ad deprimendam venerem; at ſine fido experimento. Recentia folia contuſa DEIDIER commendauit ad tumorem genu diſſipandum *Obſ. T. II.* Aquam tenerorum ſurculorum diſtillatam nonnulli vt nephriticam laudant.

Saluadora.

Saluadora GARCIN *Phil. Trans.* 1749. *n.* 491. LINN. *Gen. nou.* 1097. inter Arabiam et Perſiam ad vias creſcit, et in ſiccioribus locis.

Odor fortis plantae et ad octo pedes iam percipiendus. Adhibetur ab incolis ad ſcorpionum morſus. GARC. *l. c.*

Santolina.

Abrotanum foemina, foliis teretibus, C. B. *Pin.* 136. Santolina foliis quadrifariam dentatis, pedunculis vnifloris, LINN. *H. Cliff.* 397. Suffrutex Hiſpanicus, aliarumque regionum calidarum, apud nos in hortis colitur.

Amaro pollet ſapore, odore fragrante. Ad vermes enecandos, et diſcutiendos flatus valet, item ad fluorem album compeſcendum. Nonnulli etiam infuſum, quod ſudorem mouet, in pleuritide commendant.

Scorodonia.

Petiueria ſolani foliis, loculis *ſpinoſis*, PLVM. *gen.* 50. Verbenae aut Scorodoniae affinis anomala, flore albo, calyce aſpero, allii odore, SLOAN. *Iamaic.* 64. Petiueria LINN. *Act. Holm. VI.* p. 287. T. 9. Frutex, in Iamaicae ſiluoſis et Gallia aequinoctiali creſcens.

Odorem et ſaporem habet allii. Vrinam citat et pituitam diſſoluit. Ad febres intermittentes et calculum poſſe, LINNAEVS credit *l. c.* Iumentorum hac planta paſtorum carnes ita inde afficiuntur, vt prae ingrato ſapore comedi non queant. ID.

Scrophularia.

1. Scrophularia nodoſa foetida C. B. *Pin.* 223. Scrophularia foliis cordatis, caule obtuſangulo, racemo terminali, LINN. *Fl. Suec.* 520. Scrophularia foliis cordatis, coniugatis, caule et ramis ſpica nuda paniculata terminatis, HALLER. *Helu.* 619. ad vias et foſſas non aquoſas.

2. Scrophularia aquatica maior C. B. *Pin.* 235.

Scro-

Scrophularia foliis cordatis petiolatis decurrentibus, caule acutangulo, recemis terminalibus, LINN. *H. Vpſ.* 177. Scrophularia foliis coniugatis, ex elliptico decreſcentibus, caule et ramo paniculatis, nudisque ſpicis terminatis, HALL. *Helu.* 618. in aquoſis.

Vtriusque folia trita foetida ſunt, et amara. Vires habent vulnerarias; et non alia planta, quam priori vulnera in obſidione Rupellenſi ſanata fuiſſe, CHOMELIVS refert. Etiam puluis foliorum eiusdem in antiquis vlceribus extollitur. Poſteriorem eſſe *Liquitaiam* Braſilienſium, qua addita nauſeoſus Sennae ſapor corrigatur, viribus eiusdem non imminutis, MARCHANTIVS edidicit per experimenta, *Mem. de l' Ac. de Par.* 1701. in quem commentatur LOCHNERVS *E. N. C. cent.* 7. *obſ.* 65. Sed haec ſpecies noſtras officinas nondum ingreſſa eſt; et putat LINNAEVS, prioris folia idem praeſtare, *Mat. med.* 311.

Selago.

Muſcus terreſtris abietiformis RAI. *Hiſt.* p. 121. Selago foliis et facie abietis RVPP. *Ien.* p. 330. in montanis.

Et vomitorium eſſe et purgare, eoque ſcopo in Caſſubia vulgo adhiberi, BREYN. *E. N. C. dec. I. ann. I. obſ.* 149. BRESLAV. 1718. M. Febr. et 1721. M. Apr.

Senecio.

Senecio MATTH. 794. Senecio minor vulgaris C. B. *Pin.* 131. Senecio foliis pinnato-ſinuatis, amplexicaulibus, floribus nudis, ſparſis, LINN. *Fl. Suec.* 690. HALL. *Helu.* 733. in cultis et ruderatis.

Saporem herbaceum monſtrat, vtcunque nitroſum. Aeſtum temperat, et vulnerariam poſſidet virtutem. Ad gargarizationes in anginis, et teſtium ac mammarum inflammationes et ſcirrhos, in lacte cocta, externe

 admo-

admouetur. In colica etiam ſpaſmodica infantum prodeſſe, LENTIL. *Eteodr.* p. 502. Contritam et ventriculo admotam, vomitum ciere, et febres ſanare, *Eſſais of Edinb. II.* p. 47. niſi forte, quod ſuſpicor, Edinburgenſes *Erigeri* nomine, quo vſi ſunt, aſterem illum aruenſem coeruleum acrem, qui etiam hoc nomine inſignitur, intellexerint.

Soldanella.

Soldanella marina minor C. B. *Pin.* 296. Conuoluulus foliis reniformibus LINN. *H. Cliff.* 67. ad littora maris mediterranei.

Succo lacteo turgida eſt, quo purgat. Datur is ſuccus ad ſemunciam; decoctum eadem doſi; puluis autem ad drachmam. Recentia folia oedema pedum externe minuunt: comeſa ad vnciam vnam a robuſtis, bene ſeceſſum mouent.

Sonchus.

Omnes Sonchi ſucculenti ſunt, amari, ſaponacei, ad obſtructiones viſcerum reſoluendas vtiliſſimi, et cichorio praecellentes. SYLVAT. In pleuritide etiam ſalutarem eſſe ſuccum, BOCCON. *muſ. di Piant.* p. 41. et carbunculos impoſitis foliis ſanari, ID. p. 40. Specialiter vero nobis adhuc memorandus eſt.

Sonchus laeuis laciniatus coeruleus, ſeu alpinus coeruleus, C. B. *Pin.* 124. Sonchus Lapponum altiſſimus, floribus coeruleis, LINN. *Fl. Lapp.* 290. Cuius caulem Lappones, eodem teſte, inter gratiſſima obſonia cenſent, et ad orexin adhibent, MONTIN *diſſ.* p. 20. ſic quidem, vt caulem crudum, antequam flores explicentur, decerptis foliis diſſecent, corticem fibroſum et tenacem detrahant, carnoſamque dein partem edant.

Spigelia.

Arapabaca quadrifolia, fructu teſticulato, PLVM. *gen.*

gen. II. BARREL *Equin.* 15. Spigelia LINN. *Spec. Pl.* p. 149. Spigelia ramis indiuiſis, foliis terminantibus verticillatis, BüTTNER. in Caïenna et Braſilia.

Tanquam medicamentum anthelminticum laudatur a BROWNE in *Gentl. Magaz. M. Decemb.* 1751. ſic quidem, vt per 36. vel 48. horas, totidem vaſcula pro Thee potu deſtinata, decocti eiusdem hauriantur. Quo facto, effectum anodynum, inſtar opii, edit. Poſt ſomnum vero purgans medicamentum exhiberi oportet, quo vermes vel viui vel mortui ſecedant. Nouiſſime Cl. BERGIVS experimentis ſuis hunc vſum confirmauit. LINN. *diſſ. ſpecif. Canadens.*

Telephium.

Anacampſeros vulgo Faba craſſa I. B. *hiſt.* III. p. 681. Telephium vulgare C. B. *Pin.* 288. Sedum foliis planiuſculis patentibus ſerratis, corymbo terminali nudo, LINN. *Fl. Suec.* 386. Sedum foliis ſerratis ellipticis, vmbella caulem terminante denſiſſima, HALLER. *Helu.* 394. ad ſepes.

Folia turgent ſucco acidulo, miti, glutinoſo, quo refrigerant et humectant, et ad vrinae ardores, et diarrhoeam, maxime epoto ſucco, faciunt; externe vero ad ambuſta, ſi contuſa ipſis admouentur. Ad hydropicorum crura applicata nocuerunt frigore. BRESLAV. 1722. M. Sept.

Teucrium.

Chamaedrys ſpuria anguſtifolia C. B. *Baſ.* p. 72. Veronica montana RIV. T. 94. Teucrium verum *Act. Berol. II. dec. I. n.* 5. Veronica foliis imis cordatis, ſuperioribus anguſtioribus ellipticis, ex alis racemoſa, HALL. *Helu.* 529. in paſcuis montoſis.

Hanc plantam cum multis encomiis pro infuſo diaetetico commendarunt *Berolinenſes.* Olim ad obſtructiones viſcerum et cachexiam praedicauit LOBEL. *aduerſ.* p. 209.

Tilia.

Tilia foemina, folio maiore, *C. B. Pin.* 426. Tilia LINN. *H. Cliff.* 204. Tilia foliis amplioribus, mollibus, ſubhirſutis, HALL. *Helu.* 357. Arbor frequens, in areis et compitis.

Folia adſtringunt: vtilia ſunt ad oris vlcera, commanducata, aut ſi decocto colluantur: pota vrinam ac menſes cient, DIOSC. in cataplaſmate ad teneſmum et inflammationes valent.

Trichomanes.

Trichomanes ſ. Polytrichum officinarum C. B. *Pin.* 356. Aſplenium frondibus pinnatis, foliolis ſubrotundis crenatis, LINN. *Fl. Suec.* 854. in rupibus.

Refertur inter herbas capillares, et virtute pectorali ſubadſtringente ipſis conuenit.

Viſcago.

Lychnis viſcoſa, flore muſcoſo, C. B. *Pin.* 206. Muſcipula muſcoſo flore ſ. Ocymoides bellidiforme I. B. III. p. 350. Viſcago foliis imis petiolatis, floribus verticillatim ſpicatis, petalis indiuiſis, ſexu diſtincta, HALL. *Helu.* 375. in ſyluis montoſis.

Infuſum vinoſum huius plantae commendatum fuit in theriaca pro certiſſimo medicamento ad hydrophobiam, *Phil. Trans. n.* 443. et SLOANE in *Ep. ad Rai.*

Vlmi folia.

Vlmus campeſtris et Theophraſti C. B. *Pin.* 386. Vlmus (fructu membranaceo) foliis inaequaliter ſerratis LINN. *Fl. Suec.* 219. Arbor vulgaris in ſepibus et ſyluis.

Tota arbor vim habet ſpiſſandi. Folia vulnera glutinant: et fracta oſſa ſolideſcunt, ſi decocto eorundem foueantur, DIOSC. Succus maculas oculorum, pannos nebulasque delet, HEERS *obſ.* 4. p. 72.

p. 72. BAEVMLER. vulneribus inſtillatus, eadem glutinat, FALLOP. Humor, in folliculis enaſcens, quos muſcae faciunt, cuti illitus nitorem inducit, faciemque ſplendidiorem praeſtat, DIOSC. oculique et corneae vulnera absque cicatrice conſolidat, SACHS *diſſ.* Puluis foliorum in doloribus colicis et nephriticis ſedandis ſpecificum habetur, BAGLIV. p. 100.

Vua vrſi.

Vua vrſi CLVS. Hiſt. I. p. 63. Arbutus caulibus procumbentibus, foliis integerrimis, LINN. *Fl. Lapp.* 162. Suffrutex vulgaris in Hiſpania, et collibus ſabuloſis Sueciae, maximeque Gottlandiae.

Inde ab aliquot annis commendatus fuit puluis foliorum a *Monſpelienſibus* ad praecauendos dolores nephriticos et ad ipſum calculum diſſoluendum, viasque vrinarias a muco viſcido liberandas. Praeſcribitur, notante BARBEIRAC (*Formul. med.* p. 163.) a ſcrupulo vsque ad integram drachmam, et alternis tantum diebus datur in iuſculo carnis aut infuſo foliorum Thee vel capillorum veneris mane ieiuno ventriculo; die autem interpoſito hauritur cyathus amplus decocti parietariae. Cl. SAUVAGES quum ſolum puluerem quotidie per decem dies praeſcripſiſſet ad drachmam dimidiam, calculos contritos fuiſſe obſeruauit. In adſtringente virtute foliorum, qui inſignis eſt, ſine dubio is effectus poſitus eſt.

III. OBSOLETA.

Alnus.

Alnus rotundifolia glutinoſa viridis C. B. *Pin.* 428. Betula pedunculis ramoſis LINN. *Sp. Pl.* p. 983. Arbor vulgaris in ſyluis et pratis.

Folia, vti tota arbor, adſtringentem ſuccum continent, fere quercui geminum: quare ad decocta adſtringentia conueniunt. Aliquatenus etiam anodyna eſſe,

eſſe, et tumoribus et nodis mammarum, vt et vlceribus tibiarum et fonticulis prurientibus et inflammatis maximo cum fructu imponi, SCHVLZ. Eadem affectum ſpaſmodicum a veneficio inductum ſola percuraſſe, plantis pedum admota, in *E. N. C.* legitur. Sed in ſacculis ſudorem quoque mouere, vt BORELLVS narrat *Cent. I. obſ.* 31. quin etiam in lecto, loco ſtraminis adhibita, vti WELSCHIVS *Miſſom.* p. 62. fere paradoxum videtur.

Alſine.

Alſine vulgaris ſ. Morſus gallinae I. B. III. b. 363. Alſine foliis ouatis, cordatis, floribus trigynis, LINN. *Fl. Suec.* 369. Alſine pentaſtemon, foliis bipartitis, HALL. *Helu.* 386. in aruis et cultis.

Salſa et ſubacida eſt. Emolliente, humectante et refrigerante virtute gaudet; vnde antiſcorbutica et phthiſicis ſalutaris eſca aeſtimatur. SCHROED. Externe vidit SCHVLZIVS vtiliſſime adhibitam butyro frixam calideque impoſitam, in tumoribus nodisque mammarum a coagulato lacte: alii ex lacte caprarum coctam imponunt, alii recens contuſam adhibent.

Antirrhinum.

1. Antirrhinum aruenſe maius C. B. *Pin.* 212. Antirrhinum corollis acaudatis, calycibus corolla longioribus, LINN. *H. Vpſ.* 176. Antirrhinum floribus ſparſis, ſeſſilibus, calyce breuioribus, calcare deſtitutis, HALL. *Helu.* 615. in aruis et inter ſegetes.

Vulgus hanc plantam aeſtimat, vt antimagicam, ſed certi vſus experimenta deſiderantur.

2. Cymbalaria MATTH. p. 1134. Antirrhinum foliis alternis cordatis, quinquelobis, LINN. *H. Cliff.* 323. Antirrhinum foliis alternis quinquelobis HALLER. 613. in muris.

Herbaceo eſt ſapore. Humectat, et leniter refrigerat cum adſtrictione, et aliqua amaritie. Vulnerariam

riam eſſe, ZWINGER *diſſ.* ad ſcabiem prodeſſe, WELSCH. *Miſcom.* p. 60.

3. Elatine MATTH. p. 1012. Linaria hirſuto folio acuminato, in baſi auriculato, C. B. *Pin.* 253. Antirrhinum foliis alternis haſtatis LINN. *H. Cliff.* 323. caule flaccido *H. Vpſ.* 175. Antirrhinum foliis imis coniugatis, ſuperioribus alternis, ad baſin hamatis, HALLER. *Helu.* 613. in aruis.

Longe magis amaricat, quam priores. Vulneraria ſimiliter iudicatur, neque deficiente experimento. In vetuſtis crurum vlceribus ſuccum ſalutarem expertus eſt GARIDEL. Vlcus cancroſum narium eo ſanatum fuiſſe, et ipſam lepram, LOBELIVS refert *adverſ.* p. 196. 197.

Bellis maior.

Bellis ſylueſtris, caule folioſo, maior, C.B. *Pin.* 261. Chryſanthemum foliis amplexicaulibus, ſuperne laciniatis, inferne dentato ſerratis, LINN. *Fl. Suec.* 699. in aruis.

Folia cum floribus vulneraria ſunt, vrinam mouent, tuſſientibus, empyicis, et phthiſicis auxiliantur, WALDSCHM. *Opp.* p. 155. in ſucco aut decocto, quod acre et pene piperis ſapore eſt.

Bellis minor.

Bellis ſylueſtris minor C. B. *Pin.* 261. Bellis ſcapo nudo vnifloro, LINN. *Suec.* 707. in pratis et hortis.

Huius folia et flores ſanguinis et bilis feruorem temperant, et coagula ſanguinis diſſoluunt. Succum rubrae inprimis in catarrho ſuffocatiuo hoc ſcopo valdopere commendauit BAGLIVIVS p. 93.

Bugloſſum.

Bugloſſum anguſtifolium maius C. B. *Pin.* 256. Anchuſa foliis lanceolatis, ſpicis imbricatis ſecundis, LINN. *Fl. Suec.* 152. Bugloſſum floribus longe ſpicatis HALL. *Helu.* 523. in pratis et hortis.

Olera-

Oleracea planta et ſubacida; humectat et refrigerat. Succus ad aliquot vncias epotus laudatur ad melancholiam et affectionem hypochondriacam; item ad pleuritidem. BOERH. Decoctum cum lacte ad dyſenteriam, CHOMEL.

Buxus.

Buxus arboreſcens C. B. *Pin.* 461. Buxus LINN. *H. Vpſ.* 283. Arbor Galliae et Heluetiae indigena, apud nos in hortis frequens.

Folia amara ſunt et nauſeoſo ſapore. Ipſorum pulvis ad drachmam aſſumtus vehementer aluum purgat, et naturam adeo conturbat, vt ſanguis denique ſequatur; vnde ab vſu receſſerunt. Decocto eorundem pilos regenerari, ſi caput ipſo lauetur, LENTIL. *Jatromn.* p. 198.

Caprifolium.

1. Periclymenum rectum TAB. p. 899. Lonicera pedunculis bifloris, foliis ouatis, obtuſis, integris, LINN. *H. Cliff.* 98. Caprifolium floribus geminis, foliis ouatis, lanuginoſis, integerrimis, HALL. *Helu.* 464. Frutex, in ſepibus et dumetis.

Inter vulnerarias habetur, et quae in gargariſmo ad anginas prodeſt.

2. Periclymenum non perfoliatum Germanicum C. B. *Pin.* 302. Lonicera floribus capitatis, terminatricibus, floribus omnibus diſtinctis, LINN. *H. Cliff.* 58. Caprifolium floribus racemoſis HALL. *Helu.* 465. in ſyluis et hortis.

Similiter vulneraria eſt. Ad crurum vlcera vſus eſt a VIGO. Aqua habetur pro ophthalmica.

Cardiaca.

Marrubium Cardiaca dictum C. B. *Pin.* 187. Leonurus foliis caulinis lanceolatis trilobis LINN. *Fl. Suec.* 496. Cardiaca foliis trilobatis HALL. *Helu.* 639. in rudetis et ad vias.

Laudatur ad hypochondriacam affectionem et cardiacam puerorum ex inflatione ventriculi. Sudorificam eſſe, aiebat *Boerhaauius* (HALLER), et ea aſſumta, quaſi amarum fumum per omne corpus diſpergi; prodeſſe ergo, vbi pituita ſubſit.

Ceterach.

Ceterach officinarum C. B. *Pin.* 354. Scolopendria LOB. *ic.* p. 807. Aſplenium fronde pinnatifida, laciniis alternis adnatis, LINN. *H. Cliff.* 474. in Italia et Heluetia.

Inter quinque capillares numeratur. Adſtringente et tonica virtute pollet. Obſtructiones viſcerum, et morbos inde ortos, hydropem et aſthma, potenter reſerare creditur. FERNEL.

Conferua.

Alga viridis, capillaceo folio, C. B. *Pin.* 364. Conferua Plinii LOBEL. *ic.* II. 257. Conferua filis longiſſimis et ſimpliciſſimis HALL. *Helu.* 2. n. 6. in plerisque aquis.

Vulneratas partes et oſſa fracta mirabili celeritate glutinare dicitur, ſi ipſis imponatur, et arefacta aqua ſubinde humidetur. PLIN. *Hiſt. nat. L.* 27. *c.* 9. GARIDEL. p. 15. 16.

Cuſcuta.

Cuſcuta nuda, repens, filiformis, LINN. *Fl. Suec.* 138.

α) Cuſcuta maior C. B. *Pin.* 219.

Planta paraſytica eſt, quae variis plantis, vrticae, lupulo, lino adnaſcitur, foliis, et, vt videtur, etiam radice deſtituta. Amaroris adſtrictionisque particeps, ventriculum et alia viſcera, in decocto roborare dicitur, etiam obſtructiones hepatis et lienis ſoluere, indeque ictero, hydropi et melancholiae mederi.

β) Epi-

β) Epithymum ſ. Cuſcuta minor C. B. *Pin.* 219. Thymi inprimis, tum vero etiam maioranae, mari Syriaci, Chamaedryos et ſerpilli conſortium amans, eadem poſſe, ac prior, iudicatur, ſimulque aluum purgare, ſed ſine vero documento.

Cynogloſſum.

Cynogloſſum maius vulgare C. B. *Pin.* 257. Cynogloſſum foliis lanceolato-ouatis tomentoſis, corollis calycem aequantibus, LINN. *Fl. Suec.* 154. Cynogloſſum foliis amplexicaulibus, lingulatis, mollibus, hirſutis, HALL. *Helu.* 521. ad vias.

Odor plantae virulentus, vis opii ſimilis. BLAIR. Ad haemorrhagias ſiſtendas et alui fluxus et tuſſim commendatur, ad manipulum, GEOFR.; externe in cataplaſmate ad ambuſta. Internus vſus mihi ſuſpectus videtur, inprimis tanta copia, quantam Geofroy habet.

Damaſonium.

Plantago paluſtris ſ. aquatica TABER. p. 734. Damaſonium lato plantaginis folio VAILL. *Mem. de Par.* 1719. p. 35. Aliſina RVPP. *Fl. Ien.* p. 47. Damaſonium panicula verticillata, petiolis ramoſis, ſiliquis monoſpermis, HALL. 300. Aliſma fructu obtuſo trigono LINN. *H. Cliff.* 141. in paluſtribus.

Veſicas admota excitat: quo ſcopo in hydropicis ea vſus eſt I. R. CAMERAR. Iumentis comeſa, venenum eſt. FABREGOV. et LINDER. *de Ven.* p. 578.

Digitalis.

Digitalis purpurea, folio aſpero, C. B. *Pin.* 243. Digitalis foliis calycinis, ouatis, acuminatis, ROYEN. 292. in ſyluis montanis et hortis.

Acris eſt: intus aſſumta vomitum mouet et purgat; extus contuſa ad ſtrumas, podagram et rhachitidem ab Anglis praedicatur. De vtroque vero dubitat QVINCY p. 127.

Eryn-

Eryngium.

Eryngium vulgare C. B. *Pin.* 386. Eryngium foliis radicalibus pinnato-tripartitis dentatis LINN. *H. Cliff.* 87. Eryngium ramoſiſſimum, pinnis foliorum alatis, pinnatisque, HALL. *Helu.* 455. in campeſtribus.

Officinis noſtris, vt plures aliae, quas modo recenſui, ignota eſt. Sed laudauit mihi aliquis puluerem foliorum tanquam ſpecificum in hydrope non contemnendum, quod aliis remediis exquiſitis palmam praetulerit.

Eupatorium.

Eupatorium cannabinum C. B. *Pin.* 320. Eupatorium foliis digitatis LINN. *Fl. Suec.* 665. ad ripas fluuiorum, et in hortis ſubhumidis.

Valde amara eſt et odorata. Roborante virtute gaudet, ac diſcutiente, vt ad icterum a RAIO commendetur, qui id a ruſticis Belgis ſe didiciſſe ait; et ad hydropem ab HERMANN.

Filix.

α) Filix vulgo mas dicta ſ. non ramoſa I. B. III. b. 329. Polypodium fronde duplicato pinnata, foliolis obtuſis, crenulatis, peticlo ſtrigoſo, LINN. *H. Cliff.* 475. in dumetis, agris et ſyluis.

Angli et Bataui pueris rhachiticis ſubſternunt loco ſtraminis (BOERH). Hypochondriacis, vt plantae capillares, proficua iudicatur.

β) Filix foemina MATTH. 886. Filix ramoſa maior, pinnulis obtuſis non dentatis, C. B. *Pin.* 357. Pteris fronde ſupra decompoſita, foliolis pinnatis, pinnis lanceolatis, infimis pinnatifidis, ſuperioribus minoribus, LINN. *H. Cliff.* 473. Filix pinnis ramorum pinnatis, pinnulis non dentatis, HALL. *Helu.* 133. in ſyluis et ericetis, et agris ſterilioribus.

In cataplaſmate cocta vlceribus vetuſtis vtiliſſime imponitur. SCHVLZ. Ceterum vtriusque plantae

cinis ad fictilia Chinenſium paranda recipitur, BRESLAV. 1717. p. 244. aqua vero ſubactus, et in globulos formatus, deincepsque ſiccatus, lotricibus optime loco ſaponis inſeruit. *Act. Suec. IV.* p. 114.

Galega.

Galega vulgaris C. B. *Pin.* 352. Galega LINN. *H. Cliff.* 362. in Italia, Hiſpania, Heluetia; apud nos in hortis.

Odore et ſapore vix ſenſibili eſt; inſigni tamen virtute alexipharmaca olim celebrata, et in malignitate morborum, et in venenis animalium ictu inſertis. Sed fida experimenta deſunt.

Gnaphalium.

Gnaphalium Germanicum, I. B. III. p. 158. Gnaphalium caule dichotomo, ſphaeris floralibus in angulo diuiſionis ſeſſilibus, HALL. *Helu.* 700. in agris.

Adſtrictionis particeps eſt cum floribus, et in alui fluxibus adhibetur. Ad vermes etiam arcendos valere, et in verminoſis brutorum morbis, BOCCONE habet *Muſ. di Fiſic.* p. 148. Alii ad arthritidem quoque, et tuſſim ferinam commendant.

Hepatica nobilis.

Trifolium hepaticum, flore ſimplici coeruleo, C. B. *Pin.* 339. Hepatica, LINN. *H. Cliff.* 223. in ſyluis.

Vis ei adſtringens eſt, et tonica, et modice aperiens, ſiquidem recens maſticata ſalinam modice pungentem acrimoniam monſtrat. In hepatis et renum laxitate, gonorrhoea, ſputo et mictu cruento adhibetur, et decoctis vulnerariis et gargariſmis additur.

Impatiens.

Impatiens herba, DODON. p. 659. Balſamina lutea ſ. noli me tangere, C. B. *Pin.* 306. Impatiens pedunculis (ſolitariis) multifloris, foliis ouatis, genicu-

niculis caulinis tumentibus, LINN. *Fl. Suec.* 722. in locis ruderoſis, ad riuulos, et in ſyluis.

Acrimoniae particeps eſt. Venenatam eſſe, inſigniterque nocuiſſe, cum pro Mercuriali adhiberetur, DODON. Folia tamen extus impoſita vrinam valdopere mouere, GESNER. *epiſt.* p. 21. 109. Vnde CRATO eam ad dolores nephriticos commendauit *Ep. L.* 5. p. 233. imo BVCHWALD vulnerariam eſſe, et haemorrhoidibus imponi poſſe, et neruorum vulneribus, ait p. 45.

Laburnum.

Laburnum, arbor trifolia Agarydi ſimilis, I. B. II. p. 361. Cytiſus foliolis ouato-oblongis, racemis ſimplicibus pendulis, LINN. *H. Cliff.* 354. arbor decempedalis, in ſyluis montanis frequens.

Purgat enormiter, et vomitum ciet, MATTH. p. 931. Vulnera tamen a foliis glutinari, ſi ipſis immittantur, BOCCONE cognouit *Muſ. di Fiſ.* p. 139.

Lagopus.

Lagopus, FVCHS. p. 494. Trifolium ſpicis villoſis oualibus, dentibus calycinis ſetaceis aequalibus, LINN. *H. Cliff.* 374. Trifolium ſpicis villoſis, calyce et denticulis plumoſis, HALL. *Helu.* 583. inter ſtipulas et in aruis.

Vis ei exſiccans et adſtringens eſt. Quare a BVCHWALDO ad dyſenterias laudatur p. 158.

Lamium.

Lamium purpureum vel album non foetens, folio oblongo, C. B. *Pin.* 231. Lamium foliis cordatis, acuminatis, ſerratis, petiolatis, LINN. *H. Cliff.* 314. Lamium foliis diſſitis, cordatis, obtuſis, HALL. *Helu.* 640. ad foſſas et ſepes.

Ad fluorem album laudatur, et ad ſcrophulas in infuſione, *Mem. de Par.* 1717. DODARTVS ex la-

mio albo balſamum vulnerarium compoſuit, celebre ad detergenda vlcera.

Lamium Plinii offic.

Meliſſophyllum verum, FVCHS. p. 498. Lamium montanum, meliſſae folio, C. B. *Baſ.* p. 66. Melittis, LINN. *H. Cliff.* 390. Meliſſa, HALL. 650. in dumetis montoſis.

Odor haud ingratus, ſapor ſubacris et amarus: aqua diſtillata fragrans, cum ſupernatante ſubtili oleo. KOENIG diſſ. p. 7. Vulneraria eſt. Pulmones et renes expurgat et roborat. Argentoratenſes frequenter infuſione eius vtuntur in calculoſis affectibus. KOEN. p. 17. Vnde *Grieskraut* germanice appellant.

Malabathrum.

Eſt folium arboris cinnamomeae Malabaricae, quam alibi deſcribam.

Aromaticum oleum continet, quo ſtimulat et calefacit, et ſpecialiter ad paralyſin linguae laudatur. Antiquas compoſitiones Theriacae et Mithridatii ingreditur.

Marrubium nigrum.

Marrubium nigrum foetidum, Ballote Dioſc. C. B. *Pin.* 230. Ballota foliis cordatis, indiuiſis, ſerratis, LINN. *Fl. Suec.* 484. ad maceries et ſepes.

Lamii odorem habet, guſtu amara eſt. Refertur inter hyſterica, et ad podagram quoque infuſum laudatur, quod ſudorem mouet; ſed GARIDELLVS inefficax expertus eſt.

Matriſylua.

Aſperula ſ. Rubeola montana odorata, C.B. *Pin.* 324. Aſperula foliis octonis lanceolatis, floribus faſciculatis pedunculatis, LINN. *Fl. Suec.* 114. Aſperula foliis octonis, ex ſummo caule panniculata, HALL. in ſyluis.

Gra-

Gratum et reficientem odorem habet. Vrinam movet, et expellit exanthemata. In Haſſia vulgo cereuiſiae maiali incoquunt, RVPP. *Ien.* p. 6. Officinae male ſubſtituunt Molluginem montanam, latifoliam, ramoſam, C. B. *Pin.* 334. quae virtute et odore analeptico matriſyluae prorſus non accedit.

Moxa.

Eſt mollugo quaedam inſtar bombacis, quae Artemiſiae Chinenſi et Iaponenſi in imo potiſſimum caule adnaſcitur, CLEYER *E. N. C. dec.* 2. *ann.* 4. *obſ.* 1. quamque detractam et elaboratam certo modo in pyramidalem formam contorquent, et incenſam pedi podagrico imponunt, vt paullatim comburat eum. Quo malum, certe ad aliquot dies, finitur. TEMPLE.

Myrtus.

Myrtus communis Italica, C. B. *Pin.* 468. Myrtus floribus ſolitariis, calyce fructus diphyllo, LINN. *H. Cliff.* 184. Frequens arbor calidiorum regionum, et noſtrorum hortorum incola.

Folia virtute adſtringente pollent, et in decoctis adhibentur, vbi ſanguinis fluxus aliique nimii coercendi ſunt. Non confundenda vero cum his ſunt folia *Myrti Brabanticae*, quae frutex eſt borealium Europae regionum, dicta Rhus myrtifolia belgica, C. B. *Pin.* 414. Myrica foliis lanceolatis, fructu ſicco, LINN. *Fl. Suec.* 817. Is enim, vt toto genere a priori diſtat, ita etiam viribus, quum folia eius narcoticam virtutem exſerant, et temulentiam cum dolore capitis inducant.

Naſturtium Indicum.

Viola indica ſcandens, naſturtii ſapore, maxima odorata, HERM. *Lugdb.* 628. Tropaeolum foliis ſubquinquelobis, petalis obtuſis, LINN. *H. Vpſ.* 93. In regno Peru habitat, apud nos in hortis.

Saporem et vires naſturcinae gentis habet tota planta. Per ſeſe comeditur, vel ſuccus eius potatur.

Noſtoch.

Muſcus fugax membranaceus, MAGNOL. *Bot. Monſpel.* p. 180. Noſtoch TOVRNEF. VAILL. GEOFR. *Mem. de Par.* 1708. p. 293. REAVMVR *ib.* 1722. p. 165. Linkia terreſtris gelatinoſa, membranacea, vulgatiſſima, ex pallido et vireſcente fulua, MICHEL. 126. Lichen gelatinoſus fugax maior, RVPP. *Ien.* p. 299. Byſſus gelatinoſa fugax terreſtris, LINN. *Fl. Lappon.* 531. in gramineis poſt pluuias aeſtate prouenit.

Vulneraria virtute et anodyna pollere dicitur; vlceribus inſperſa ea ſanare; intus vero aſſumta ſiue in puluere, ſiue in aqua diſtillata, dolores, arthriticos inprimis, ſedare. Ceterum in nonnullis regionibus Germaniae in ſpiritu vini infuſa clam praebetur ſtrenuis ipſius potatoribus, vt ipſum hunc ſpiritum, quo ſe quotidie onerarunt, faſtidiant. Neque res profecto, quod ſciam, ſine ſucceſſu eſt.

Ophiogloſſum.

Ophiogloſſum vulgatum, C. B. *Pin.* 354. Ophiogloſſum folio ouato, ſpica diſticha, LINN. *H. Cliff.* 472. in gramineis, limoſis et alnetis.

Planta capillaris, ſapore ſubdulci et glutinoſo. Inter vulnerarias numeratur, et a TRAGO inprimis laudatur ad vlcera et vulnera, et tumores calidos.

Perfoliata.

Perfoliata vulgatiſſima ſ. aruenſis, C. B. *Pin.* 277. Bupleurum inuolucro vniuerſali nullo, foliis perfoliatis, LINN. *H. Vpſal.* 64.

Adſtringit cum aliqua amaritudine. Vulnerariarum de tribu eſt, et ſpecifica virtute contra hernias valere creditur in emplaſtro aut oleo infuſa. Cum aceto cocta, et calide applicata, in ganlgiis curandis expertae virtutis eſt. SCHVLZ.

Piloſella ſ. *Auricula muris.*

Piloſella maior repens hirſuta, C. B. *Pin.* 262. Hieracium foliis integerrimis ouatis, caule repente, ſcapo vnifloro, LINN. *Fl. Suec.* 633. ad vias et in pratis.

Blande adſtringit et amaricat. Vulnerariis adnumeratur, et ad haemorrhagias quascunque, in decocto et epithemate, adhibetur vtiliter; etiam ad hernias puerorum, BVCHW. Puluis naribus inſufflatus, illarum haemorrhagiam ſiſtit. Infuſis pectoralibus in laxitate pulmonum et tuſſi acri vtiliter quoque additur.

Polium Creticum.

Roſmarinum ſtoechados facie, ALP. *exot.* 103. f. 102. Teucrium foliis lanceolato-linearibus, integerrimis, ſubſeſſilibus, floribus ſolitariis pedunculatis, LINN. *H. Cliff.* 303. Suffrutex creticus.

Suaui odore pollet. Tonica et amara eſt, ſed antiquis magis celebrata, quam noſtris, in hydrope, ictero, obſtructione alui et menſium, et ad glutinanda vulnera. Caput tamen doloribus afficere, et ſtomacho obeſſe, DIOSCORIDES habet.

Polygonum, vulgo *Centumnodia.*

Polygonum latifolium, C. B. *Pin.* 281. Polygonum caule procumbente herbaceo, foliis lanceolatis integerrimis, LINN. *mat. med.* 186. ad vias et in ruderatis.

Adſtringente et ſiccante virtute pollet, in ſanguinis profluuiis et aliis, et ad prolapſus vtiliſſima, quin etiam ad vulnera ſananda. CHOMEL in dyſenteriis et profuſionibus ſanguinis expertus laudat p. 575. In aqua vel vino infunditur, aut ſuccus potatur ad duas vel tres vncias.

Ptarmica cum floribus.

Dracunculus pratenſis ſerrato folio C. B. *Pin.* 98.

Achillea foliis integris minutiſſime ſerratis, LINN. *Fl. Suec.* 706. in humectis.

Non parum acris eſt, et aromatica. Maſticata ſaliuam copioſe prolicit; puluis vero in nares attractus pituitam.

A dracunculo pratenſi differt *hortenſis* ſ. *eſculentus*, qui eſt Abrotanum lini folio acriore et odorato, TOVRNEF. *inſtit.* 459. Draco herba, DOD. *Pempt.* 109. Artemiſia foliis lanceolatis glabris, integerrimis, LINN. *H. Cliff.* 403. Vulgo *Dragun.* Haec eſt aromatici gratioris et acrioris ſaporis, virtutum non contemnendarum in ſcorbutico malo et affectibus aſthmaticis; aduerſus quos etiam ipſius aquam diſtillatam HOFFMANNVS laudat *Med. Conſult. P. I. dec.* 2. *caſ.* 2. Recens herba inter acetaria expetitur.

Pulſatilla.

Pulſatilla folio craſſiore et maiore flore, C. B. *Pin.* 177. Pulſatilla foliis decompoſitis pinnatis, flore nutante, limbo recto, LINN. *Fl. Suec.* 446. Anemone tubis caudatis, imis foliis duplicato-pinnatis, multifidis, ſuperioribus anguſtiſſimis, HALL. *Helu.* 333. in campis montoſis et ſiccis.

Qualitas plantae acerrima, vt impoſita cuti veſicas excitet, et aqua diſtillata vomitum moueat, quin nec ſyrupus ſine noxa agat, vt HELVINGIVS vidit p. 86. qui ideo vſum plantae Boruſſis in pulmonum vitiis familiarem vituperat.

Ribium nigrorum folia.

Groſſularia non ſpinoſa, fructu nigro, C. B. *Pin.* 455. Ribes inerme, floribus oblongis, LINN. *Fl. Suec.* 196. Frutex, in paludoſis et hortis.

Tota planta foetet more cimicum. Contra arthritidem certis anni temporibus ſuperſtitioſe transplantatur. Specialiter vero folia ab hydrophobia liberare dicuntur, at ſine vero documento.

Rorella.

Ros ſolis folio rotundo ſ. oblongo, C. B. *Pin.* 357. Droſera ſcapis radicatis, foliis orbicularibus ſ. oblongis, LINN. *Fl. Suec.* 257. 258. Rorella caule ſimplici, foliis rotundis, retuſis ſ. ellipticis, HALL. *Helu.* 372. in pratis vliginoſis inter muſcos.

Acrimoniae particeps planta, et cuius folia humiditate ſemper madent, etiam in ardentiſſimo aeſtu. Humores muſcoſos reſoluit, et in phthiſi a FORESTO commendatur *L.* 16. 18. in catarrhis a SIEGESBECKIO *diſſ.* Gregibus nocere comeſam, BARTHOL. habet *Act. Hafn. IV. obſ.* 38. Aqua ex B. M. diſtillata, citrina, ſecretum haereditarium eſt contra mulierum ſterilitatem, vt et tinctura ſpiritu vini facta, HARTM. *Prax.* p. 759. quae etiam ſudorem mouere, et ſpecifica vi plicae mederi dicitur BONFIGLIO *de Plic.* p. 22. Ceterum tota planta inter antimagicas refertur, BROWN. *Pſeudodox. L. II.* p. 549. Ros in foliis cochleari-formibus denſatus et collectus ab Alchemiſtis aeſtimatur, tanquam ſpiritus vniuerſalis aëreus et vniuerſale confortans remedium contra omnes morbos. Ad inflammationes etiam oculorum commendatur.

Roſmarinus ſylueſtris.

Ciſtus ledon, foliis roſmarini ferrugineis C. B. *Pin.* 467. Ledum foliis linearibus, ſubtus hirſutis, floribus corymboſis, LINN. *Fl. Suec.* 341. in paludoſis.

Grauiter olet planta, et amara eſt. Vim poſſidet inebriatiuam, cereuiſiae incocta, ad inſaniam vſque: quare maleficum eſt, ea vti. Neque adeo tutum eſt, ad febres exanthemicas, quibus mederi creditur, et ad ſcabiem eam adhibere. Sed inſecta ex pannis laneis et linteis fugare, certiſſimum,

Sambuci folia.

Sambucus fructu in vmbella nigro, C. B. *Pin.* 456. Sambucus caule arboreo ramoſo, floribus vmbellatis, LINN. *Fl. Suec.* 250. Sambucus arborea, vmbellatis floribus, HALL. *Helu.* 466. Arbor per totam Europam frequens.

Turiones a plebeiis acetarii in modum parantur, et purgandi ſcopo comeduntur. Sed violenter agunt, et interdum non ſine periculo. *E. N. C. dec.* 2. *ann.* 7. *obſ.* 170. Recentia folia contuſa dolorem haemorrhoidum coecarum optime leuant. *Hamb. Magaz.* IX. p. 486.

Schoenanthus ſ. Squinanthum.

Gramen dactylon aromaticum, multiplici panicula, ſpicis breuibus tomento-candicantibus ex eodem pediculo binis, PLVKN. *Almag.* 175. T. 190. f. 1. Lagurus paniculae ſpiculis coniugatis ouatis, LINN. *Fl. Zeyl.* 465. in Africa et Arabia.

Aromatica eſt, calefacit et roborat, et alexipharmaca virtute pollet. Menſes etiam mouet. Puluis vulneribus, cerebri inprimis, inſperſus ſpongioſam carnem abſumit, et ſanat, teſte MARCHETTIS in *Obſ.* et GOHLIO in *Act. Berol. Dec. II. vol. I.* p. 103. 104.

Sideritis.

Sideritis aruenſis latifolia glabra, C. B. *Pin.* 233. Betonica verticillata, calycibus ſpinoſis, LINN. *Vpſ.* 165. Stachys foliis lanceolatis ſeſſilibus, baſi attenuatis, ID. *H. Cliff.* 310. Betonica foliis inter diſſitos verticillos longioribus, ellipticis, ſerratis, HALL. 645. inter ſegetes.

Vſus eſt externus ſaltem in balneis aduerſus morbos infantum, quos vulgus faſcino tribuit. Solatur tamen ſic quoque arthriticos, quum diſcutientem et roborantem virtutem habet.

Sophia Chirurgorum.

Naſturtium ſylueſtre tenuiſſime diuiſum, C. B. *Pin.* 105. Siſymbrium petalis calyce minoribus, foliis decompoſito-pinnatis, LINN. *Fl. Suec.* 553. Siſymbrium pinnis foliorum pinnatis, pinnulis ſubhirſutis linearibus, HALL. 550. ad vias et muros.

Leuem acrimoniam cum adſtrictione monſtrat. Chirurgi Galli olim vſi ſunt ad abſtergenda vulnera.

Tamariſci folia.

Tamarix altera ſ. folio tenuiore, gallica, C. B. *Pin.* 485. Tamarix pedunculis nudis, floribus pentandris, LINN. *H. Cliff.* 111. Arbor Galliae, Hiſpaniae et Italiae frequens.

Sapor amarus eſt. Ad profluuia ſanguinis et aliorum humorum valent, in decocto ſumta, quum adſtringente facultate praedita ſunt. Cimbri cereuiſiae admiſcent in vicem lupuli BARTHOL. *Med. Dan. domeſt.* p. 329.

Verbaſcum cum floribus.

Verbaſcum mas latifolium luteum, C. B. *Pin.* 239. Verbaſcum foliis vtrinque tomentoſis decurrentibus, LINN. *Fl. Suec.* 186. Verbaſcum foliis ouato-acutis vtrinque tomentoſis, floribus in ſpica denſiſſima ſeſſilibus, HALL. *Helu.* 509. ad vias et in foſſis.

Recentia vulnera folia contuſa ſanant, in vnguentum redacta. Decocta cum floribus potu dolores haemorrhoidales, nephriticos, et teneſmum leniunt, et dyſentericis auxiliantur; externe vero ad inflammationes et tumores valent, inprimis ex lacte cocta, BOCCON. *Obſ.* p. 133. item ad haemorrhoides coecas, et in gargariſmis ad anginas. Florum computreſcentium liquamine etiam BOCCONE ad mala ani vſus eſt p. 135. et CRATO ad podagricos dolores. Infuſum florum Italis et DEKKERO ad tuſſim, phthiſin et haemoptyſin familiare.

Verbena.

Verbena.

Verbena communis flore coeruleo, C. B. *Pin.* 269. Verbena (tetranda) ſpicis filiformibus, foliis multifido-laciniatis, LINN. *H. Cliff.* 11. Verbena foliis laciniatis, ſuperioribus tripartitis, ſpicis anguſtis longiſſimis, HALL. 661. ad vias.

Saporis eſt modice amari et adſtringentis. Ad capitis dolores valet, etiam collo ſaltem ſuſpenſa, FORESTI experimento *L.* 16. *obſ.* 52. Odontalgiae ex collutione oris cum decocto, et alopeciae ex capitis lotione medetur. Habetur etiam febrifuga; et extractum eius bis die ad drachmam ſumtum hoc nomine laudat CHOMEL. Veteres illa frequenter vſi ſunt in conſolidandis vulneribus ferro inflictis. Balſamum ex oleo factum, FVLVIVS TESTI pro arcano antarthritico habuit, *Giorn. degli letterat. XXII.* p. 166. Mulierculae aquam ad abortum praecauendum, et ad dolores capitis externe adhibent. Ipſa herba externe in inflammationibus proficua eſt. An etiam calculum pellat, adhuc incertum quidem, ſed probabile eſt, quum adſtringentia omnino multum poſſint.

Vinca Peruinca.

Clematis daphnoides minor, C. B. *Pin.* 301. Vinca foliis ouatis, LINN. *H. Cliff.* 77. Peruinca foliis ouato-lanceolatis, HALL. 526. in ſyluis et ad vias.

Saporis eſt amari, ſubadſtringentis. Ad haemorrhagias et alia profluuia, et faucium inflammationes, laxitatesque dentium, in ſero lactis, aut vino decocta, laudatur. Fluorem album etiam coercere, CHOMEL, et ſtrumas diſcutere, BVCHWALD ait p. 85.

Vitis nigra.

Vitis nigra, MATTH. p. 1285. Bryonia laeuis ſ. nigra racemoſa, cuius baccae ruſeſcunt ſ. nigre-

greſcunt. C. B. *Pin.* 297. Tamus foliis cordatis indiuiſis, LINN. *H. Cliff.* 458. in ſyluis calidioris Europae.

Reſoluente virtute gaudet, quum acrimoniae particeps eſt. Vſus tamen externus ſaltem eſt ad vexata in cataplaſmate. TOVRNEF.

Vmbilicus veneris.

Vmbilicus repens, CAMER. *Epit.* 858. Cotyledon foliis cucullatis ſerrato-dentatis alternis, caule ramoſo, floribus erectis, LINN. *Spec. Pl.* p. 429. in Luſitania.

Solus eſt SOLENANDER, quam ſcio, qui quocunque modo ſumtam herbam incomparabilem eſſe in ſiſtendo fluore albo ait *Conſil.* 8. *Sect.* 4. p. 328. Alii folia cum radice comeſa ad calculum et hydropem laudant, eo quod vrinam cient; ſuccum vero ad diſcutiendum in eryſipelate, inflammationibus et pernionibus, ſi illinatur. DIOSCOR.

Vſnea.

Lichenoides vulgatiſſimum cinereo-glaucum, lacunoſum et cirrhoſum, DILLEN. *Muſc.* 188. T. 24. f. 83. Lichen imbricatus, foliis multifidis, glabris, obtuſis, canis, punctis vagis eminentibus, LINN. *Fl. Suec.* 947. ad lapides, arborum truncos, et in cranio humano.

Ad epilepſiam ſuperſtitioſi homines expetunt, inprimis illam ex craniis hominum violenta morte peremtorum, quae baſin ideo conſtituit lapidis Buttleri (VALENT. *Muſ. Muſeor.* T. II. c. 22. p. 95.), Ad haemorrhagias valere, BOYLEVS comprobat experimento in ſe ipſo facto, *de Specif.* p. 99. Sed hanc virtutem fere cum tota gente communem habet.

Vuluaria.

Atriplex foetida, C. B. *Pin.* 119. Chenopodium foliis

foliis integerrimis rhombeo - ouatis, LINN. *Fl. Suec.* 216. Chenopodium foetidum, foliis farinoſis, glaucis, obtuſe rhomboideis, HALL. *Helu.* 175. in ruderibus et ad ſepes.

Hircinum odorem prae ſe fert, et venerem excitare creditur.

Vuularia.

Laurus Alexandrina, fructu pediculo inſidente, C.B. *Pin.* 304. Ruſcus foliis ſupine floriferis ſub foliolo, LINN. *H. Cliff.* Frutex Galliae et Italiae; apud nos hortenſis.

Roborante virtute pollet ex adſtrictione. Ad procidentiam vuulae inprimis gargarizatione adhiberi ſolita.

Xanthium.

Lappa minor, Xanthium Dioſcoridis, C. B. *Pin.* 198. Xanthium caule inermi, LINN. *H. Cliff.* 443. in pinguiori aruo et ſterquiliniis.

Folia amara ſunt, et adſtringunt. Succus laudatur ad ſcrophulas et ad depurandum ſanguinem. TOURNEF.

CLAS-

CLASSIS II.

F L O R E S.

I. VSITATI.

Acaciarum flores.

Prunus ſylueſtris, C. B. *Pin.* 444. Prunus ſpinoſa, foliis lanceolatis, LINNAEVS. *Fl. Suec.* 397. in ſepibus et dumetis.

Bene aluum purgant, et interdum non ſine torminibus, praecipue recentes. Sanguinem etiam purificant et reſoluunt; ideoque in infarctu pulmonum, pleuritide et ſabulo renum educendo efficaces ſunt. Praeſcribuntur ad manipulum, et in aqua, vino, aut lacte infunduntur.

Calendulae flores.

Caltha vulgaris, C. B. *Pin.* 275. Calendula ſeminibus radii cymbiformibus echinatis, diſci bicornibus, LINN. *Fl. Suec.* 717. in ſyluis et hortis.

Viſcoſi ſunt, odorem fundunt non admodum gratum, ſapore ſunt acri et amaro balſamico. Vires obtinent calefaciendi, ſudorem mouendi, putredini reſiſtendi, menſes et lochia mouendi, coagula viſcerum, et ſcrophulas reſoluendi, denique vermes expellendi. Succus denti carioſo inſtillatus, odontalgiae medetur. BAEVMLER.

Cha-

Chamomillae flores.

α) Chamaemelum nobile ſ. Leucanthemum odoratius, C. B. 135. Matricaria receptaculis conicis, radiis deflexis, ſeminibus nudis, ſquamis calycinis margine aequalibus, LINN. *Fl. Suec.* 701. In hortis plerumque colitur.

β) Chamaemelum vulgare, Leucanthemum Dioſcoridis, C. B. *Pin.* 135. Matricaria receptaculis haemiſphaericis, radiis patentibus, ſeminibus coronato-marginatis, ſquamis calycinis margine obſoletis, LINN. *Fl. Suec.* 702. in agris et ruderatis.

Vires vtriusque inſignes ſunt, praeterquam quod chamomilla Romana vulgarem adhuc ſuperet propter maiorem olei aetherei copiam, quod grato ſapphirino colore tranſtillat, et fundamentum omnis pene facultatis eſt. Inter paregorica primum locum obtinent, et in quarumcunque externarum partium doloribus et paralyticis affectibus vel cataplaſmatis forma, vel fomenti, vniuerſaliter fere applicantur. Non minus vero interne virtutem anodynam et antiſpaſmodicam probant, et efficaciſſimi ſunt in doloribus colicis (RIVER. *L.* 9. *c.* 10.), et cardialgicis (HOFFMANN. *med. ſyſt. IV. P. II.* p. 236.) in doloribus poſt partum et ſuppreſſis lochiis (FOREST. *L.* 23. *obſ.* 21. 75.), et hyſterica affectione (SCHVLZ. *diſſ.*). Praeterea ſpecificum contra febres intermittentes remedium praebent; inde a GALENI temporibus (*de ſimpl. med. fac. L.* 3. *c.* 10.) vsque ad noſtra pulcherrimum; vt nullus fuerit praeter LVDOVICI, qui ab interno vſu chamomillam voluerit remouere, non quod ipſi vſus non ſucceſſerit, ſed ob balneatorium ſaltem odorem, ipſi forte ſoli exoſum, *Pharmac.* p. 473. Denique inter antiſeptica remedia ſupremum fere locum occupant, per Cl. PRINGLII experimenta *Phil. Trans. n.* 495. 496.

Chei-

Cheiri flores.

Leucoium luteum vulgare, C. B. *Pin.* 202. Cheiranthus foliis lanceolatis acutis glabris, LINN. *H. Cliff.* 334. Cheiranthus foliis ellipticis glabris integerrimis, HALL. *Helu.* 561. in Gallia et Heluetia, apud nos in hortis.

Volatili fragrante principio et acrimonia ſaponacea praediti, egregiam obtinent virtutem coagula viſcerum reſoluendi, (SCHVLZ. *diſſ. de Icter.* §. 20. 24.), maniam et alios morbos ab obſtructione et coagulo humorum oriundos profligandi (ID. *diſſ. de mente alien.* §. 3.), denique menſes et partum promovendi, ſiue ſucco eorundem dato, ſiue infuſo. In dyſenteria vtiliter cum vitello oui, artificialem bilem inde parauit CRAMERVS *Commerc. Nor.* 735. p. 223.

Conſolidae regalis flores, ſ. Calcatrippae, ſ. Delphinii.

Conſolida regalis aruenſis, C. B. *Pin.* 142. Delphinium caule ſubdiuiſo, nectariis monophyllis, LINN. *Fl. Suec.* 440. Delphinium radice fibroſa, foliis tenuiſſime diuiſis, HALL. *Helu.* 314. in aruis.

Acrem ſuccum continent, quo mediante externe ad aperiendos abſceſſus, quibus vnicus ſaltem imponitur, faciunt; interne vero ad mouendas vrinas et calculum et hydropem, licet non omnibus tutus vſus videatur ob Aconiti affinitatem. In oculorum inflammatione LAZERME ſuccum expreſſum illis inſtillare iubet *Curat. morb. I.* p. 26. alii aqua ſaltem diſtillata vtuntur.

Croci ſtigmata.

Crocus ſatiuus, C. B. *Pin.* 65. Crocus floribus fructui impoſitis, tubo longiſſimo, LINN. *H. Vpſ.* 15. in Heluetia, Luſitania, Auſtria.

Odorem ſuauem edunt, ſomnum conciliant, mentem exhilarant, et in iunioribus riſum mouent (SCHVLZ. *Prael. in diſp. Br.* p. 236.), ſpiritus confortant (PRINGLE *Phil. Trans.*), putredini valide reſiſtunt (ID.), vrinam rubram reddunt, dolores et ſpaſmos ſedant, menſes et partum promouent, tuſſim ſedant. Sed larga doſis vbique euitanda, quum deleterium effectum ſic exſerit, vt exempla docent apud ZAC. LVSIT. *Prax. L.* 3. *obſ.* 144. BORELLVM L. 4. *obſ.* 30. 35. STENZEL *de anod. virt. ven.* §. 34. Integrum cochlear croci aſſumtum ingentem et copioſum vomitum creaſſe, et inde congeriem vermium egeſtam fuiſſe, legitur in *Comm. Nor.* 1735. p. 220. Foetum tingere et hominum et brutorum, obſeruatione conſtat AMAT. LVSITAN. *Cur. med. cent.* 5. *p.* 71. et HERTODTI *Crocolog.* Puluis in intertrigine infantum inſperſus conducit. BAEVMLER. Oleum ſubtile, ſed paucum, aethereum continet, quod noſtra demum aetate fuit compertum.

Cyani flores.

Cyanus ſegetum (flore coeruleo), C. B. *Pin.* 273. Centaurea calycibus ſerratis, foliis linearibus, infimis dentatis, ſuperioribus integerrimis, LINN. *Fl. Suec.* 710. Cyanus floſculis radicalibus latiſſimis, ſeptifidis, HALL. *Helu.* 691. inter ſegetes.

In infuſione vrinam cient, hincque in hydrope laudantur. E. N. C. Dec. III. ann. 5. 6. Aqua diſtillata vulgo in lippitudine praedicatur.

Lauendulae flores.

Lauandula latifolia et anguſtifolia, C. B. *Pin.* 216. Lauandula foliis lanceolatis integris, ſpicis nudis, LINN. *H. Cliff.* 303. in Italia, Hiſpania, Gallia Narbonenſi et Heluetia, apud nos in hortis.

Saporis ſunt acris aromatici, odoris admodum iucundi. Caput et neruos roborant, dolores rheumati-

cos

cos leniunt, flatus diſſipant, et vteri imbecillitati medentur. Externe languentes, et ſyncope et hyſterica paſſione laborantes, naribus admoti reficiunt. Atque hae omnes virtutes in oleo ſubtili et volatili reſident, cuius tamen maiorem copiam lauendula latifolia, quam *Spicam nardi* vulgo vocant, continet, quodque etiam paulo ſpecifice grauius et magis calefaciens exiſtit, quam lauendulae anguſtifoliae. CARTHEVS. *mat. med.* II. p. 125.

Liliorum alborum flores.

Lilium album, flore erecto, vulgare, C. B. *Pin.* 76. Lilium foliolis ſparſis, corollis campanulatis, intus glabris, LINN. *H. Cliff.* 120. in Palaeſtina et Syria, apud nos in hortis frequens.

Gratum odorem fundunt, ſed qui caput grauat et temulentum reddit. Dolores leniunt, et oleo infuſi conſolidant. Aquam diſtillatam intus mulierculae ad promouendum partum adhibent, extus vero in lauamento tanquam coſmeticum. *Antherae* florum rarius in partu difficili ab obſtetricibus adhibentur.

Liliorum conuallium flores.

Lilium conuallium album, C. B. *Pin.* 304. Conuallaria ſcapo nudo, LINN. *Fl. Suec.* 273. Polygonatum bifolium, ſcapo florigero aphyllo, HALLER. *Helu.* 286. in ſyluis.

Fragrantem odorem ſpirant, cerebro et neruis grati, quorum motus ideo intendunt, et in cephalalgia, paralyſi, lypothimia, et memoriae imbecillitate conueniunt, aqua vel ſpiritu vini abſtracti. Is ſpiritus pariter ac extractum purgantem quoque virtutem exſerit, quam et in ſe ipſo et in commilitonibus SCHVLZIVS comperit *diſſ.* Puluis in nares tractus ſternutationem cum larga muci excretione efficit.

Maluae flores.

Malua roſea folio ſubrotundo, C. B. *Pin.* 315. Alcea foliis ſinuato-angulatis, LINN. *H. Cliff.* 348. Locus natalis nondum cognitus; in hortis vero apud nos colitur.

Ob leniorem virtutem tonicam in gargariſmos recipiuntur ad affectus faucium qualescunque inflammatorios.

Naphae flores.

Malus aurantia maior, C. B. *Pin.* 236. Citrus petiolis alatis, LINN. *H. Cliff.* 379. in India Or. et Italia.

Fragrantiſſimi ſunt, vnde Itali per repetitam infuſionem et diſtillationem aquam conficiunt, cuius virtutes ſunt analepticae et anticolicae. Parant inde quoque oleum per expreſſionem, quod ſubtilitate longe antecellit illud, quod per diſtillationem fit.

Papaueris erratici flores.

Papauer erraticum maius, C. B. *Pin.* 171. Papauer caule multifloro folioſo hiſpido, foliis pinnatifidis, capſulis laeuibus, LINN. *Fl. Suec.* 428. inter ſegetes.

Viſcoſi ſunt, cum aliqua amaritie. In morbis pectoris tam acutis, quam catarrhalibus vtiliſſime dantur in infuſo, puluere, extracto. BAGLIV. p. 38. Temperant ſimul humorum motus, et leuem narcoſin, nemini praeter DODONAEVM ſuſpectam, efficiunt. Quare etiam in aliis morbis, vbi leniendum eſt, vtiliter adhibentur. Aegrum dyſenteria chronica laborantem per ipſos reſtituit BROCKES *introd. to phyſic and ſurgery.*

Perſicae flores.

Perſica molli carne et vulgari, C. B. *Pin.* 440. Amygdalus foliorum ſerraturis omnibus acutis, LINN. *H. Cliff.* 186. in Perſia, apud nos hortenſis arbor.

Clementer purgant, lumbricos expellunt, et obſtructiones reſerant, vt hydropicis adeo vtiles fiant. Adhibentur in ſyrupo et in infuſo. Recenter ad modum acetarii etiam hydropicis conficiuntur.

Obiter noto, quod etiam *folia* in hunc vſum CRATO praeparauerit; et quod haec inſuper inſtar Thee vſurpata ad calculum et podagram tanquam ſpecificum a DOVERO laudentur p. 55.

Roſarum flores.

Roſa caule aculeato, petiolis inermibus, calycibus ſemipinnatis, LINN. *Fl. Suec.* 406. In Europa frequens.

α) Roſa rubra multiplex, C. *B. Pin.* 481. LINN. *H. Vpſ.* 132.

β) Roſa alba vulgaris maior, C. B. *Pin.* 482. LINN. *H. Vpſ.* 132.

Analepticum ob ſpirituoſum fragrans principium praebent medicamentum. In decocto aut ſucco aluum moliuntur, magis tamen albi, quam rubri. Porro obſtructiones expediunt, ac proinde morbo regio, cachexiae, incipientique hydropi conferunt. FERNEL. p. 177. Et ſuccus et decoctum conuenienter ſero lactis permiſcentur. A ſolo odore florum aluus nonnullis ſoluitur, SCHVLZ. aliis ſternutationes excitantur, quod ECHTIO contigit (ADAMI *vit. Med.* p. 72.).

γ) Roſa purpurea, C. B. *Pin.* 481.

Praeter analepticam virtutem, etiam tonicam poſſident.

δ) Roſa ſylueſtris vulgaris, flore odorato incarnato, C. B. *Pin.* 483. in dumetis.

His eccoproticam quoque virtutem adſcribit LINN. *mat. med.* 84. γ. et ſyrupum roſarum ſolutiuum inde parari dicit: at officinas iſte, apud nos ſaltem, non ingrediuntur, et ſyrupus ille ex roſae albae floribus paratur. Iulepus contra roſarum, quem ex his fieri ſcribit *ibid.* δ. potius fit ex rubrarum aqua.

Roſmarini flores ſ. Anthos.

Vſu et virtute foliis conueniunt, quae ſupra memoraui.

Sambuci flores.

Sunt ex eadem arbore, ac folia, quae ſupra retuli. Anodyna, emolliente, et diſcutiente virtute praediti; hinc frequentiſſimi vſus in omni tumorum ac inflammationum genere. Intus ſumti in decocto lac augent, et ſputa pleuriticorum promouent *Commerc. Nor.* 1734. p. 370. et 1735. p. 153. Recentes aluum laxant.

Tiliae flores.

Odor iucundus et reficiens. Temperant, atque roborant. In ſpaſmodicis affectibus et doloribus capitis opem ferunt. Optimum ſuccum praebent apibus, vnde mel tiliaceum, quod odorem florum etiam retinet, et ex quo optimum mulſum, *Lipiec* dictum, Poloni et Lithuani parant.

Tunicae flores.

Caryophyllus hortenſis, flore pleno (et ſimplici rubro) maiore, C. B. *Pin.* 208. Dianthus floribus ſubſolitariis, corollis crenatis, ſquamis calycinis ſubouatis breuiſſimis, LINN. *H. Cliff.* 164.

Aromatico et fragranti odore analepticam virtutem probant.

Vio-

Violae flores.

Ex eadem planta ſunt ac folia, de quibus ſupra ſcripſi. Suauis odor omnibus notus. Cordialibus accenſentur, analepticam obtinent virtutem, tuſſim leniunt, raucitatem tollunt, et aluum emolliunt. In morbis conuulſiuis virtutem ſpecificam BAGLIVIVS ipſis adſcribit p. 114. Stamina ad epilepſiam commendat BRASSAVOLA p. 65.

II. INFREQVENTES.

Balauſtiorum flores.

Punica, LINN. *H. Cliff.* 184. Arbor Africae, Aſiae, Hiſpaniae et Italiae frequens.

α) Malus punica ſatiua, C.B. *Pin.* 438.

β) Punica flore pleno maiore, TOVRNEFORT. *inſtit.* 636.

Ex altera ſpecie *β*) decerpuntur. Adſtringente facultate pollent; vnde pulueres ſtipticos et decocta vulneraria, et gargariſmos ingrediuntur.

Buphthalmi flores.

Buphthalmum tanaceti minoris folio, C. B. *Pin.* 134. Buphthalmum caule ramoſo, foliis pinnatifidis linearibus, laciniis ſerratis, dentatis, floribus pedunculatis, LINN. *H. Cliff.* 414. Buphthalmum floribus nudis, foliis ſubtus incanis, pinnatis, pinnis argute ſerratis, HALL. *Helu.* 711. in agris, vineis et muris.

Ad voluulum puluerem drachmarum duarum doſi, expertus laudat EHRHARDT ad LONIC. p. 36. ad icterum CAMERAR. Chamaemelinum odorem aemulantur.

Carthami flores.

Cnicus ſatiuus ſ. Carthamus officinarum, C. B. *Pin.* 378. Carthamus foliis ouatis integris ſerrato-aculeatis, LINN. *H. Cliff.* 394. Aegyptici domeſtica: in Thuringia inprimis copioſe ſeritur.

Ad pectoris morbos infuſum laudatur. Pituitam reſoluunt et vrinam cient. Tinctoribus inſeruiunt.

Cichorii flores.

Cichorium ſylueſtre ſ. officinarum, C. B. *Pin.* 126. Cichorium caule ſimplici, foliis dentato-ſinuatis, LINN. *Fl. Suec.* 650. ad vias.

Leniter temperant; et abs nonnullis inter arcana contra haemorrhagias habentur. Aqua ipſorum diſtillata praedicatur ad lippitudinem.

Cotulae foetidae flores cum foliis.

Chamaemelum foetidum, C. B. *Pin.* 135. Anthemis receptaculis conicis, paleis ſetaceis, ſeminibus nudis, LINN. *Fl. Suec.* 703. Chamaemelum foliis pene glabris, pinnis pinnatis, pinnulis latiuſculis, HALL. *Helu.* 717. ad vias et in agris.

Totam plantam nonnulli emollire aiunt, alii acrem eſſe, vt cutem exculceret. Intus ſuccum vrinam pellere, pulmones liberare, bilem atram ducere, LOBEL. *aduerſ.* p. 344.

Iaſmini flores.

Iaſminum vulgatius flore albo, C. B. *Pin.* 397. Iaſminum foliis oppoſitis pinnatis, LINN. *H. Cliff.* 5. Arbuſcula Malabariae domeſtica, apud nos hortenſis.

Suaui odore ſe commendant. Vterini eſſe, et ad difficilem partum valere prohibentur. Itali oleum inde parant per infuſionem nucleorum been et inſolationem, ad commendationem capillorum et capillamentorum; ſed

et quod in ambuſtis et exſiccatis partibus locum inuenit. *Philadelphi* flores ipſis ſubſtitui poſſe, pro iſtiusmodi oleo conficiendo, Ill. LINNAEVS cenſet *Mat. med.* p. 60.

III. OBSOLETI.

Aquilegiae flores.

Aquilegia ſylueſtris, C. B. *Pin.* 144. Aquilegia nectariis incuruis, LINN. *Fl. Suec.* 443. Aquilegia foliis rotunde lobatis, HALL. *Helu.* 310. in ſyluis et pomariis.

Intelliguntur coerulei. Sapor mitiſſimus et aliquo modo dulcis eſt. Ad vitia oris et gingiuarum ſcorbutica cum ipſis foliis laudantur. EYSEL *diſſ.* Humores acres demulcent et temperant, vt ſuccus in febre hectica cum tuſſi egregium vſum praeſtiterit EYSELIO p. 25. Hiſpani ad prohibendam calculoſam materiem ea quotidie vtuntur, et primo ſtatim mane, ſimul ac dormitoria ſua reliquerunt, aquilegiam maſticant. Subuenenatam quidem facultatem ipſis ineſſe, LINNAEVS cenſet *mat. med.* 272. forte ex charactere, verum experientia non reſpondet.

Borraginis flores.

Eiusdem plantae ſunt, quae folia nobis largiri ſupra dicta eſt. Inter cordiales, ſed immerito, recenſentur.

Bugloſſi flores.

Et hi ad cordiales referuntur; ſed nihil profecto cardiaci habent.

Nympheae flores.

Nymphea alba maior, C. B. *Pin.* 193. Nymphaea foliis integerrimis cordatis, calyce tetraphyllo, corolla multiplici, LINN. *Fl. Suec.* 427. in fluuiis et ſtagnis.

Humectant et refrigerant, et anodyni ſunt: vnde in febribus, cephalalgia febrili, itemque in profluuiis ſanguinis aliorumque humorum, et ad vrinae ardores aqua ipſorum diſtillata potatur, vel in epithemate, vt ipſi flores, capiti admouetur. Ex aqua plantae gratum ſibi potum Turcae parant, TOVRNEF. *rel. du Serail* p. 75.

Paralyſeos flores.

Verbaſculum pratenſe odoratum, C. B. *Pin.* 241. Primula foliis denticulatis rugoſis, limbo corollarum concauo, LINN. *Fl. Suec.* 161. Primula foliis rugoſis, hirſutis, ſpica inclinata, flore flauo, maiori, odoro, HALL. *Helu.* 483. in pratis ſiccioribus.

Leniter anodyni ſunt, et ad cephalalgiam, vertiginemque in infuſo adhibentur; ad paralyſin vero non valde efficaces ſunt.

Poeoniae flores.

Poeonia communis ſ. foemina, C. B. *Pin.* 323. Poeonia, LINN. *H. Cliff.* 211. in alpibus Helueticis.

Ad ſpaſmos, vt ceterae plantae partes, radix et ſemina, valere iudicantur, et ſoporiferi eſſe. Vix vero in officinis reperiuntur.

Spicae celticae flores.

Nardus celtica Dioſcoridis, C. B. *Pin.* 165. Valeriana floribus triandris, foliis ouato-oblongis, obtuſis, integerrimis, LINN. *mat. med.* 23. Valeriana foliis ouatis, obtuſis, minime dentatis, HALL. *Helu.* 665.

665. in alpibus Heluetiae, Stiriae, et Pyrenaicis montibus.

Aromaticum quid olent. Vrinam et vermes pellunt. In balneis etiam adhibentur, vna cum radice, quae magis odora eſt, a foeminis in obſtructione menſium.

Stoechadis arabicae flores.

Stoechas purpurea, C. B. *Pin.* 216. Lauandula foliis lanceolato - linearibus, ſpica comoſa, LINN. *H. Cliff.* 303. in Hiſpania, Luſitania et Gallia Narbonenſi.

Odoris ſunt fragrantis, ſaporis acris et aromatici. Incidendi, attenuandi et roborandi facultate pollent. In capitis, neruorum, et vteri morbis cum atonia iunctis commendantur: menſes quoque et vrinam mouent.

Stoechadis citrinae flores.

Elichryſum ſ. Stoechas citrina latifolia, C.B. *Pin.* 264. Gnaphalium foliis lanceolatis, inferioribus obtuſis, caule herbaceo ſimpliciſſimo, corymbo terminali compoſito, LINN. *Fl. Suec.* 674. in campeſtribus.

Mediocriter amareſcunt et ſubadſtringunt. Viſcera obſtructione liberare, ſimulque corroborare, FERNELIVS ait p. 186. Commendabiles eſſe praecipue in ſtranguria, pani butyraceo inſperſos, et ſic comeſtos, SHVLZIVS. Ceterum rheumatiſmos in ſuffitu diſcutere.

Sumach flores.

Rhus folio vlmi, C. B. *Pin.* 414. Rhus foliis pinnatis ſerratis (ſubtus villoſis), LINN. *H. Cliff.* 110. Arbor Galliae et Italiae indigena.

Adſtringentibus decoctis adiiciuntur, quorum vel internus vel externus vſus indicatur: ſed ob inſignem auſteritatem cautione opus eſt.

Tri-

Trifolii albi flores.

Trifolium pratenſe album, C. B. *Pin.* 327. Trifolium capſulis ſubrotundis, floſculis pedunculatis, leguminibus tetraſpermis, caule procumbente, LINN. *Fl. Suec.* 612. in paſcuis.

Ad arthritidem inprimis commendari lego; ſed vera documenta deſunt.

CLAS-

CLASSIS III.

S E M I N A.

I. VSITATA.

Anethi ſemen.

Plantam ſupra nominaui. Semen oleo aethereo acri abundat, in quo vires continentur anodynae, flatus diſcutientes et ſtomachicae. Inter quatuor carminatiua maiora refertur. Lac etiam auget.

Angelicae ſemen.

Angelica ſatiua, C. B. *Pin.* 155. Angelica foliorum impari lobato, LINN. *Fl. Lapp.* 101. in alpibus et hortis.

Oleo ſubtili praegnans, calefacit, alexipharmacum eſt, vrinam ciet, inflationes leuat, menſes et lochia pellit.

Aniſi ſemen.

Aniſum herbariis, C. B. *Pin.* 159. Aniſum foliis radicalibus ſimplicibus, LINN. *H. Cliff.* 102. Aegypti et Syriae indigena planta: in Saxonia ſuperiori copioſe ſeritur, et Thuringia.

Oleo valde volatili et dulci abundat, quod frigore condenſatur. Propter id ſtomachum roborat, flatus diſcutit, mucum pulmonum reſoluit, expectorationem promouet, viſum acuit, lac auget, tumores e

caſu

caſu vel contuſione natos diſcutit. Aqua eius diſtillata cum charta quadruplicata ſcrobiculo cordis impoſita, ſingultum leuat. *A. N. C. vol. II. obſ.* 195. Oleum diſtillatum columbas necare, ſi paucae guttulae ipſorum ori inſtillentur, et capiti infricentur, olim caſu fortuito didici.

Apii ſemen.

Apium paluſtre ſ. apium officinarum, C. B. *Pin.* 154. Apium foliis caulinis cuneiformibus, LINN. *Fl. Suec.* 248. in paludoſis et hortis.

Oleum continet leniter acre, ſapore et odore gratum. Obſtructiones ſoluit, menſes et vrinam pellit, inflationes leuat. Ad quatuor calida minora pertinet.

Auena.

Auena nigra, C. B. *Pin.* 23. Auena calycibus diſpermis, ſeminibus laeuibus, LINN. *H. Cliff.* 25. Cerealis planta per omnem Europam frequentiſſima, Aſiae domeſtica.

Tum alimentoſum vſum, tum medicamentoſum praebet. Virtutem exſerit lenientem, abſtergentem, temperantem et diureticam. Externe parum torrefacta et ſacculis incluſa, calida applicatione, colicos, hyſtericos, pleuriticos et rheumaticos lenit dolores. Ptiſanam Loweri conſtituere iuuat.

Cannabis ſemen.

Cannabis ſatiua, C. B. *Pin.* 320. Cannabis foliis digitatis, LINN. *H. Cliff* 457. Indiae orientalis indigena, ſed quae hodie in Europae variis regionibus ſeritur.

Oleo abundat mucilaginoſo, per expreſſionem eliciendo. Acres humores temperat, coagula reſoluit, vrinam pellit: hinc gonorrhoeam ſuppreſſam reuocat, lochialem ſanguinem vrget, *A. N. C. vol. II.* p. 452. lac auget, et ictero medetur, SYLV. et BONNET.

ſepulchr.

ſepulchr. p. 989. Optime emulgetur affuſa aqua, vel in lacte coquitur. Perſae frixum et cum ſale mixtum, pro venere excitanda, comedunt. OLEAR. *Itin.* Fumus inſomnia facit, ſed grata et ſine crapula, FLACOVRT *Voyag. de Madagaſc.* p. 146. Emulſio variolarum maculas delet.

Cardui benedicti ſemen.

Viſcoſo humore abundat. Alexipharmacum eſt, et ad expellendas variolas et morbillos in emulſionibus adhibetur. Plantam alibi dixi.

Carui ſemen.

Cuminum pratenſe, Carui officinarum, C. B. *Pin.* 158. Carum, LINN. *Fl. Suec.* 245. in pratis.

Inter ſemina quatuor calida maiora refertur, oleo acri aethereo turgidum, quo flatus pellit, lac auget, ventriculum roborat, et pulmonibus muco oppletis, ſuppuratisque prodeſt, cum melle infuſum. Sennae adiectum flatulentam eius naturam praepedit, BLAIR *dec. V.* p. 195. Oleum externe ad dolores colicos vtiliſſime ventri illinitur. THONER. *Obſ.* p. 126.

Cinae ſ. Santonici ſemen.

Abſinthium Santonicum Iudaicum et Alexandrinum, C. B. *Pin.* 139. Santonicum, LINN. *mat. med.* 511. Perſiae et Aegypti inquilina planta, cuius verum characterem Botanophili adhuc ignorant.

Amarum et acre eſt, aromaticumque odorem habet. Vulgatiſſimum eſt anthelminticum, quod vel in pulvere ad drachmam, vel ex infuſo vinoſo ad duas, vel ſaccharo obductum, infantibus et adultis notabili cum effectu exhibetur. Imbecillo etiam ſtomacho ſuccurrit, et anorexiae medetur. ALB. SEBA de Santolina Amboinenſi, foliis teretibus, incanis refert *T. II. tab.* 21. *fig.* 6. quod ipſius ſemen maiori virtute anthelmintica, quam Santonicum, praeditum ſit, et aro-

aromatica quoque vi et volatili illud antecellat: quod adeo, ſi haberi poſſit, commode ipſi ſubſtituendum erit.

Citrulli ſemen.

Anguria Citrullus dicta, C. B. *Pin.* 312. Cucurbita foliis multipartitis, LINN. *H. Vpſ.* 292. in Italia aliisque calidis regionibus.

Inter quatuor frigida maiora eſt. Demulcet et temperat. In emulſione adhibetur.

Cucumeris ſemen.

Cucumis ſatiuus vulgaris, C. B. *Pin.* 310. Cucumis foliorum angulis rotundatis, LINN. *H. Cliff.* 451. In agris et hortis colitur.

Eiusdem ordinis et vſus eſt cum praecedente.

Cucurbitae ſemen.

Cucurbita oblonga, flore albo, folio molli, C. B. *Pin.* 313. Cucurbita ſeminibus obſolete bicornibus, LINN. *H. Cliff.* 451. Americae inquilina.

Eiusdem vſus et ordinis cum praecedente.

Cumini ſemen.

Cuminum ſemine longiore, C. B. *Pin.* 146. Cuminum, LINN. *mat. med.* 139. Aegypti et Aethiopiae inquilina; in inſula Melita copioſe culta.

Inter ſemina quatuor calida maiora refertur. Graui et aromatico odore et ſapore eſt, ab oleo aethereo, quod vehit. Imbecillitati viſcerum ſuccurrit, colicae dolores ſedat, vermes expellit, auditus difficultati et odontalgiae medetur, capitis dolores lenit, quo ſcopo pani admiſtum fronti alligatur. In ſacculis externe ad diſcutiendum et lac ſtagnans et alios humores adhibetur.

Erucae

Erucae ſemen.

Eruca latifolia alba, C. B. *Pin.* 98. Braſſica foliis lyratis, caule hirſuto, ſiliquis glabris, LINN. *H. Vpſ.* 190. Siſymbrium foliis pinnatifidis, laciniis exterioribus maioribus, caule hirſuto, ID. *H. Cliff.* 337. in Heluetia.

Acri principio pollet. Craſſos humores reſoluit, digeſtionem iuuat, vrinam mouet, indeque in infuſo vinoſo ad hydropem valet; porro paralyſi et ſcorbuto medetur, et ad apoplexiam ſeroſam auertendam facit. SCHVLZ. Saliuam ciet maſticatum. Ad venerem denique incitat tardos maritos, ex antiqua doctrina.

Fabae ſemen.

Faba, C. B. *Pin.* 338. Vicia caule erecto, petiolis cirrho deſtitutis, LINN. *H. Cliff.* 369. In agris colitur.

Farina eius ad tumores diſcutiendos, inprimis mammarum, teſtium et ſcroti, atque eryſipelata in ſacculis adhibetur. Melle addito maturat. Decoctum ad tuſſim longam facit.

Foeniculi ſemen.

Foeniculum vulgare Germanicum, C. B. *Pin.* 147. Anethum fructu ouato, LINN. *H. Cliff.* 106. In multis Europae regionibus ſeritur.

Dulce aethereum oleum continet, quod frigus condenſat. In numero quatuor ſeminum calidorum ponitur. Vſu conuenit cum aniſi ſemine.

Foenugraeci ſemen.

Foenum graecum ſatiuum, C. B. *Pin.* 348. Trigonella leguminibus ſeſſilibus ſtrictis erectiuſculis acuminatis, LINN. *H. Vpſ.* 229. In Germania ſeritur.

Mucilagine balſamica turget; qua oculorum dolores lenit, inflammationes potenter diſſipat, alui et vrinae difficultates leuat, colicos, renum et veſicae dolores compeſcit, maturandis abſceſſibus inſeruit. Quo ſcopo fotibus, clyſteribus et cataplaſmatibus additur, vel ſolum decoctum in aqua ſimplici aut mulſa adhibetur; quod poſterius quidem aduerſus inflammationes tam externas, quam internas, vtiliter illinitur. Prius etiam capillos, furfures, et manantia capitis vlcera purgat.

Hordei ſemen.

Hordeum diſtichum, C. B. *Pin.* 23. Hordeum floſculis lateralibus maſculis muticis, feminibus angularibus imbricatis, LINN. *H. Vpſ.* 23. Cerealis Europae planta.

Decoctum eius humores diluit, attenuat, temperat, ſitim exſtinguit, vrinae acrimoniam lenit, et ſaliuam promouet. HAMILTON *Prax. reg.* p. 29.

Hormini ſemen.

Plantam ſupra iam dixi. Semen ſuauiſſimum odorem ſpirat. Purgat cum melle argemas et albugines oculorum; et illitum ex aqua tumores diſcutit. Ad venerem ſtimulandam antiqui cum vino bibi voluerunt.

Leuiſtici ſemen.

Ex eadem eſt planta, ac folia, quae ſupra memoraui. Sapore et odore aromatico eſt propter oleum aethereum, quod vehit. Calefacit, reſoluit, ſudorem, vrinam et menſes mouet, et vermes expellit.

Lini ſemen.

Linum ſatiuum, C. B. *Pin.* 214. Linum foliis alternis lanceolatis integerrimis, calycibus acuminatis

angu-

angulatis, capſulis mucronatis, LINN. *H. Vpſ.* 71. Pannoniae et Hiſpaniae inquilina, in agris Germanorum copioſe ſeritur.

Easdem, quas foenum graecum, vires habet. Sed praeterea in internum vſum trahitur. In morbis pectoris, raucedine, tuſſi, aſthmate (RIDLEY *obſ.* 27. p. 122.), ipſius oleum expreſſum, cochleatim ſumtum, vel decoctum ex aqua ſemen valde efficax eſt; etiam in pleuritide, *E. N. C. Cent. I. ann.* 3. *obſ.* 218. BAGLIV. p. 38. empyemate, *E. N. C. Cent. X. app. obſ.* 33. et nephritico dolore, MIDDLETON *de Lithotom.* p. 5. HAMILTON p. 44. Externo vſu decoctum vel oleum ad inflammationes faucium, et vuluae, ad voluulum. ad ambuſta, et ad haemorrhoides dolentes vtiliſſimum; item denti carioſo inſtillatum ad odontalgiam. BAEVMLER.

Maluae ſemen.

Planta alias mihi nominata eſt. Vires foliorum aemulatur. Antiqui ad veſicae cruciatus in vino potum inprimis commendarunt. DIOSC.

Melonum ſemen.

Melo vulgaris, C. B. *Pin.* 310. Cucumis foliorum angulis rectis, LINN. *H. Cliff.* 451. in cultis Europae.

Inter quatuor ſemina frigida maiora recenſetur. Vires cum cucurbita communes habet.

Meu ſemen.

Meum foliis anethi, C. B. *Pin.* 148. Athamanta foliolis capillaribus, ſeminibus glabris, ſtriatis, LINN. *H. Cliff.* 93. in Alpibus Italiae, Galliae et Heluetiae.

Aromatico eſt ſapore, virtute roborante et calefaciente: vnde in omnibus morbis frigidis efficax. In-

fuſo frequenter in Anglia ad febres intermittentes vtuntur. BLAIR *dec.* 7. p. 318.

Napi ſemen.

Napus ſatiua rotunda, C. B. *Pin.* 89. Braſſica radice cauleſcente fuſiformi, LINN. *Fl. Suec.* 548. In agris Europaeorum ſeritur.

Incidit, et vrinam mouet. In variolis et morbillis inter emulſiones praeſcribitur.

Nigellae ſemen.

Nigella flore minore ſimplici candido, C. B. *Pin.* 145. Nigella petalis ſubtricuſpidatis, foliis ſubpiloſis, LINN. *H. Vpſ.* 154. inter olera et in agris.

Acre eſt, et odoratum. Expectorationem promovet, colicos dolores ſedat, et lac auget, in iuſculo ſumtum, imo etiam pectori ſaltem appenſum. *A. N. C. vol. II. obſ.* 195. Retrorſum vero appenſum, lac abundans diſcutere dicitur *ib.* denique lochia promovet. Externe inter ſternutatoria acriora habetur, *van* SWIETEN III. p. 381. Noxiarum virium ſuſpecta eſt TRAGO et aliis. Ex MONTAGNANAE conſilio ad ſeſquidrachmam aliquot diebus continuis deuoratum, rabiem caninam tollit, et ſuauem ſomnum conciliat.

Papaueris albi et nigri ſemen.

Papauer caule multifloro, foliis ſimplicibus, glabris, inciſis, caulinis, LINN. *H. Vpſ.* 135.

α) Papauer hortenſe ſemine nigro, C. B. *Pin.* 170. *β*) Papauer hortenſe ſemine albo, ID. *ib.* In agris auſtralioris Europae colitur.

Pingui oleo refertum, temperat et humorum acrimoniam lenit, ſpaſmosque, ſi non nimis validi ſunt, ſoluit. Hoc ſcopo inter emulſiones praeſcribitur in catarrhis pulmonum et peruigiliis febrium. Fruſtra

ipſi

ipſi virtus ſomnum concilians adſcribitur, quem nunquam ſucceſſiſſe vidi. Tritum ſemen cum vino bibi voluerunt antiqui contra citam aluum et foeminarum profluuia. DIOSC.

Sinapi ſemen.

Sinapi rapi folio, C. B. *Pin.* 99. Sinapis ſiliquis glabris tetragonis, LINN. *Fl. Suec.* 549. In agris colitur.

Acerrimum eſt, et ad calefaciendum, extenuandum, extrahendumque valde efficax. Ex aceto contritum in lethargo prodeſt, capiti raſo impoſitum, item in tympanite in ventrem crebrius coniectum, donec cutem erodat. CELS. *L.* 3. *c.* 21. Similiter ad coxendicum dolores confert ſic adhibitum, et ad paralyſin ſupra membrum reſolutum datum. ID. Tritum porro, et naribus admotum, ſternutamenta ciet; foeminas vuluae ſtrangulatu oppreſſas excitat. Ad eliciendum ex capite pituitam manditur. Alopeciae, impetigini et leprae cum aceto illitum medetur; et ad omne genus morbos et dolores confert, quum permutandi valetudinis cauſa, ex alto vitia extrahenda ſunt. Intus ſumtum ab apoplexia pituitoſa praeſeruat. *A. N. C. vol. II.* p. 238. Chloroſi, cachexiae et ſcorbuto medetur, ad quem ex lege ſcripta nautis muſtardam praeſcribunt Batavi, et non alia planta ſcorbuticos in obſidione Rupellenſi ſanatos fuiſſe, refert CHOMEL. Eadem muſtarda ad cochlear ſumta in aſthmate humido commendatur. LENTIL. *Iatromn.* p. 284. Contra febrium circuitus aridum bibi, DIOSCORIDES iam habet; ſed id ſaepe letale eſſe, ſi copioſe ſumatur, recentiores obſeruarunt (*van* SWIETEN *II.* p. 31.). Ex aqua calida contritum, adiecto ſalis marini pauxillo, et ad cochlear epotum ieiuno, vomitorium eſt, *Eſſais of Edinb.* II. 19. et in morbis neruorum admodum efficax. Emplaſtro ſubactum, et faciei impoſitum, eam a vario-

lis, etiamſi iam expulſis, defendit, ſiquidem in aliam partem transferuntur, ex Cl. ROSEN obſeruatione diſſ. *de variol. cur.*

Vrticae ſemen.

Diureticum eſt, ad aſthma cum melle delinctum, et nephritidem calculoſam ſalutare. Nullo labore nullaque offenſione vomitum ciet, ſi tritum datur aqua muiſa aut leniente iuſculo a drachma dimidia ad drachmam vnam. FERNEL. p. 198. Ex paſſo potum, venerem ſtimulare, et vuluae ora patefacere, DIOSCOR. contra obeſitatem valere, BRESLAV. 1718. M. Febr. p. 701. Plantam alibi recenſui.

II. INFREQVENTIA.

Amomi ſiue *Pimentae ſemen.*

Myrtus arborea aromatica, foliis laurinis latioribus, et ſubrotundis, SLOAN. *Phil. Tranſ.* n. 192. et *Iam. II.* T. 191. f. 1. Arbor inſulae Iamaicae et St. Domingo, aliarumque Indiae occidentalis.

Sapor et odor iucundus aromaticus, caryophilleus. Calefacit, ventriculum roborat, appetitum excitat, pituitam incidit, et in omnibus morbis frigidis prodeſt. Oeconomico vſui hodie cum aliis aromatibus impenditur.

Aquilegiae ſemen.

Nigri eſt coloris et laeuiſſimum, inſuperque leniter mucilaginoſum cum aliqua acredine. Ad expulſionem variolarum et morbillorum vulgo expetitur, et vel in emulſione datur, vel in puluere, ad drachmam dimidiam, omni bihorio, adulto homini. Aduerſus icterum quoque commendatur, et ad partum promouendum. Ex eadem planta eſt, vnde flores, quos ſupra dixi.

Bar-

Bardanae ſemen.

Lappa maior, Arctium Dioſcoridis, C. B. *Pin.* 198. Arctium, LINN. *Fl. Suec.* 651. Lappa capitulis glabris maioribus, HALL. *Helu.* 675. ad vias et in rudetis.

Amariſſimum eſt. Purgat et vrinam ciet, hincque in nephritide adhibetur, vel in puluere, vel in emulſione.

Calcitrapae ſemen.

Carduus ſtellatus, foliis papaueris erratici, C. B. *Pin.* Calcitrapa officinarum, flore purpuraſcente, VAILL. p. 209. Calcitrapa foliis laxe pinnatis, mollibus, capitulis ad latera caulis ſeſſilibus, HALL. 689. Centaurea calycibus tubulato ſpinoſis, ſeſſilibus, foliis linearibus, pinnatifidis, LINN. *H. Cliff.* 423. in gramineis et ſuburbanis.

Vrinam potenter mouet, ad ſanguinis vsque ſtillicidium, LOBEL. adu. p. 372. doſi drachmae vnius.

Cardui Mariae ſemen.

Plantae nomina botanica ſupra reperies. Semen amarum eſt. Vis eius diuretica; vt in calculo, dyſuria et ſtranguria emulſio inde facta praedicetur. Contra pleuritidem vulgo etiam valere dicitur, BRESLAV. 1718. p. 1049. 1063. ſed innocens declarat Ill. TRILLER *de Pleur.* p. 48. Alii denique in fluore albo laudant.

Carthami ſemen.

Seroſos humores per aluum euacuat ad drachmas duas ſub emulſionis ſpecie aſſumtum. Veteres eo inprimis in pectoris infarctu, tuſſi et aſthmate vſi ſunt. Planta ſupra nominata eſt in florum claſſe.

Citri ſemen.

Malus medica, C. B. *Pin.* 436. Citrus petiolis linearibus, LINN. *H. Cliff.* 379. Arbor in Italia frequens.

Amaricat. Vermes expellit, et inter alexipharmaca numeratur, quae variolas inprimis et morbillos expellunt.

Endiuiae ſemen.

Demulcet humores acres, et temperat. Inter ſemina quatuor frigida minora numeratur.

Faba Bengalenſis.

Eſt corpus ſubrotundum, colore bruneo, fabae haud abſimile. Reperitur haud infrequenter inter Myrobalanos citrinas, quas Bengalenſes transmittunt, et pro nucleo huius fructus habetur. Sapor admodum adſtringens eſt. Cl. MARBOE, Medicus Anglus, eam primus propoſuit tanquam medicamentum, quod in ſanguinis et aliorum humorum profluuiis vtile eſſet. HILL. p. 503. Is etiam nomen ipſi dedit.

Faba St. Ignatii.

Cucurbitifera malabathri foliis ſcandens, cuius nuclei Faba St. Ignatii dicti PLVKNET. *almag.* CAMELL. *Phil. Tranſ.* n. 250. p. 88. Americae inquilina.

Reperitur in pulpa flaua et amara fructus meloni ſimilis, qui vſque ad quatuor viginti eiusmodi ſemina continet. Valde amara eſt. Ad febres intermittentes praecipue commendatur infuſum aquoſum, ſed ambiguas vires eſſe, et vſum inſecurum, nonnulli contendunt (*Act. Berol. vol. II. dec. I.* p. 34.): deinde ad teneſmum et ſpaſticos morbos; vt in puero etiam epileptico haec virtus a BEROLINENSIBVS con-

confirmata ſit l. c. *dec. II. vol. X.* 12. Raſura ad ſcrupulum dimidium ſumta vomitum, ſaepe immoderate, mouet; infuſa vero in aliquot vnciis aquae non mouet, ſed roborat ventriculum, et digeſtionem promouet; ad quam normam adeo etiam in dictis morbis danda eſt.

Fraxini ſemen ſ. Lingua auis.

Fraxinus excelſior, C. B. *Pin.* 416. Fraxinus floribus nudis, LINN. *Fl. Suec.* 830. Arbor vulgaris.

Cum acredine amaricat. Aperitiuum, diureticum et antipleuriticum eſt. Refertur etiam inter lithontriptica et aphrodiſiaca.

Hyoſciami ſemen.

Aeque ac folia, quae ſupra ſcripſi, venenis narcoticis annumeratur, quum intus ſumtum vertiginem, deliria, viſus obfuſcationem, et ſomnum profundum inducit, SLOANE *Phil. Tranſ.* n. 429. ſubinde etiam epilepticos motus, ſtupores ac inſenſibilitatem, licet parua doſi ad ſcrupulum dimidium in puluere, aut ad integrum in infuſo oblatum, *Commerc. Nor.* 1736. p. 102. vt adeo ex medicamentorum internorum ſylloge excludi prorſus ZWELFERVS et HOFFMANNVS voluerint; caute tamen et prudenter adhibitum, dolores qualescunque ſedat, ſpaſmos lenit, et haemorrhagias ſiſtit; et externe vapor in dentem cauum admiſſus, odontalgiam ſedat. SLOAN. *l. c.* Oleum expreſſum etiam laudabile tonicum et anodynum eſt.

Lycopodii ſemen.

Tenuiſſimus puluis, ad flammam ardens. Mitigat et emollit interne ſumtum. In dyſenteria et torminibus ideo valet, item in iſchuria, *E. N. C. dec.* 1. *ann.* 3. *obſ.* 12. et nephritide, GESNER *Epiſt.* p. 92.

Externe ad infantum intertrigines et papillarum fiſſuras; quo vulgo in Heluetia vtuntur, HALL. *Helu.* p. 92. Planta ſupra adfuit.

Paliuri ſemen.

Paliurus, DOD. *Pempt.* 576. Rhamnus folio ſubrotundo, fructu compreſſo, C. B. *Pin.* 477. Rhamnus aculeis geminatis, inferiore reflexo, floribus trigynis, LINN. *H. Cliff.* 69. Frutex Europae auſtralis.

Inter diuretica refertur. Vſus eo eſt DEIDIER *Conſult.* T. I.

Phellandrii ſ. *foeniculi aquatici ſemen.*

Phellandrium, DOD. *Pempt.* 591. Cicutaria paluſtris tenuifolia, C. B. *Pin.* 161. Phellandrium foliis ad angulos obtuſos ramoſis, HALL. *Helu.* 432. Phellandrium foliorum ramificationibus diuaricatis, LINN. *Spec. Pl.* 255. in humidis et paluſtribus.

Odor eſt fragrans et balſamicus, ſapor aliquantum acris et aromaticus. Vulnerarium eſt, et ſingularem famam in Saxonia inferiori nactum eſt, vbi ad vulnera, abſceſſus, vlcera, fracturas, ad drachmam vel per ſe, vel ſaccharo remixtum, aliquoties de die aſſumitur: quem vſum etiam experimentis confirmarunt HEISTERI, pater diſſ. *de hern. incar. ſupp.* §. 27. et filius *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 139. et diſſ. *de nou. brach. amp. rat.* In febribus intermittentibus etiam laudat KRAMER *introd.* p. 7. et ad morbos pectoris ERNSTING *Phellandrol.*

Poeoniae ſemen.

Inter antepileptica refertur. Vomitum mouet, BOERHAAV. et aluum ducit, GRVVII experimento. Plantam in claſſe florum nominaui.

Pſyl-

Pſyllii ſemen.

Pſyllium Dioſcoridis ſ. indicum, foliis crenatis, C. B. *Pin.* 191. Plantago caule ramoſo, foliis dentatis, ſpicis nudis, LINN. *H. Vpſ.* 28. Plantago caule ramoſo, erecto, HALL. *Helu.* in agris arenoſis.

Durum et nigrum eſt, pulicum ſimile, vnde et nomen. Mucilagine multa ſubdulci refertum eſt, quae infuſa aquae calidae extracta lenit, lubricat et conſolidat: vnde in fiſſuris papillarum et aliarum partium, ad ambuſta et ardores oculorum inflammatorios confert illita; etiam in ſtranguria et dyſuria tam in emulſione, quam iniectione in penem prodeſt. In anum infuſa aridas faeces emollit, et ad exitum promovet. Intus ſumtum ſemen corpori toti frigus et torporem cum exſolutione et moerore quodam afferre ait DIOSCORIDES, vt animum deſpondeant: verumtamen ſine tali noxa ab Aegyptiis vſurpari, et ad febres ardentes et ad ventrem mouendum, ALPINVS habet *Hiſt. nat. Aeg. l.* p. 124. 183.

Sabadilli ſemen.

Planta adhuc ignota eſt, ſed in Mexicano regno prouenit, et ſemen vulgati apud incolas vſus eſt, quem SCHENDVS *van der* BECK attingit in *app. ad A. N. C. vol. l.* p. 120. Figura et nigreſcente colore muſcerdam refert, ſapore acri amaro et ferme colocynthiaco eſt, maſticatumque inſtar Tabaci Braſiliani fauces acrimonia ſua cauſtica illico aggreditur, et per horas aliquot nauſeoſe irritando inficit. Axungia ſubactum et capiti illitum, mira efficacia et ſubito pediculos exſtinguit, magis praeſentaneo euentu, quam Staphidos agriae ſemen aut ipſa mercurialia malagmata.

Saponariae nuculae.

Sapindus, LINN. *H. Cliff.* 152.

α) Nuci prunifera arbor americana, fructu ſaponario, orbiculato, monococco, nigro, PLVKN. *almag.*

almag. 255. T. 217. f. 7. Sapindus foliis pinnatis, LINN. *Spec. Pl.* p. 376. in Braſilia et Iamaica.

β) Prunifera fructu racemoſo paruo, nucleo ſaponario ſ. Arbor ſaponaria, RAI. *Hiſt. pl. II.* p. 1548. Poerinſii *Hort. Malab.* IV. p. 43. tab. 19. Sapindus foliis terminatis, LINN. *ib.* in Malabaria.

Fructuum in aqua communi infuſio aut decoctio non ſecus, ac ſaponis, ſpumeſcit; et epota cachecticis affectibus et cruciatibus colicis medetur; nec non variis modis ad alios affectus externe et interne vſurpatur. Iidem fructus pannis lauandis et abſtergendis inſeruiunt, ſaponis vice; et aqua eorundem lixiuialis ad vaſa argentea decoquenda et depuranda. Eiusdem aquae ſpuma temporibus illita cephalalgiam, nec non febrem tollere dicitur.

Tigliae ſ. Tilli grana.

Ricinoides indica, folio lucido, fructu glabro, BVRM. *Fl. Zeyl.* 300. t. 90. Croton foliis ouatis glabris acuminatis ſerratis, caule arboreo, LINN. *Fl. Zeyl.* 343. Arbuſcula Zeylanenſis.

Deiectione et vomitione impetuoſe et turbulenta vertigine corpus agitando purgant, et circumforaneis inprimis inſeruiunt ad pilulas ſuas conficiendas. Poſſunt tamen et circumſpecti Medici in nonnullis caſibus, vbi fortiora purgantia indicantur, ipſis vti; et Cl. COHAVSEN taenias ipſorum ope cum ſucceſſu expulit. *A. N. C. vol. IX. obſ.* 13. Dantur grana quatuor, admiſto ſaccharo, et lacte ſuperbibito: qua ratione egomet ipſe in grauiori morbo pituitoſo ſine vlla moleſtia aegri ipſis vſus ſum.

III. OBSOLETA.

Abelmoſchi ſemen.

Alcea aegyptiaca villoſa, C. B. *Pin.* 317. Hibiſcus foliis peltato-cordatis, ſeptemangularibus, ſerratis, hiſpidis, LINN. *Fl. Zeyl.* 263. Frutex Aſiae et Americae calidioris.

Fragranti odore eſt, moſchi ſimili. Caput et ſtomachum roborat, et exanthemata ac tineam ad cutem propellit in puluere aſſumtum.

Acetoſae ſemen.

Plantam ſupra dixi. Mediocriter adſtringit et roborat: hinc ventris fluxibus et ſtomachi vitiis epotum medetur.

Agni caſti ſ. *viticis ſemen.*

Vitex latiore folio, C. B. *Pin.* 475. Vitex, LINN. *H. Cliff.* 327. Arbuſcula Graeciae et Italiae inquilina.

Acre quid habet et calidum. Ad nimium feruorem venereum, hyſtericam paſſionem et gonorrhoeam commendatur drachmae pondere in vino potum: etiam ad diſcuſſionem lactis, et promouendum fluxum menſium. Rimas ſedis cum aqua illitum lenit. Caput vero ſimul tentare, et ſoporem afferre, DIOSCORIDES habet.

Ammios ſemen.

Ammi paruum, foliis foeniculi, C. B. *Pin.* 159. Siſon foliolis ſubcapillaribus, LINN. *H. Vpſ.* 63. in Apulia.

Aromatico acri ſapore linguam afficit. Calorem auget, flatus diſcutit, vrinam pellit, menſes mouet, vterum, vt aiunt, ſpecifice roborat, et ſterilitati medetur.

detur. Datur drachma dimidia ad integram. Inter ſemina quatuor calida minora numeratur.

Atriplicis ſatiuae ſemen.

Vomitione et deiectione purgat, ad drachmam vnam ſumtum. Rachiticis dicitur ſpecialiter prodeſſe. Plantam ſupra dixi.

Baſilici ſemen.

Foliis, de quibus alias dictum eſt, virtute ſuppar cenſetur.

Cataputiae maioris ſiue *Ricini ſemen.*

Ricinus vulgaris, C. B. *Pin.* 439. Ricinus foliis peltatis, palmatis, ſerratis, petiolis glanduliferis, LINN. *H. Cliff.* 450. in hortis.

Acre et amarum eſt. Deiectione et vomitione impetuoſe purgat, hinc raro, niſi vbi multa pituita cum vermibus adeſt, aut hydrops affligit, praeſcribitur, ex decocto foeniculi et vuarum paſſarum ad quinque vſque octo viginti grana, addito ſaccharo et cinamomo.

Cataputiae minoris ſemen.

Lathyris maior, C. B. *Pin.* 293. Euphorbia inermis, foliis oppoſitis lanceolatis, vmbella vniuerſali quadrifida tetraphylla, reliquis dichotomis, LINN. *H. Cliff.* 198. in Gallia.

Vires habet ricino proximas, cuius grana haud ſecus praeparata dantur a ſeptem ad duodecim. In eundem quoque vſum vulgus tria quatuorue lathyridis folia ex pingui iure cum oleribus coquit. Qui vero tum haec, tum grana cruda, ex ſolo vino trita propinant, in magnam perturbationem atque terrifica ſymptomata, corpus miſere praecipitant. FERNEL. p. 196.

p. 196. Externe ſemen rubefacientibus quandoque admiſcetur; ex aqua vero tritum illinitur verrucis, et cuti tanquam eſcharoticum. QVINCY, p. 229.

Ciceris ſemen.

Cicer ſatiuum, C. B. *Pin.* 347. Cicer foliis ſerratis, LINN. *H. Cliff.* 370. Italiae et Hiſpaniae indigena.

Decoctum diureticum eſt, et aperiens, vt magna copia adhibuerit AVGENIVS in comminutione calculi, pro vehiculo reliquorum medicamentorum. Vulgus illud exhibet puerperis ad pellenda lochia, et infantibus ad promouendum variolarum exitum. Farina ad cataplaſmata diſcutientia et emollientia adhibetur.

Coccognidii ſ. Laureolae ſemen.

Laureola folio deciduo, flore purpureo, C. B. *Pin.* 462. Daphne floribus ſeſſilibus infra folia elliptico-lanceolata, LINN. *Fl. Suec.* 311. Thymelaea floribus ſpicatis ſub foliis ellipticis, modice acuminatis, laeuibus, mollibusque, HALL. *Helu.* 188. in ſylvis.

Vrentem acrimoniam monſtrat. Immoderate et moleſte deiectione humores purgat, quare nonniſi maceratione per nychthaemerum correctum adhibere praeſcripſerunt veteres, a ſex granis vsque ſcrupulum dimidium. Ad quindecim grana et vltra in Dania exhiberi, ſed cum magno et diuturno ſanitatis detrimento, vt per menſem tormina ſuperſint. BVCHWALD p. 77. et BRESLAV. 1718. M. Febr. Lappones et Weſtrobothnienſes duas vel tres baccas deglutire in inflammatione et vomica ventriculi, MONTINVS refert *diſſ.* Folia, quod obiter noto, aeque purgant, et a drachma dimidia ad drachmam vnam in aqua frigida macerantur, haecque dein potatur; vel coquuntur a ſcrupulo vno ad ſcrupulos duos in pingui aut leniente iure, adiecto ſaccharo et cinamomo:

mo: puluis eorum datur a granis quinque ad grana decem, maſtiche et ſpica permiſtus. FERNEL. p. 197. Ex vino tamen cocta non aluum mouere, ſed menſes pellere, affirmat WELSCH. *Miſtom.* p. 34.

Coriandri ſemen.

Coriandrum maius, C. B. *Pin.* 158. Coriandrum fructibus globoſis, LINN. *H. Cliff.* 100. In agris ſeritur.

Peculiarem et tetrum odorem habet ab oleo aethereo, quod continet. Vertigini ſpecifice creditur mederi in epithemate, aut alio modo vſurpatum: deinde memoriam augere, ſtomachum et inteſtina roborare, cardialgiam et odontalgiam ſedare, taenias expellere, et flatus diſcutere. Alii quoque ad quartanam commendant. Semen ſaccharo obducitur, et ſic deuoratur. DIOSCORIDES, largius ſumtum, mentem non ſine periculo mouere ait. Externe ad inflammationes et ſtrumas diſcutiendas laudat. Sed vehementiorem longe et teterrimum odorem ſpargit *Coriandrum minus teſticulatum*, C. B. *Pin.* 16. quod in Italiae agris creſcit, et grauiſſimo ſuo vapore praetereuntium capita tentat, eoque magis pluuioſa tempeſtate, vbi adeo ad vicinas terras defertur. SEGVIER *Veronenſ.* II. p. 23.

Daturae ſemen.

Solanum pomo ſpinoſo rotundo, longo flore, C. B. *Pin.* 168. Datura pericarpiis ſpinoſis nutantibus globoſis, LINN. *H. Cliff.* 55. Stramonium fructu erecto, calyce pentagono, HALL. *Helu.* 489. in hortis et fimetis.

Odor plantae viroſus, qualitas venenata, narcotici generis, et quae deliria mouet. Externe ſolent ſemen commendare nonnulli narcotico ſcopo ad haemorrhoides dolentes et cancroſa vlcera. Intus ſumtum necat, niſi

niſi antidoto, quale acetum eſt, tempeſtiue ſuccurratur. Funeſto errore non raro pro nigellae ſemine venditur. BRESLAV. 1727. p. 122.

Dauci cretici ſemen.

Libanotis foliis tenuiſſime pinnatis, laciniis petiolatis, HALL. *Helu.* 451. Athamanta foliolis linearibus planis hirſutis, petalis bipartitis, ſeminibus oblongis hirſutis, LINN. *mat. med.* 143. in alpibus Helvetiae et Auſtriae.

Odor et ſapor acris et aromaticus. Laudem inprimis obtinuit in diſſoluendo calculo, ex HELMONTII obſeruatione de *Lithiaſ.* c. 8. §. 23. tam in puluere, quam cum cereuiſia rite fermentatum. Caeterum ſtomachicum et vterinum eſt.

Dauci ſatiui ſemen.

Paſtinaca tenuifolia ſatiua radice lutea, C. B. *Pin.* 151. Daucus ſeminibus hiſpidis, LINN. *H. Cliff.* 89. In agris colitur.

Virtute priori ſuppar habetur: ſimulque ſeminibus calidis quatuor minoribus accenſetur.

Erui ſ. Orobi ſemen.

Orobus ſiliquis articulatis, C. B. *Pin.* 346. Eruum leguminibus pendulis, LINN. *H. Cliff.* 370. Cicer piſtillorum germinibus vndulato-plicatis, ID. *H. Vpſ.* 224. In agris ſeritur.

Farina emollit et maturat. Vulgo nutrices in Anglia ſemen potui puerorum incoquunt, vt variolas et morbillos expellant. ALLEYNE.

Lentis ſemen.

Lens vulgaris, C. B. *Pin.* 346. Cicer pedunculis bifloris, foliolis integerrimis, ſtipulis indiuiſis, LINN. *H. Vpſ.* 224. In agris ſeritur.

Vſus priori per omnia ſimilis. SEPTALIVS tamen damnat ad variolarum expulſionem. *Animadu. V.* n. 59.

Lithoſpermi ſemen ſ. milii ſolis.

Lithoſpermum maius erectum, C. B. *Pin.* 258. Lithoſpermum ſeminibus laeuibus, corollis calycem vix ſuperantibus, foliis lanceolatis, LINN *Fl. Suec.* 151. Lithoſpermum foliis ſubtus neruoſis, floribus in alis foliorum exeuntibus, HALL. *Helu.* 518. in Heluetia et in montanis.

A ſeminis duritie nomen accepit. Cum vino potum calculos frangere, et vrinam pellere, apud antiquos legitur. DIOSC. Sed haec opinio forte ex praeiudicio e ſignatura nata eſt. Pene totum terra eſt, vt etiam cum acidis efferueſcat. GREW.

Lupini ſemen.

Lupinus ſatiuus flore albo, C. B. *Pin.* 347. Lupinus calycibus alternis, appendiculis lateralibus nullis, LINN. *H. Cliff.* 72. in hortis.

Farinam praebet amariſſimam, quae inter cataplaſmata emollientia et diſcutientia adhibetur. Eadem melle et felle bouis remixta ventri infantum verminoſorum illinitur. Decoctum in ſcabie pro lotione impenditur.

Milii ſemen.

Milium ſemine luteo et albo, C. B. *Pin.* 26. Panicum panicula laxa, flaccida, foliorum vaginis pubeſcentibus, LINN. *H. Cliff.* 27. In agris ſubinde ſeritur, ex India in Europam delatum.

Decoctum, adiuncto nomine St. Ambroſii notum, celebratum eſt vt leniens et demulcens medicamentum, quod KRAMERVS in dyſenteria Hungarica ſpecificum deprehendit. *Commerc. Nor.* 1733. p. 43. 133. et 1735. p. 222. QVERCETANVS deſcriptionem eius exhibet in *Pharmac. dogm.* p. 137. Itali etiam eo

vtun-

vtuntur in febribus intermittentibus ante vel poſt paroxyſmum. Sudorem enim mouet.

Paradiſi grana.

Grana Paradiſi officinarum, C. B. *Pin.* 413. RAI. *Hiſt. pl.* 1205. Amomum caule ramoſo, LINN. *mat. med.* 3. in India orientali.

Aromaticum et acrem ſaporem habent, fere piperatum; vt etiam aromatarii nonnulli piperis pulueri, maioris lucri cauſa, ea admiſceant. Calefaciunt et ſtimulant, et ad paralyſin inprimis commendantur.

Paſtinacae ſemen.

Paſtinaca ſylueſtris latifolia, C. B. *Pin.* 155. Paſtinaca foliis ſimpliciter pinnatis, LINN. *H. Cliff.* 105. In agris ſeritur.

Aliquantiſper calidum eſt, et prodeſſe dicitur ad febres tertianas.

Perfoliatae ſemen.

Parem cum foliis virtutem habere creditur. Oleum vnguinoſum continet, quod expreſſione eliciunt pharmacopoei.

Petroſelini Macedonici ſemen.

Apium Macedonicum, C. B. *Pin.* 154. Bubon foliis rhomboideo-ouatis, crenatis, vmbellis numeroſiſſimis, LINN. *H. Cliff.* 95. Smyrnae incola.

Praeter vires de noſtratibus ſupra laudatas, etiam alexipharmacam habere cenſetur, indeque in compoſitiones Theriacae et Mithridatii fuit receptum.

Plantaginis ſemen.

Ex eadem plantae ſpecie eſt, quam ſupra nominavi. Leuiter adſtringit. In dyſenteria cum vſu adhibuit WEDELIVS *diſſ.* p. 27. ad abortum praecauendum commendauit RIVERIVS *Prax.* L. 15. c. 17.

alii ad febres intermittentes et profluuia ſanguinis. Datur a dimidia vsque ad integram drachmam.

Porri ſemen.

Cum foliis odore et virtute conuenit; ſed acrius eſt, et quandam adſtrictoriam vim habet. Antiqui ſuccum cum aceto, addito thure, ad ſanguinis profluuia ſiſtenda dederunt, maxime ſi naribus erumperet. Contra omnia thoracis vitia tabemque, efficax quoque pro delinctu habuerunt, ſimul vero ſtomacho aduerſari, et continuato vſu viſus obſcuritatem inducere, annotarunt. DIOSC. Venerem item ſtimulare.

Rapae ſemen.

Rapa ſatiua rotunda, C. B. *Pin.* 89. Braſſica radice cauleſcente orbiculari depreſſa carnoſa, LINN. *H. Cliff.* 339. In agris ſeritur.

Oleum expreſſum, quod continet, ad aphthas oris inprimis laudatur, *A. N. C. T. IV. verſ. Germ.* et ad perniones, ſi ipſis illinitur; interne vero ad aſthma, tuſſim, et vrinae difficultatem.

Rutae ſemen.

Foliis virtute aequiparatur. PECHLINVS praecipue laudat in fluore albo ex aqua eius diſtillata aſſumtum.

Seſami ſemen.

Seſamum veterum, C. B. *Pin.* 27. SLOAN. *Iamaic.* *I.* p. 161. Digitalis orientalis Seſamum dicta, TOVRNEF. *Inſtit.* p. 165. Seſamum foliis ouato oblongis integris, LINN. *Fl. Zeyl.* 318. in Aegypto, Malabaria, Zeylona.

Aegyptiis tum in cibo, tum in medicamentis vſitatiſſimum eſt oleum expreſſum. Bibunt illud mulieres in balneis, vt impingueſcant; bibunt etiam ad cutis pruritus, ad aſthma, pleuritidem, dolores ſtomachi

et

et inteſtinorum, et vteri cruciatus. In clyſteribus etiam applicatur ad emolliendum aluum, et ad mouendas menſtruas purgationes. Externe ambuſtis illinitur, PROSP. ALPIN. *Pl. Aegypt.* p. 37. et capiti in doloribus calidis, GRIMM. *Labor. Ceylan.* p. 131. Sed plantam hanc non eſſe verum antiquorum Seſamum, multis videtur (RAI. *hiſt. pl.* p. 1327.); ideoque an vires a Dioſcoride Seſamo adſcriptae ei conueniant, dubium eſt.

Seſeli cretici ſemen.

Seſeli creticum minus, C. B. *Pin.* 161. Tordylium inuolucris partialibus longitudine petalorum, foliolis ouatis laciniatis, LINN. *H. Cliff.* 90. In Italia ſponte naſcitur, et circa Monſpelium.

Pro diuretico, carminatiuo et hyſterico habetur. Datur a ſcrupulo vsque ad drachmam dimidiam.

Sileris montani ſemen.

Liguſticum, quod Seſeli officinarum, C. B. *Pin.* 162. Laſerpitium foliolis lanceolatis integerrimis petiolatis, LINN. *H. Cliff.* 96. in Heluetia et Auſtria.

Priori viribus et vſu ſuppar creditur, praecipueque hydropicis commendatur.

Sophiae ſemen.

Ad febres laudatur, ad calculum pellendum et ad haemorrhagias ſiſtendas. QVINCY *Engl. Diſpenſ.* p. 140. In duobus poſterioribus malis vero ante leuiter toſtum volunt. In Gallia etiam ad diarrhoeas datur, drachmae pondere. CHOMEL. Plantam alibi excitaui.

Staphis agriae ſemen.

Staphis agria, C. B. *Pin.* 324. Delphinium nectariis diphyllis, foliis palmatis, laciniis integerrimis, LINN. *H. Cliff.* 213. in Italia.

Purgante equidem virtute pollet, ad octo vel decem grana aſſumtum; ſed ob acrimoniam inflammatoriam tuto non exhibetur. Refertur quidem etiam inter maſticatoria et ſaliuantia, et in odontalgia denti patienti imponi praecipitur: verum nec hic vſus tutus eſt. Fecit enim in ſe ipſo SCHVLZIVS aliquando periculum, ſed tanta mali exacerbatio inſequuta fuit, vt vix ſui compos maneret. Ad pediculos contra necandos vtiliſſimum eſt: quo ſcopo vel capillis inſpergitur, vel in linimento applicatur.

Sumach ſemen.

Adſtringit, et in alui fluxibus, abs nonnullis commendatur. Plantam alibi recenſui.

Thlaſpi ſemen.

Thlaſpi aruenſe ſiliquis latis, C. B. *Pin.* 105. Thlaſpi ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis, dentatis, glabris, LINN. *Fl. Suec.* 530. Nihil frequentius in agris.

Odor ingratus, alliaceus. Erucae aut ſinapi vires quodammodo aemulatur. Iſchiaticis infuſum prodeſſe, et menſes ciere, DIOSCORIDES. Sudorem pellere, et ad ſcorbutum poſſe, ſi ex vino teratur, adiecto ſaccharo, BOERHAAV.

Violarum ſemen.

Diureticum eſt, et vrinae ſubuenit difficultati, in emulſione vel alia forma. Inter lithontriptica adeo a CRATONE refertur. Nomen plantae alibi dictum eſt.

Vrticae ſemen.

Planta ſupra iam adfuit. Semen nulla offenſione vomitum ciere, ſi tritum detur aqua mulſa aut leniente iuſculo a drachma dimidia ad drachmam vnam, FERNELIVS habet p. 198. Vulgo diureticum cenſetur, et aſthmaticis nephriticisque ſalutare. Contra

tra nimiam obeſitatem valere, BRESLAV. 1718. M. Febr.

Vrticae Romanae ſemen.

Vrtica vrens pilulas ferens, C. B. *Pin.* 232. Vrtica foliis oppoſitis, amentis fructiferis globoſis, androgyna, LINN. *H. Cliff.* 440. in Heluetia, Gallia Narbonenſi, et Anglia; apud nos in hortis.

Diuretica virtute cum priori conuenit; ad ſanguinis fluxus ſiſtendos et ad morbillos etiam praedicatur.

Xanthii ſemen.

Plantam alibi dixi: Semen amarum eſt et ſubacre. Intus ſumtum ad eryſipelas, quod extus pellit, laudatur.

CLASSIS IV.

R A D I C E S.

I. VSITATAE.

Allii radix.

Allium ſatiuum, C. B. *Pin.* 73. Allium caule planifolio bulbifero, radice compoſita, ſtaminibus tricuſpidatis, LINN. *H. Vpſ.* 76. Allium ſtaminibus alterne trifidis, foliis gramineis, capite bulbifero, radicibus in vnum bulbum congruentibus, HALL. *All.* 5. in agris oleraceis.

Sapor et odor ſingularis, nulli non notus, ab oleo ſubtili aethereo proueniens. Virtus inſignis et multiplex. Calefacit, incidit, et aperit; hinc ſtomachicum, diureticum, ſudoriferum, et alexipharmacum eſt, vt ruſticorum theriacam GALENVS nuncupauerit *method. med.* XII. ad hydropem vero laudauerit SYDENHAM *Opp.* p. 633. COHAVSEN *A. N. C. vol. VI. obſ.* 105. ad colicum dolorem BORELL. *Cent.* 4. *obſ.* 12. ad aſthma pituitoſum MEAD. *monit. pract.* p. 64. ad hecticas febres RIEDLINVS *lin. med. obſ.* 11. ad vermes BAGLIV. p. 696. et complures alii, ad ſcorbutum LAVRENBERG p. 22. denique ad calculum LOBB. *Exper.* 98. *A. N. C. vol. II.* p. 438. *Commerc. Nor.* an. 1739. p. 7. 220. quem ipſum ſuccus ſoluit. Externe non minus ſalutaris eſt. Recens contuſa, et cuti impoſita, eam rube-

rubefacit, et in delicatioribus veſicas excitat: hinc in paralyſi vtiliter applicatur, verrucis inungitur, WEDEL. *diſſ.* §. 68. et in capitis dolore pedibus imponitur. *Commerc. Nor.* 1734. p. 27. Odor aſſumti allii lac inficit.

Althaeae radix.

Succo mucilaginoſo abundat, cuius ratione emollit, lubricat et maturat. Ad aluum hinc et vias vrinarias conſtrictas relaxandas, et in vrinae difficultate tam in decocto, quam in clyſtere vtiliſſima; nec non interne in pleuritide ſicca, BAGLIV. p. 316. et externe in ophthalmia ſeroſa acri, tanquam collyrium, *Mem. de l' Ac. de Par.* 1747. p. 337. edit. Par. In cataplaſmatibus porro pro emolliendis tumoribus et maturandis abſceſſibus adhibetur. Plantam ſupra nominaui.

Angelicae radix.

Angelica ſatiua, C. B. *Pin.* 155. Angelica foliorum impari lobato, LINN. *Fl. Lapp.* 101. in alpibus praeſertim Lapponicis; apud nos in hortis.

Tota planta aroma eſt. Radix hinc item, ob reſinam gummoſam acrem et ſubtile oleum, quo abundat. Calefacit, roborat, et pituitam egregie incidit; vnde in omnibus morbis inde oriundis, ſpeciatim aſthmate, tuſſi humida, colica flatulenta, febribus intermittentibus et cachecticis affectibus ſalutaris: vt inter arcana Medicorum non arcana merito H. GRVBE retulerit p. 3. Lappones tanquam cardinali remedio ad tormina et anorexiam vtuntur. MONTIN. In cenſu etiam eſt maſticatoriorum. Eſſentia goſſypio excepta, et denti cauo impoſita, eius dolores lenit.

Ari radix.

Arum vulgare maculatum et non maculatum, C. B. *Pin.* 195. Arum acaule, foliis haſtatis integerrimis, ſpadice clauato, LINN. *H. Vpſ.* 435. Arum foliis ſagittatis, cucullo recto, HALL. 261. in ſyluis Germaniae et Italiae.

Recens radix ſuccum continet viſcoſum, acrem et vrentem, qui linguam ſic vellicat, vt etiam quandoque veſiculas in illa excitet; longe tamen mitior ſiccatione redditur, et farinoſa fit. Egregie reſoluit et aperit: vnde ad cruditates ventriculi, ad iuuandam digeſtionem, ad aſthma, ad febres intermittentes, ad obſtructiones viſcerum et cachexiam, vtilius nihil dari poteſt. Vlceribus puluis etiam vtiliter inſpergitur. Recens radix intus ſumta purgat cachecticos, CONSTANT. et in vlceribus ſinuoſis ſucco ipſius imbuta turunda laudatur a CHOMELIO *Supl.* p. 148. Siccae radicis tum ad fucum, tum ad lintea dealbenda, loco ſaponis, vſus eſt CAESALPIN. Interne datur puluis ad ſcrupulum vel dimidiam drachmam.

Ariſtolochiae verae, longae et rotundae radix.

α) Ariſtolochia longa vera, C. B. *Pin.* 307. Ariſtolochia caule infirmo ramoſo, foliis cordatis, integerrimis, longe petiolatis, floribus ſolitariis, SAVVAG. *Monſpel.* 111. Ariſtolochia foliis cordatis petiolatis, integerrimis, obtuſiuſculis, caule infirmo, floribus ſolitariis, LINN. *Spec. pl.* p. 962. n. 12.

β) Ariſtolochia rotunda, flore ex purpura nigro, C. B. *Pin.* 307. Ariſtolochia caule infirmo ramoſo, foliis cordatis integerrimis, floribus ſolitariis erectis, LINN. *H. Cliff.* 432. Ariſtolochia foliis cordatis ſubſeſſilibus, obtuſis, caule infirmo, floribus ſolitariis,

riis, ID. *Spec. pl.* ib. n. 11. Vtraque in Gallia Narbonenſi, Italia et Hiſpania creſcit.

Radix acris eſt et amaricat. Lentam pituitam expurgat, adeoque in vitiis vteri, cachecticis affectionibus, aſthmate, ſcorbuto, et articularibus morbis eximie confert, in eſſentia vel decocto.

Ariſtolochiae vulgaris radix.

Ariſtolochia Clematitis recta, C. B. *Pin.* 307. Ariſtolochia caule erecto ſimpliciſſimo, foliis cordatis petiolatis, floribus lateralibus confertis, LINN. *H. Cliff.* 432. in Gallia et Tartaria.

Virtute prioribus ſuppar cenſetur. Ad podagrae tam praeſeruationem, quam curationem laudant WERLHOF. *Caut. med.* p. 31. et HEISTER. *Comp. pract.* p. 234. c. X. §. 45. 46. et in *E. N. C. cent.* 4. *obſ.* 86. Datur in puluere ad drachmam vnam: maior doſis vomitum mouet. Languorem ventriculi et totius corporis inferre diuturno vſu, BOERHAAVIVS monet in *Prael.* Externe puluis carnes fungoſas abſumit, cariem repurgat, et vlcera vulneraque ſanat. In haemorrhoidibus internis decocto et clyſtere etiam perfecta vlcera ſanauit CHOMEL.

Armoraciae ſ. *Raphani ruſticani radix.*

Raphanus ruſticanus, C. *B. Pin* 96. Cochlearia foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis inciſis, LINN. *Fl. Suec.* 540. in agris oleraceis.

Recens radix ſucculenta eſt, et penetrantiſſimi acerrimique odoris, quem maximam partem ab oleo aethereo dulci habet. Mucoſos humores potenter diſſoluit, et diureſin excitat: vt cardinale remedium ſit in ſcorbuto atque calculo (*Act. Hafn. IV.* p. 129.); quem etiam extra corpus ſoluit, LOBB. *exper.* 99. Porro vero ſuccus expreſſus cum ſaccharo mixtus ad hydropem facit, HEISTER. *Comp. pract.* p. 252. infuſum cum vino factum in cruditate ventriculi, GA-

BEL-

BELCHOV. *cent.* I. *cur.* 14. Id infuſum, ſi concentratum eſt, vomitum mouet, et podagricos ab inſultu praemunit, SHORT. *diſcourſ.* p. 405. Externe radix in affectibus ſoporoſis applicatur pedibus.

De foliis hic obiter noto, quod inflammationes rheumaticas in epithemate diſſipant. *Act. Berol. dec. I. vol.* 7. 28.

Aſari radix.

Plantam ſupra ſcripſi. Mediocriter vomitione purgat, eodem modo ac folia praeſcripta, a drachma dimidia ad quatuor ſcrupulos. Omnis qualitatis malignae expers eſt, nec ſeni, nec puero, nec praegnanti infenſa. FERNEL. p. 199. Coctura vis eius vaneſcit, quemadmodum et ceterorum vegetantium, quae vomitione purgant: tum vero vrinam magis et menſes mouet, et obſtructiones viſcerum reſerat; quod et, minori doſi ſumta, praeſtat. Ad febres praeterea intermittentes ſpecifice commendatur. *Act. Berol. dec. I. vol. IX.* 37.

Bardanae radix.

Blande aperit et reſoluit, hinc ad multos morbos vtilis. Inprimis vero commendatur in cereuiſia decocta ad articulares morbos et ipſam podagram a FORESTO *obſ. LXXIX.* 7. ad febres quartanas a WELSCHIO *obſ.* 4. ad pectoris inflammationes a MANARDO *L.* 19. *ep.* 5. ad impuritates cutis a multis aliis: imo ad curandam luem veneream, et ad moleſtias ab abuſu mercurii abs nonnullis pro magno ſecreto habetur. Planta alibi dicta eſt.

Betae rubrae radix.

Beta rubra vulgaris, C. B. *Pin.* 118. Beta, LINN. *H. Cliff.* 83. in agris oleraceis.

Succo

Succo abundat dulci, refrigerante, et qui in nares attractus copioſe mucum educit non ſine ſternutatione. Laudauit hinc eum valdopere PLATERVS *obſ.* p. 111. et BAGLIV. qui periculoſiſſimum capitis dolorem, irritis omnibus aliis, eodem ſanauit, p. 113. Mihi ſaepe vſus ſimilis in odontalgia ſucceſſit. Etiam puluis radicis ſiccatae errhinam facultatem poſſidet. E ſucco ſaccharum MARGGRAFIVS parauit.

Biſtortae radix.

Biſtorta maior, radice intorta, C. B. *Pin.* 192. Polygonum caule ſimpliciſſimo monoſtachyo, foliis ouatis in petiolum decurrentibus, LINN. *mat. med.* 189. in ſyluis et alpibus.

Sapor adſtringens, ſubſtantia farinoſa. Siccat, repellit, et in haemorrhagiis aliisque fluxibus, vbi adſtringentibus locus, efficax eſt. In vino decocta vacillantes dentes firmat, et odontalgias lenit. Ex farina panem nonnullae Suecicae gentes conficiunt. KALM. Extractum nonnulli in febribus intermittentibus praeſcribunt.

Calami aromatici radix.

Acorus verus ſ. Calamus aromaticus officinarum, C. B. *Pin.* 34. Acorus, LINN. *Fl. Suec.* 277. in paludibus.

Sapor acris eſt et vrens aromaticus, ab oleo, quod continet, et a quo facultatem obtinet calefacientem, pellentem, ſtomachicam et roborantem, qua vomitum et diarrhoeam inprimis coercet. Radix in taleolos ſciſſa ſaccharo condiri ſolet.

Carlinae ſ. Cardopatiae radix.

Carlina acaulos, magno flore albo, C. B. *Pin.* 380. Carlina caule vnifloro, LINN. *H. Cliff.* 395. in montoſis.

Amara

Amara eſt et aromatica; proindeque calefaciendi, reſoluendi et pellendi virtute praedita, vt inter alexiteria non infimus locus ipſi detur. Ceterum multa fabuloſa de ea narrantur, nimirum, quod ſodam vel ſolo obtutu curet (WEDEL, *amoen.* p. 175.), id quod autem CAMERARIVS in dubium vocat *Epit. Matth.* p. 220. deinde, quod ſolo attactu dolores tollat (HELMONT *Buttler*): tum, quod geſtanti vires praebeat, alteri vero adimat (KOENIG *regn. veg.* p. 170).

Cepae radix.

Cepa vulgaris, C. B. *Pin.* 71. Allium ſcapo nudo inferne ventricoſo longiore, foliis teretibus, LINN. *H. Vpſ.* 77. in agris oleraceis.

Mordax ſapor et foetor nulli non notus. Aluum et vrinam mouet, appetentiam inuitat, flatus gignit, ſenſum excitat. Succus in aures infuſus, ſonitum et grauitatem emendat; capiti illitus pilos creſcere facit (DIOSCOR.); oculis vero cum melle, hebetudinibus, nubeculis et incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur; cum adipe vtilis eſt contra pedum clauos. In oleum coniecta radix, haemorrhoides reliquosque excretionum meatus referat, ſubdita pro balano. Largiore cibo capitis dolores ciet. Aſſata tumores inflammatorios concoquit, et vel celerrime rumpit, vel diſcutit. SCHVLZE. Plantae pedum alligata, catarrhos a capite et pectore reuellit. Pariter aſſata, et ex lacte cocta, inguinique impoſita, vrinae retentioni medetur.

Chinae radix.

Smilax minus ſpinoſa, fructu rubicundo, radice virtuoſa, KAEMPF. *amoen.* 781. T. 82. Smilax caule aculeato, foliis orbiculato ouatis, inermibus, quinquaneruis, LINN. *mat. med.* 461. in China.

Saporis

Saporis et odoris expers eſt, nihilominus vero ob ſaponaceas partes ſalubris. Attenuat, aperit, ſudorem ac vrinam mouet, ſanguinem purificat. Vnde in cachexia, lue venerea (VESAL.), arthritide, podagra, ſcabie, et vlceribus tam internis, quam externis, efficax eſt. In phthiſi commendauit decoctum AVGENIVS *Ep. L.* 2. p. 376. 377.

Cichorei radix.

Amara eſt, et blanda vi reſoluente gaudet, ob quam in viſcerum obſtructionibus, morbisque inde oriundis valdopere prodeſt (SWIET. *T. II.* §. 61. 4.). Vetula icterica ſucco condenſato conualuit (MOINICHEN *obſ.* 9.). In iuſculo copioſior ſumta melancholiam hypochondriacam profligauit (RHOD. *cent.* 1. *obſ.* 44.), in decocto febres lentas (SCHVSTER *obſ. therap.* p. 66.), in ſero lactis vlcus tibiae ſanauit (*Miſcell. Vratisl.* 1729. p. 725.).

Conſolidae maioris ſ. *Symphyſti radix.*

Symphytum Conſolida maior, C. B. *Pin.* 259. Symphytum foliis ouato-lanceolatis decurrentibus, LINN. *H. Cliff.* 47. Symphytum foliis ouato-lanceolatis, caule alato, HALL. 514. ad riuos et paludes.

Sapor viſcoſus et fatuus. Adſtringit, et conſolidationem vlcerum, ac vulnerum, tam epota, quam in cataplaſmate externe applicata, promouet. In paralytico adoleſcente poſt balneum formicarum ſedulo repetitum cataplaſma ex recenti radice fecit officium (WEDEL. *amoen.* p. 94.). Puluere in nares ſuſcepto immoderatum ſanguinis profluuium, cui alia ſiſtendo imparia, Cl. PFANN. ſedauit, *Samml. merkw. Faelle* p. 249. *Flores*, quod hic monendum, etiam conſolidant, et infuſum adeo ad phthiſin et catarrhos ſalſos laudatur.

Con-

Contrayeruae radix.

Cyperus longus odoratus Peruanus, C. B. *Pin.* 14. Drakena radix, CLVS. *Exot.* 83. Dorſtenia dentariae radice, ſphondylii folio, placenta ouali, HOVSTOVN *Phil. tranſ. n.* 421. f. 1. Dorſtenia ſcapis radicatis, LINN. *H. Cliff.* 32. in regno Peru, Mexico, et noua Hiſpania.

Sapor modice aromaticus et adſtringens: virtus alexipharmaca et roborans, qua febribus malignis, dyſenteriae, et intermittentibus febribus medetur. Datur in ſubſtantia a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam; in infuſo ab vncia dimidia ad vnam.

Ante aliquot luſtra alia radix, ſub *Contrayeruae nouae* nomine, ex prouincia Americae Guiana afferri cepit, quae quidem habitu ab antiqua multum differt (*A. N. C. vol. I. obſ.* 29. *T.* 5. *f.* 1. 2. 3.), viribus vero cum ipſa conuenire dicitur. Character plantae nondum detectus eſt; refertur tamen a IVSSIEV inter Pſoraleas, quae toto genere a Dorſtenia diſtant. *Mem. de Par.* 1744. *p.* 381. *T.* 17.

Curcumae radix.

Curcuma foliis lanceolatis, vtrinque acuminatis; neruis lateralibus numeroſiſſimis, LINN. *Zeyl.* 7. Curcuma radice longa, HERM. *Lugdb.* 208. T. 209. in India orientali, ſpeciatim Amboina, Malabaria, Zeylona.

Color extus luteus, intus ex luteo rufeſcens: Sapor acris et quodammodo amarus. Vires incidentes et reſoluentes poſſidet, vnde in viſcerum imi ventris obſtructionibus, potiſſimum vero et ſpecifice ductuum bilariorum, eximiam virtutem aperientem exſerit. Menſes etiam, et vrinam pellit, eamque ſimul luteo colore tingit. Datur in puluere a dimidia drachma vsque ad integram, in infuſis ad vnciam.

Dul-

Dulcamarae radix.

Solanum ſcandens vel Dulcamara, C. B. *Pin.* 167. Solanum caule perenni, flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, LINN. *Fl. Suec.* 189. Solanum foliis aliis trifidis, aliis ſimplicibus, HALL *Helu.* 509. ad foſſas et in locis paludoſis.

Vires habet ſaponaceas. Infuſum ad hydropem prodeſt, LOBEL. *adu.* p. 104. ad pleuritidem mucoſam, BLAIR. ad aſthma, *Fraenk. Samml. I.* p. 124. et ad icterum; nec non ad ſiphilidem, LINN. et SAVVAG. et arthritidem, BVCHWALD. p. 23. Omni China et Sarſa potentius BOERHAAVIVS raputauit.

Ellebori albi radix.

Helleborus albus flore viridi, C. B. *Pin.* 186. Veratrum caule ramoſo, LINN. *mat med.* 471. in Italia, Ruſſia, Hungaria, Heluetia.

Inter venena potius recenſenda eſt, quam inter medicamenta. Mordet, et violentiſſime per ſuperiora et inferiora purgat cum inſigni anxietate, fauciumque ſtrangulatione, vsque ad letalem conuulſionem, HIPP. ad ſcrupulum ſaltem data, FALLOP. *de purg.* c. 69. *E. N. C. dec.* 3. *an.* 1. *obſ.* 65. vt non ſatis mirari ſubeat, qui integram drachmam BRASSAVOLA exhibere ſuſtinuerit, p. 531. Vulneri applicata, celerrime necat, CAESALPIN. *de Venen.* p. 141. LANG. *Ep.* L. I. 168. CRATO *L. II. Prax.* p. 220. MATTHIOLI p. 1226. *Ep.* 1219. et tanta putredine, vt caro ſubito molleſcat. ARCAEVS *de vuln. cur.* p. 70. Nihilominus tamen veteres in longis et valentibus morbis ſine febre, nominatim comitiali et inſania cum hilaritate, pro vomitu ciendo vſi ſunt, CELS. *L.* 2. *c.* 13. *L.* 3. *c.* 18. ſed variis artificiis ante correcta. DIOSCOR. ARETAEVS *de cur. chron.* c. 3. AETIVS *L.* 3.

 c. 124.

c. 124. SCHVLZ. *de Helleboriſm. vet.* Sternutatorium praeterea violentiſſimum eſt, non modo, vbi in nares attrahitur, ſed etiam vbi intus paullo maiori doſi ſumitur, *Act. Berol. dec. II. vol. VI.* 74. quare hodie ſaltem alia ptarmica cum guttulis nonnullis eſſentiae eius acuuntur. Laeti ſucceſſus, quos antiqui in memoratis morbis ab interno eius vſu annotarunt, et MATTHIOLI quoque p. 1222. et GESNER. *Ep.* 69. nos admonent, vt prorſus eam non ſeponamus; ſed ſuadeo tamen puluerem nunquam ſeorſum decernere, ſed fibras radicis a ſcrupulo vno ad ſcrupulos duos in iure pingui, aut in vino dulci, aut in hydromelite, aut leniente decocto cum cinamomo et aniſo macerare nocte vna, vel leniter decoquere, expreſſumque liquorem propinare. Puluerem ſi dare placet, vltra grana ſeptem non adſcendendum. Muſos ſine noxa in pratis plantam comedere, HALLERVS vidit. *Goett. Anz. an.* 1755. p. 1428.

Ellebori nigri ſ. Veratri nigri radix.

Helleborus niger flore roſeo, C. B. *Pin.* 186. Helleborus ſcapo ſubnudo bifloro, foliis pedatis, LINN. *H. Vpſ.* 157. in Auſtria, Hetruria, Heluetia.

Vetuſtiſſimum eſt medicamentum purgans, quod blande humores per aluum euacuat, ſimul vero potenter reſoluit, viſcera obſtructa reſerat, et menſium fluxum promouet, MATTH. p. 1222. MEAD. *monit. med.* p. 158. ſpecifice vero ab antiquis in morbis ab atra bile ortis, et inſania cum triſtitia datum fuit, CELS. *L.* 2. *c.* 12. ab recentioribus autem in altera ſpecie quoque cum hilaritate ac in mania, CRAT. *L.* 7. p. 616. et PECHLIN. et in quartana MATTH. p. 1222. Datur vel puluis ad drachmam dimidiam, vel extractum ad ſcrupulum vnum et vltra, vel eſſentia ad cochlear. In decoctis praeſcribitur vncia dimidia. Continuando vſui tamen non fidit SCHVLZIVS, neque laudare poteſt,

quod

quod extractum pilulis Becherianis admiſcetur, *Mat. med.* p. 152. Externo vſu ſetacei loco in iumentis adhibetur, et in aurium loco geſtata vehementes ſaepe a capite catarrhos reuellit, in ipſa peſte boum, MATTH. *Ep.* p. 219. BOCCON. *Off.* p. 180. et hominum, LANG. *Ep.* p. 579. Fonticulis indita magis citat humores, WEDEL. *amoen.* p. 87. et in nonnullis ſic quoque purgat, WALAEVS *meth. med.* p. 42. Decocto lota capita puerorum, achoribus foeta, ſanatur. HALL.

Adonis perennis dodecapetalos, HALLER. *Helu.* 320. Helleborus niger ferulaceus Theophraſti, LOB. *adu.* p. 345. Helleborus Hippocratis, TAB. p. 721. in Saxonia ſuperiori et in Gallia pro vero elleboro vſurpatur, et optime quidem priori ſubſtitui poteſt, quum aeque purgat, licet DODONAEVS et TOVRNEFORTIVS id negent. Pariter etiam in inſania conducit, vt ipſe expertus ſum. Neque qui accerſere iubent elleborum nigrum a Francofurtanis et Hamburgenſibus mercatoribus, aliam radicem, quam hanc, accipiunt, quum iſti ex Thuringia et ab Erfurtenſibus eam afferri curant.

Enulae radix.

Helenium vulgare, C. B. *Pin.* 276. Inula foliis ouatis, ſubtus tomentoſis, calycum ſquamis ouatis, LINN. *Fl. Suec.* 695. Aſter foliis amplexicaulibus, ex ouatis acuminatis, ora ſerrata, flore ampliſſimo luteo, HALL. *Helu.* 727. in hortis et pomariis.

Aromaticam qualitatem habet, et oleum aethereum recens foeneratur. Laudatur non immerito infuſum aut eſſentia eius, ad tuſſim, aſthma, menſium et lochiorum obſtructionem, tremorem inprimis a mercurialibus ortum, vermes, paralyſin, et debilem ventriculum. A calculo etiam praeſeruare infuſum per aliquot hebdomades vſurpatum, CATIERIUS ſcribit *obſ.* 2. et BAEVMLER. Idem ſudorem op-

time prolicit, vt rariſſimus adeo morbus exanthematicus a decocto cum cereuiſia parato inde ortus credatur. *A. N. C. vol. I. obſ.* 234. Vinum enulatum, quod cum muſto decoctione paratur, languenti ventriculo medetur, flatus diſcutit, et concoctionem promouet. Externo vſu inter phoenigmos eſt; et ad ſcabiem ſanandam puluis cum axungia illitus facit. Idem prunis iniectus pulices et muſcas abigit. SCHVLZ.

Farfarae ſ. *Tuſſilaginis radix.*

Easdem vires habere creditur, ac flores et folia, de quibus ſupra dixi. In decoctis adhibetur ab vncia dimidia vsque ad integram.

Foeniculi radix.

Inter quinque aperientes maiores recenſetur; vnde vſus eius facile pateſcit. Cum quatuor vnciis ſucci eiusdem febres ſanauit ZAC. LVSITANUS, et quartanam adeo intra decem dies. Et CRATO vidit Monachum, per decoctum radicis in vino oculis applicatum, intra decem dies a ſuffuſione liberatum.

Galangae maioris et minoris radix.

Kaempferia foliis ouatis ſeſſilibus, LINN. *Zeyl.* 8. Wanhom, KAEMPF. *amoen.* 901. t. 902. in India orientali

Odor fragrans, ſapor acris, aromatum more non ingratus. Stomachica, cephalica et vterina eſt: concoctionem iuuat, appetitum excitat, capitis imbecillitati a cauſa frigida medetur, flatus diſcutit, ſingultum, vomitum et diarrhoeam ſiſtit. Datur in eſſentia vel puluere ad drachmam dimidiam. Praeſcribitur etiam in infuſis ſemiuinoſis ad vnciam dimidiam.

Gen-

Gentianae albae radix.

Libanotis latifolia altera ſ. vulgatior, C. B. *Pin.* 157. Laſerpitium foliolis cordatis inciſis, LINN. *Fl. Suec.* 230. in pratis.

Acris eſt, alexipharmaca, SCHVLZ. et antifebrilis, vt raſura ejus in ſpiritu vini infuſa, ſemihorio ante inſultum ter; quaterue repetito hauſta plebeii feliciter febres et primarias et recidiuas fugent. *A. N. C. vol. X. app.* p. 155. Veterinariis vſitatiſſima eſt in iumentorum morbis ventriculi, pectoris, contra vermes, imo etiam quascunque humorum impuritates et contagioſas lues.

Gentianae rubrae radix.

Gentiana maior lutea, C. B. *Pin.* 187. Gentiana corollis rotatis verticillatis, HALLER. *Helu.* 479. in alpibus Helueticis et Noruegicis.

Amariſſima eſt: incidit, aperit et roborat. Aduerſus omnem cachexiam prodeſt, HALL. *Helu.* febres intermittentes fugat, GESNER, BVCHWALD, LVDOVICI p. 201. vnicum et praeſtantiſſimum eſt podagrae curandae remedium, HALL. *Helu.* perinde ac calculi, LINN. *diſſ. de gen. calc.* in appetitu reuocando et concoctione promouenda item ſalutaris, nec non in reſtituendis menſibus et in fluore albo ſanando, et vermibus necandis; externo praeterea vſu in vlceribus ampliandis et mundificandis, et in polypo vtilis, *ab* HEER *obſ.* 28. p. 312. etiam in ſordibus oculorum abſtergendis, vbi in vino decocta et inſtillata ea feliciſſime REVSNERVS vſus eſt, *Hiſt.* 185. Londinum adulteratam radice Thorae Valdenſis afferri, monet HILLIVS. *hiſt. of the mat. med.* et LEWIS in *a new diſpenſatory.*

Graminis radix.

Gramen caninum repens vulgatius, MORIS. *hiſt.* 3. *p.* 118. Gramen loliaceum radice repente ſ. Gramen officinarum, TOVRNEF. *inſt.* 516. Triticum radice rependente, foliis viridibus LINN. *Fl. Lappon.* 33. in agris nihil frequentius.

Dulcem ſaporem habet, vt ſaccharum inde conficî poſſit, MARGGR. vnde virtus ei ſaponacea non condemnenda, qua in glandulis et viſceribus obſtructis reſerandis et in diſſoluendo bilis calculo praeſtantiſſima. SYLVII, LANCISII et BIANCHI experimentis. Laudatur etiam aqua eius et decoctum ad vermes expellendos, an vere? Inter quinque radices aperientes minores refertur.

Hermodactyli radix.

Iris tuberoſa, folio anguloſo, C. B. *Pin.* 40. Hermodactylus folio quadrangulo, TOVRNEF. *Cor.* 50. Iris corollis imberbibus, foliis tetragonis, LINN. *Spec. pl.* p. 40. n. 15. in Arabia, Syria et Aegypto.

Saporem modice acrem et dulcem exhibet, antiquioribus Graecis ignota, et primum memorata AEGINETAE, ſed ab Arabibus primum in vſum tracta. Ad articulares morbos et nullos non alios a ſanguinis et lymphae impuritate ortos, tanquam ſudoriferum et ſanguinem purificans laudatur. Datur puluis a dimidia drachma vsque ad integram; decoctum vero a drachma vna ad duas. Recens radix vehementer per vomitum et ſeceſſum purgat.

Hirundinariae ſ. *Vincetoxici radix.*

Aſclepias albo flore, C. B. *Pin.* 303. Vincetoxicum, DODON. *Pempt.* 407. Aſclepias caule erecto ſimplici herbaceo, foliis cordato-lanceolatis, racemis conglomeratis alternis, LINN. *Fl. Suec.* 200. Aſclepias

foliis

foliis ex ouato lanceolatis, glabris, floribus racemoſis albis, HALL. *Helu.* 525. in montoſis et aſperis.

Amara et acris eſt, odore graui. Alexipharmacis annumeratur, denique ad glandulas induratas laudatur, *E. N. C. dec.* 1. *ann.* 1. *obſ.* 57. LVDOVICI *Pharm.* p. 625. ad hydropem, TRAG. ad vrinam et menſes ciendos, et mucum de pulmonibus extergendum; externe vero ad vlcera ſordida, mammarum tumores, TOVRNEF. et hernias incarceratas, qua laborantem fomento radicis reſtitutum notauit FORESTVS *L.* 27. *obſ.* 21. Recens vomitum mouet, vt veneni ſuſpicionem quibusdam incurrat (HALLER.), et inprimis ob apocyni ſimilitudinem: quare etiam EHRHARDVS poſt LONICERVM eam damnat, nec admiſſam vult in eſſentiam alexipharmacam STAHLII p. 59. Anodyni quicquam in receſſu habere, HOFFMANN. *Syſt. T. IV. P. III.* p. 431. Datur puluis ad drachmam dimidiam, decoctum vero ad vnciam dimidiam.

Ialappae radix.

Solanum Mexicanum, paruo flore, C. B. *Pin.* 168. Mirabilis, LINN. *H. Cliff.* 53. in vtraque India.

Recens radix in Indiis lacteſcit. Sapor admodum nauſeoſus eſt. Vis purgans tritiſſima ab aliquot granis vsque dimidiam drachmam. In oppletione pectoris pro infantibus grana quatuor cum paucis granis cinnabaris cum WEDELIO extollit SCHVLZIVS. Quarta fere pars reſina eſt, *Commerc. Nor.* 1733. p. 60. eaque calcar eſt aliorum purgantium in forma pilularum exhibendorum. Leuem ſomnum radicem poſt operationem inferre multi credunt; ſed hoc omnibus purgantibus commune eſt, et euacuationis effectus.

Imperatoriae radix ſ. *Oſtrutii.*

Oſtrutium, DOD. *Pempt.* 514. Imperatoria, LINN. *H. Cliff.* 103. in alpibus.

Aromatica eſt, et oleum aethereum vehit. Sudorem et vrinam mouet, maſticata vero ſaliuam; hinc alexipharmacis adnumerata, non minus tamen etiam ob incidentem virtutem in morbis frigidis, nominatim febribus intermittentibus, paralyſi, aſthmate, cachexia vtilis. Multi etiam ad epilepſiam commendant, et inprimis HENR. *de* BRA p. 59. Datur in puluere ad drachmam dimidiam, in decocto ad vnciam dimidiam. Clyſter ad partum pellendum efficax. BLAIR.

Ipecacuanhae radix.

Euphorbia dichotoma, foliis integerrimis lanceolatis, pedunculis axillaribus vnifloris folia aequantibus, caule erecto, LINN. *diſſ. euph.* 23. Tithymalus flore exiguo viridi, apicibus flauis, antequam folia emittit florens, *Gronou. Virg.* 58. in Virginia, Canada et Braſilia.

Amara eſt, calida et acris. Tutiſſimum et leniſſimum eſt emeticum, omnibus praeferendum, a ſcrupulo vno ad duo. Ab aliquot retro luſtris demum Europae innotuit, et quidem tanquam antidyſentericum polychreſtum, LEIBNIT. *E. N. C. dec. III. ann.* 3. *app.* vt tamen nunc nihil ſpecifici prae aliis emeticis ipſi ineſſe iudicetur. *Commerc. Nor. an.* 1733. p. 44. 45. *an.* 1734. p. 333. & 1735. p. 221. In parua doſi ad grana quinque vel octo vomitum non mouet, ſed pituitam incidit, et ſic in haemorrhagia vteri et haemoptyſi, et in diarrhoeis cohibendis, inque febribus intermittentibus apprime vtilis eſt, BARBEIR. *Form.* p. 95. 100. et GIANELLA, qui inprimis in dictis febribus infuſum laudat, horis matutinis per plures dies datum. In variolarum principio,

cipio, vbi abs diarrhoea expulſio retardatur, et in ſimilibus caſibus probatam referunt *Act. Berol. vol. II. dec. I.* p. 8. Octo grana radicis idem praeſtare, quam conſuetam doſin, ſi tantundem rhabarbari ipſis admiſceatur, expertus ſcribit Cl. IENSEN. in *Prodr. Act. Hafn.* p. 149. Neque vero totam radicem purgare, ſed corticem duntaxat, huiusque ſex grana idem praeſtare, quam triginta radicis, *Phil. trans. n.* 476.

Ireos Florentinae radix.

Iris alba Florentina, C. B. *Pin.* 31. Varietas eſt ſequentis *α*).

Suauem habet odorem violaceum, et gratum, modice acrem dulcemque ſaporem. Polychreſti vſus eſt in tuſſi, torminibus et inquietudine infantum. Traumaticam quoque virtutem poſſidet, et proinde ad qualiacunque vlcera et vulnera tam interne, quam externe, ſalutariter adhibetur. Pulueribus ſternutatoriis, et dentifriciis, et quibus capillos conſpergimus, ob odoris ſuauitatem communiter additur. Datur in pulvere interne a ſcrupulo dimidio vsque drachmam dimidiam.

Ireos noſtratis radix.

α) Iris vulgaris Germanica ſ. ſylueſtris, C. B. *Pin.* 30. Iris corollis barbatis, caule foliis longiore multifloro, LINN. *H. Cliff.* 18. in clivoſis.

β) Iris paluſtris lutea, TAB. 643. Iris imberbis, lutea, neruo folii eminente, HALLER. *Helu.* 281.

Vtraque acris eſt, et deiectione, nonnunquam et vomitione ſerum per aluum ducit; hinc inter hydragoga a veteribus relata, et hoc nomine a recentioribus ad hydropicorum aquas educendas tam e recente lutea, vtpote fortiori, ſuccus expreſſus ad vnciam vnam aut duas, varieque praeparatus (*E. N. C. dec.* 2. *ann.*

2. *ann.* 8. *obſ.* 53, PLATER. *Obſ.* p. 616. FERNEL. p. 195. *Act. Berol. Dec. I. vol. X.* p. 53. 58. 62. *Dec. II. vol. I.* p. 97. WERLHOF. *obſ. de Febr.* p. 60.), quam infuſum e ſicca radice cum aqua vel vino paratum commendatur. ZAPATA radices comedendas da quinquaginta vel ſexaginta dies ſtrumoſis praebuit pro certiſſimo et infallibili medicamento *c.* 3. p. 43. Naribus ſubdita radix ſternutamenta mouet et pituitam prolicit; quod et ſuccus validius praeſtat, ſed, quod acrior ſit, leniente liquore temperandus, FERNEL. Ceterum externe ad impetigines et lentigines delendas facit.

Leuiſtici radix.

Oleum aethereum continet, et aromatico ſapore eſt, vt ſemen. Non ſolum omnes de hoc laudatas virtutes in eminentiori gradu poſſidet, ſed etiam ſtomachica et pectoralis eſt; ſiquidem mucoſos humores in ventriculo et pulmonibus detentos efficaciter reſoluit, et harum partium tonum roborando excretionem earundem promouet, flatus diſcutit, colicos et hyſtericos dolores ſedat, et aſthmaticis auxiliatur. Praeſcribitur in puluere drachma media, in decocto vncia ſemis ad vnam.

Liliorum alborum radix.

Dulci mucilaginoſo ſucco repleta, lenit, lubricat et maturat: vnde frequentiſſimus eius in clyſteribus et cataplaſmatibus vſus eſt. Plantam ſupra dixi.

Liquiritiae radix ſ. *Glycirrhiza.*

Glycirrhiza ſiliquoſa Germanica, C. B. *Pin.* 352. Glycirrhiza leguminibus glabris, LINN. *H. Cliff.* 494. in Franconia, Narbona, Hiſpania, Italia.

Dulci mucilaginoſo ſucco et admodum grato abundat: quo in acribus humoribus contemperandis et muco-

mucoſitatibus detergendis magnae efficaciae eſt, hancque ob cauſam in aſthmate, tuſſi, ſtranguria et nephritide calculoſa frequentiſſimi vſus, in decocto, extracto, baculis, eſſentia et puluere. Scythae olim radicem maſticarunt pro ſiti delenda, vnde ἄδιψος vocatur: et cum cinamomo inde potus inebriatiuus parari poteſt. RAI. *hiſt. pl.* Hiſpanica dulcior eſt et ſuccoſior, quam Franconica.

Petaſitidis radix.

Petaſites maior et vulgaris, C. B. *Pin.* 192. Tuſſilago ſcapo imbricato thyrſifero, floſculis omnibus hermaphroditis, LINN. *Fl. Suec.* 683. Petaſites floribus ſpicatis, floſculis omnibus androgynis, HALL. *Helu.* 706. in aquoſis.

Amara, balſamica et acris eſt. Humores attenuat, ſudorem mouet, et inter praecipua hinc alexipharmaca numeratur: vermes etiam expellit, aſthmaticis ſuccurrit (BVCHWALD. p. 197.), et bubones extus appoſita maturat, podagricum denique dolorem in cataplaſmate lenit. WOOD *Ep. ad* RAI. Puluis etiam vlceribus ſordidis inſpergitur. Interne adhibetur in infuſo et decocto ad tres drachmas.

Petroſelini radix.

Plantam ſupra denominaui. Radix quinque aperientibus maioribus accenſetur. Incipienti cachexiae et calculoſae diſpoſitioni, vt tota planta, medetur. RIVER. *obſ. V.* p. 405. Ex lacte cocta eruptionem variolarum malignarum promouet. *Mem. de l' Ac. de Par.* 1748. p. 524. Annoſiores cauendas SCHVLZIVS iubet ob metum venenoſitatis, quam contrahunt; ſed puto hoc de paſtinacis valere, vti vetus traditio eſt. CONST. de REBEQV. *Obſ.* 51.

Pim-

Pimpinellae radix.

Valde acris eſt, hinc valde etiam humores reſoluit, ſudorem et vrinam mouet, aſthmatique auxiliatur, anorexiaeque: vt in his morbis ſane nihil vtilius infuſione eius, aut eſſentia, aut puluere dari poſſit. Neque non adeo hydropicis prodeſt. Lac etiam augere dicitur, vel extus ſaltem mammis applicata. An aduerſus rabiem caninam poſſit, vti PALMARIVS refert *de morb. cont.* p. 278. dubium. Plantam ſupra dixi.

Poeoniae radix.

Veteres valdopere laudarunt vt ſpecificum ſedatiuum et antiſpaſmodicum, in epilepſia, conuulſionibus, capitis doloribus et infantum torminibus, etiamſi collo ſaltem appenderetur. GALEN. Verum multis e recentioribus, nominatim BOERHAAVIO et LVDOVICI *Pharmac.* p. 271. fidam curationem non praeſtitit, vt non modo ſint, qui dubitent, vtrum nos poſſideamus veterum poeoniam (SCHVLZ.), ſed et leuis adeo veneноſitatis hanc noſtram ob virulentum odorem et affinitatem cum veratri radice accuſent (HALLER. *Helu.* p. 311. et *Goett. Anz.* 1755. p. 15.) Memini tamen, ex b. BRENDELII ore me aliquoties percipere, quod non omni facultate deſtituta ſit, vt vſus ipſum edocuiſſet; neque ex toto FERNELLO contradicerem, qui de poeonia maſcula collo appenſo veriſſimum id comperiſſe ſcribit *de abd. morb. cauſ.* p. m. 231.

Polypodii radix.

Polypodium vulgare, C. B. *Pin.* 359. Polypodium fronde pinnata, pinnis lanceolatis indiuiſis, ſerrulatis, alternis, connato-ſeſſilibus, LINN. *Fl. Suec.* 845. in ſaxoſis nemoribus et radicibus quercuum annoſiorum.

Dul-

Dulcis et ſubnauſeoſi eſt ſaporis. Viſcerum obſtru-ctionibus expediendis et tuſſi leniendae, et atrae bili expurgandae, imo podagrae praemuniendae efficaciſ-ſima eſt, ſi iugi vſu ad drachmam vnam in infuſo po-tetur, vt adeo MALOVINVS maniacos ſic ea cu-ratos referat *Mem. de l'Ac. de Par.* 1751. Ab vncia vna ad duas vero ſumta leniter purgat, hincque infu-ſis laxantibus familiariter additur.

Pyrethri radix.

Pyrethrum flore bellidis, C. B. *Pin.* 148. Chamae-melum ſpecioſo flore, radice longa feruida, SHAW *Afric.* 138. Buphthalmum creticum cotulae facie, flore luteo et albo, BREYN. *Cent.* 150. *t.* 75. An-themis caulibus ſimplicibus vnifloris (decumbenti-bus), foliis pinnato-multifidis, LINN. *Mat. med.* 396. in Arabia, Syria, Creta, Apulia, regno Tu-netenſi, Vogtlandia, et Bohemia; et in hortis.

Saporis eſt intenſe acris et vrentis, ſaliuam poten-ter ciet, et odontalgias a ſero mucido ſtagnante ma-ſticatu ſedat. Vino vel ſpiritui eius infuſa, et pro ra-tione calide applicata, membris paralyticis prodeſt: ad linguae vero paralyſin tum commanſa, tum inter gargariſmos facit. Interne ſumta a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam vel per ſe, vel in conſortio ra-dicis ari, carlinae, imperatoriae, mucum potenter diſſoluit, et venerem etiam ſtimulat.

Rapae radix.

Decoctum huius radicis dulcis, ex qua ſaccharum adeo confici poteſt (MARGGRAF.), tuſſientibus et aſthmaticis auxiliatur. *A. N. C. vol. I. obſ.* 62. Idem vel et ſuccus expreſſus leuiter coctus, et melle edulcatus, eximium eſt remedium aduerſus aphthas, quas de-tergit et ſanat. KETELAER *de Aphth.* p. 50. Vtramque denique tumoribus et puſtulis, quae ex frigore in pe-dibus

dibus manibusque oriuntur, vtiliter imponitur. CELS. Ceterum taleoli radicis ſub cineribus toſtae, et pone aures applicatae, in odontalgia valent. BAEVMLER. Plantam ſupra denominaui.

Raphani nigri radix.

Raphanus maior orbicularis vel rotundus, C. B. *Pin.* 340. Raphanus ſiliquis teretibus toroſis bilocularibus, LINN. *H. Cliff.* 340. in oleraceis.

Succo turget acri, qui abſtergit, aperit, flatus gignit et pellit, vrinamque ciet. Vis eius ad ſcorbutum et calculum maxime commendata eſt, BARTHOL. *Act. Hafn.* IV. p. 130. nec non ad fungorum venenum, vbi ſtatim hauriendus eſt. STEEGH *Med. pract.* L. 7. c. 39. p. 359.

Rhabarbari Monachorum radix.

Lapathum hortenſe latifolium, C. B. *Pin.* 115. Rumex floribus hermaphroditis, valuulis integerrimis, vnico granulo notata, LINN. *Mat. med.* 178. in Europa auſtraliori et hortis.

Color flauus, ſapor ex amaro auſterus. Aluum leniter ducit, et inter infuſa aperientia, et per epicraſin laxantia commode praeſcribitur. Ceterum alterante virtute lapatha reliqua aemulatur.

Rhabarbari veri radix.

1. Rhabarbarum Sinenſe folio criſpo, flagellis rarioribus et minoribus, AMMAN. *herb.* 206. Rhabarbarum folio longiori hirſuto criſpo, florum thyrſo longiori et tenuiori, ID. *Ruth.* 9. Rheum foliis ſubuilloſis, petiolis aequalibus, LINN. *diſſ. de Rhab.* 1. *T.* 1. *. In China et eius confiniis, nec alibi.

2. Rhaponticum folio lapathi maioris glabro, C.B. *Pin.* 116. Rheum foliis glabris, petiolis ſubſulcatis, LINN. *Spec. Pl.* p. 371. in Thracia, Scythia, Sibiria.

ria. Icon. vid. in GMELIN *Flor. ſibir. T. I. t.* 41. *Rhapontici radix* vulgo.

Omne rhabarbarum verum ex China, vti iam memoraui, affertur, et quidem tam a Chalmuccis et Chalmuccenſibus Bucharis in Sibiriam et Ruſſiam, quam a Bucharis Sinenſibus partim in Perſiae metropolin Pekinum, vnde etiam interdum commutatione mercium migrat in Ruſſicum imperium, partim in maritimas Sinarum oras, inprimis Cantonum, vbi Belgicae, Anglicae, Gallicae, Suecicae, Danicae naues appellunt, et ſaepe de pretio inter ſe certant. GMELIN *diſſ.* §. 6. Non creſcit ergo planta, nec vnquam creuit, vti plures quidem memoriae prodiderunt, ad pontum Euxinum, nec ad fluuium olim Rha, nunc Volga dictum. Quod itinere terreſtri ex China affertur, illi praeualet, quod longo maritimo itinere in Europam venit, et aëre in nauibus incluſo, et abs variarum mercium ac inprimis aromatum effluuiis, ſolisque ardore vitium contrahit. Terreſtri autem via ex China rhabarbarum aduehunt Ruſſi, Buchari et Perſae, et quidem hi mediantibus camelis, vbi antea illud goſſypio inuoluunt, ne aeſtuante ſole compacta radix corrumpatur, et vna corrupta reliquas inficiat, ſicque Turcis illud vendunt, venale vltimo in emporiis orientalibus maris mediterranei. Ruſſi vero maxime hyberno tempore a finibus, quos cum Chinenſibus communes habent, ſuper niue Moſcuam et Petroburgum illud transferunt. Habetque illud rhabarbarum, nunc *Moſcouiticum* dictum, magnam praeterea inde praerogatiuam, quod ſingularem circumſpectionem Ruſſi in ipſis Chinenſis imperii finibus ſub coemtione, ex mandato Imperatricis, et eorum, quibus curam rei medicae Imperatrix impoſuit, directione, adhibent. Mittitur enim Pharmacopoeus iuſſu Imperatricis ad fines imperii, vna cum mandatario, quem Commiſſarium vocant, cui demandatur, vt omne, quod a Chinenſibus aliisque mercatoribus vicinis offeratur rhabarbarum, bonum malumue, coemat, et Pharma-

copoei

copopoei curae tradat, qui ſpeciatim in mandatis habet, vt illud omne ſtatim in vltima Ruſſici imperii ſtatione, Kiachta, ſub tecto ſeruet, et abs pluuiae ſolisque acceſſu probe defendat, ſic tamen, vt vndique aër perflare poſſit, ſegregando dein viliſſimum a meliori, et habita poſt paucos dies ſtudioſa perluſtratione, prius illud omne igne concremando, ne in manus auaras, lucelli cupidas, incidat, reliquum autem bonum, ſi opus foret, ab humiditate vlterius liberioris aëris perflatu liberet, tandemque bene exſiccatum, et a cortice, ſi quis forte adhuc ſuperſtes eſt, lignoſo, ſqualido, et excreſcentiis omnibus, ipſisque rhaponticis repurgatum, Moſcuam et Petropolin mittat. Simulac rhabarbarum ibidem aduenit, rurſus Pharmacopoei manibus traditur, vt, quod forſan minus curioſe mundatum erat, de integro mundetur, tam ratione fibroſae corticalis ſubſtantiae, quam excreſcentiarum. Atque ſic nitidiſſimum rhabarbarum in alias regiones mittitur. Haec omnia, nullibi librorum de materia medica adhuc prodita, fide pono Ill. IO. BERN. *de* FISCHER, qui tanquam teſtis oculatus, et cuius conſilio olim coemtio rhabarbari directa fuit, ea inſeri curauit in *A. N. C. vol. X. obſ.* 20. Confirmat alter teſtis oculatus GMELIN *diſſ. cit.* §. 19.

At characteres rhabarbari veri et boni hi ſunt, quod ſit coloris ex rubicundo flaui, penitusque ſiccum; porro vero friabile, cum aliqua duritiae tamen; deinde craſſum ac denſum, et vngulae equinae vel partis ſaltem eius figura et mole proximum; denique gyris innumerabilius, pallide rubentibus, intermixto quodam albore ornatum, tanquam nux moſchata. Vermibus, ni ſicco ſemper loco ſeruatur, facile exeditur. Progreſſu temporis multum exſiccatur, et leuius fit, ſimulque magis rubicundum. Cum reliquis vegetabilibus hoc commune habet, vt pro diverſitate ſoli natalis etiam bonitate differat. Sapore eſt amaricante, glutinoſo, cum leni adſtrictione: liquorem, cui infunditur, croceo colore tingit.

De

De *rhapontico* nondum ſatis conſtat, de quanam planta ſit, et an genere reuera differat ab rheo, an ſpecie ſaltem, aut an varietas tantum ſit, quam ſoli diuerſitas efficiat, aut denique an vna eademque radix, quae nonniſi mole et duritie differat, ſic, vt quae amplae molis et friabilioris texturae eſt, rhabarbarum dicatur, quae vero mole tenuis, dura, lignoſa, minus viſcoſa ac minus amara, rhaponticum.

Vtrumque rhabarbarum tutiſſimum medicamentum laxatiuum eſt, omni aetati et ſexui ſalubre; atque hoc ſcopo datur in puluere adultis a ſcrupulo vno ad drachmam vnam, in infuſo aquoſo vel vinoſo autem, et in decocto Caffe a duabus drachmis ad vnciam dimidiam. Rhapontici virtus debilior eſt, et dupla ſaltem quantitas requiritur, purgandi ſcopo. Tonicam vero virtutem vtrumque ſimul obtinet, quae vero in rhapontico fortior eſt, quam in vero, conſentientibus omnibus praeter BOVLDVCCIVM *Mem. de l' Ac. de Par.* 1710. qui virtutem hanc roborantem vtrobique negat. Habet quoque vim vrinam mouendi, quam ſimul crocatam et odoram facit; etiam lac amarum ac luteum reddit, diuturno vſu. PAVLLINI *diſſ. med. phyſ. c.* 1. *obſ.* 20. Ceterum in bilis vitiis corrigendis et obſtructionibus viſcerum expediendis, multisque morbis a pituita et atonia oriundis efficaciſſimum eſt, repetito vſu et parua ſaltem doſi per aliquot hebdomades datum. Soluit BAGLIVIVS in bilis defectu ſtatim ante prandium, ne chylus fraudetur hoc balſamo, maſticationem rhabarbari praeſcribere p. 430. et infuſum vtiliter dedit in conuulſionibus infantum, quae omnes fere a ſtomacho proueniunt p. 114. In vlcere renum, podagra, arthritide et fluore albo commendauit HAMILTON *de prax. reg.* p. 26. 29. Rachitidem eo ſanauit Cel. BVRGGRAVIVS *de aer. aqu. et loc. vrb. Francof.* §. 56. diabeten DETHARDING *diſſ.* et BVCHWALD *diſſ. de curat. diab. per rhab.* malum hypochondriacum RHODIVS *cent.* 2. *obſ.* 2. febrem tertianam COHAU-

SEN *A. N. C. Vol. VII. obſ.* 76. III. WERLHOFIO ſatisfecit in hydropicis affectibus, *Commerc. Nor.* 1735. p. 58. CRAMERO in doloribus colicis, *ib.* p. 257. Toſtum rhabarbarum, quod olim in alui fluxibus nimium laudarunt, nunc fere exoleuit.

Saſſaparillae radix.

Smilax viticulis aſperis Virginiana, folio hederaceo laeui, PLVKN. *almag.* 348. t. 111. f. 2. Smilax aſpera Peruuiana ſ. Sarſaparilla, C. B. *Pin.* 296. Smilax caule aculeato-angulato, foliis inermibus, ouatis, retuſo-mucronatis, LINN. *Spec. pl.* p. 1029. in Peru, Braſilia, Mexico, et Virginia.

Sapor lignoſus, ſubdulcis, cum aliqua adſtrictione. Qualitas ſaponacea, quam ſuperficialiter ſaltem aqua calida lota monſtrat, ſiquidem mollem eam ac ſpumantem, manus aeque ac ſi ſapone tergerentur, polientem reddit. ERNDTL. *Varſau.* p. 212. Non ergo omnis virtus ei detrahenda eſt, vt facit NEVMANNVS *Chem.* aut tantilla adeo adſcribenda, vt fere exulare poſſit ceu Cel. CARTHEVSERVS cenſet *Mat. med. II.* p. 427. inprimis quum non deſint experimenta, abſtergentem et reſoluentem facultatem probantia. Tumores enim duros continuato eius vſu reſolutos eſſe, SCVLTETVS teſtatur in *armam. chir. obſ.* 26. et coagulatos humores, FORTIS in *conſult. cent.* 2. *conſil.* 87. rheumaticos porro affectus ſanatos, SCHOLZIVS in *conſil. Craton. L.* 2. *conſ.* 17. imo adeo rachitidem, BENEVOLI *Obſeru.* 38. *et* 39. denique a Plicae miaſmate infectos humores purgari, ERNDTL. *l. c.* Vſus eſt praecipue in decoctis.

Saxifragae radix.

Plantam ſupra denominaui. Graciles admodum ſunt radiculae, quibus bulbilli adhaerent, quas in officinis pro

pro ſemine plantae vendunt. Virtus ipſis eadem diuretica, ac foliis, tribuitur: an vere?

Scorzonerae radix.

Scorzonera latifolia humilis neruoſa, C. B. *Pin.* 275. Scorzonera caule ſubnudo vnifloro, foliis neruoſis planis, LINN. *Fl. Suec.* 647. in pratis.

Sapor dulcis, viſcoſus, mitis: qualitas lacteſcens: virtus abſtergens, temperans, et leniter nutriens: vnde in decoctis hordeatis inprimis frequentiſſimi vſus eſt, quae pro potu ordinario in febribus acutis et lentis adhibentur. An etiam ad viperarum morſum, vti MONARDES refert?

Scrophulariae radix.

Scrophularia nodoſa foetida, C. B. *Pin.* 233. Scrophularia foliis cordatis, caule obtuſangulo, racemo terminali, LINN. *Fl. Suec.* 520. Scrophularia foliis cordatis, coniugatis, caule et ramis ſpica nuda paniculata terminatis, HALL. *Helu.* 619. ad vias et foſſas non aquoſas.

Amare eſt, et foetet. Laudatur inprimis ad haemorrhoidum dolores intus ſumta, quos tollere dicitur (HENR. *ab* HEER): ſed ſine ſucceſſu BVCHWALDVS præſcripſit. Externo vſu decoctum ad ſcabiem facit.

Serpentariae Virginianae radix.

Ariſtolochia, Piſtolochia ſ. Serpentaria Virginiana, caule nodoſo, PLVKN. *almag.* 50. t. 148. f. 5. CATESBY *Carol.* I. t. 29. Ariſtolochia caulibus infirmis angulosis, foliis cardato-oblongis planis, floribus recuruis ſolitariis, GRONOV. *Virg.* 112. in Virginia et Carolina.

Aromatico odore eſt, ſapore acri. A ſerpentibus, quorum morſus curare dicitur, nomen accepit. Diapho-

phoretica, et antiſeptica eſt, PRINGLE *Phil. Trans.* *n.* 495. In febribus intermittentibus eius vſus inprimis celebratus eſt, vbi ad drachmam dimidiam per ſe aſſumitur, vel in eſſentia; in malignis, eo quod putredinem arcet, etiam praeſtantiſſima PRINGLE *l. c.* vt et in conuulſiuis morbis, vbi cum ſucceſſu MORTONVS adhibuit, *Pyretol.* p. 371. Nonnulli etiam vermibus opponunt.

Squillae radix.

Scilla vulgaris, radice rubra, C. B. *Pin.* 73. Scilla, radice tunicata. LINN. *H. Cliff.* 123. in Hiſpaniae, Siciliae etc. littoribus arenoſis.

Acris admodum et amara eſt, virulentiae non expers, quae tamen incluſis bulbis maſſae farinaceae, et in clibano coctis diſſipatur. Atque ſic praeparata, et a tribus ad ſex grana exhibita, pituitam incidit, et hoc nomine antiquis iam commendata valdopere fuit in aſthmate, DIOSC. itemque hydrope et ictero, *ib.* quam virtutem etiam ex recentioribus plures calculis ſuis confirmarunt, inprimisque Cl. WAGNERVS in *obſeru. clin.* SCHVLZ. *diſſ.* SCHVSTER *A. N. C.* *T. I. app.* p. 139. *Schvved. Abh.* 1754. *Commerc. Nor.* 1742. p. 75. HOFFMANNVS et STAHLIVS lubenter dederunt cum vincetoxici radice et nitro. Maiori doſi, quam ſupra ſcriptum eſt, data vomitum mouet, et ſubinde etiam aluum. Vino et aceto in eundem ſcopum vtiliter infunditur, et ſic per intervalla cochleare plenum datur. At verrucas et perniones in oleo feruefacta aut cum reſina liquefacta efficaciter illinitur.

Taraxaci radix.

Sapor viſcoſus, amaricans: virtus eadem ac foliorum, de quibus ſupra ſcripſi. Praeſtat ambo ſimul praeſcribere, vbi obſtructiones expediendae ſunt. Decoctum radicis fere ſolum hydropem ſanauit, calcu-

lum renum expulit, phthiſin incipientem ex indurato hepate ſedauit. *Fränk. Samml.* I. p. 226. In quacunque ſcabie decoctum herbae et radicis largiter epotum efficax eſt. *ib.* p. 126.

Tormentillae radix.

Tormentilla ſylueſtris, C. B. *Pin.* 326. Tormentilla, LINN. *Fl. Suec.* 421. Potentilla foliis quinatis, flore tetrapetalo, caule erecto, HALL. *Helu.* 341. in paſcuis.

Saporem habet amarum et adſtringentem, virtutem ſimilem, eamque nec nimis violentam, nec nimis exiguam; quare inter ſtyptica ſolum ſufficere credit LVDOVICI *Pharm.* p. 337. Dentes labentes etiam firmat. In ſanandis vlceribus prauis STEPH. SALA feliciter decocto vſus eſt (VESAL. *de rad. Chin.* p. 18.). Feroenſes coria, Lappones lanam rubro colore inde tingunt, *Act. Hafn. I. obſ.* 49. LINN. *Fl. Lappon.* 213. Suibus etiam pro eſca Feroenſes liberaliter apponunt. BARTHOL. *Med. Dan. domeſt.* p. 23.

Tragopogonis radix.

Tragopogon pratenſe luteum maius, C. B. *Pin.* 274. Tragopogon calycibus corollam aequantibus foliis integris acuminatis, LINN. *Fl. Suec.* 648. in pratis.

Habitu et virtute Scorzonerae radici ſimilis eſt, vt etiam in vicem eius multis in locis adhibeatur. Similiter quoque culinae inſeruit.

Valerianae maioris radix.

Valeriana hortenſis, C. B. *Pin.* 164. Phu ponticum, Valeriana pontica, TAB. 164. Valeriana floribus triandris, foliis caulinis pinnatis, radicalibus indiuiſis, LINN. *H. Vpſal.* 13. in ſyluis, ad ſepes, et in aquoſis, itemque in hortis.

Odorem grauem aromaticum exhibet cum ſapore acri et amaro. Reſoluit, aperit, et ſudorifera eſt, diureticaque, quin etiam purgans, ſimulque anodyni quidquam fouet. Egregie prodeſt decoctum cum cereuiſia factum in cachexia, SPIES *diſſ.* p. 32. febribus intermittentibus, lepra, paſſione hyſterica, et rheumaticis arthriticisque morbis. *Commerc. Nor.* 1734. p. 374. Praeterea ſingularem virtutem antepilepticam multi in ea obſeruarunt; et quidem in proprio corpore FAB. COLVMNA *Phytobaſ.* p. 120. in aliis RIVER. *L. l. c.* 7. 8. PITCARN. *Elem. Med.* p. 121. MEAD. *de imper. ſol. et lun.* p. m. 223. BVRGGRAV. *de aer. aqu. et loc. Francof.* p. 119. quum in vino a dimidia ad ſeſquidrachmam aliquoties dediſſent. Notandum vero, quod haec radix non in omni ſpecie epilepſiae conferat, vnde ſint, qui de virtute iſta plane dubitent (BRESLAV. 1718. *M. Febr.*), imo adeo BERNHARDVS frequentiores circuitiones poſt eius vſum obſeruauerit, *Chim. Erfar.* p. 107. licet in alio opem ſperatam attuliſſet. *ib.* p. 187. Iſta ſpecies morbi vero, cui maxime medetur, verminoſa eſt, quod Cl. MARCHANTI obſeruationes confirmant, qui ex aluo eorum, quibus profuit, vermes exiiſſe vidit, *Mem. de l' Ac. de Par.* 1706. p. 430. Ex decocto totius plantae recentis cum cereviſia facto copioſam alui purgationem notauit SPIES p. 32. ab aqua diſtillata cachexiam incipientem cum tumore oedematoſo pedum ſanatam, ID. Extractum vero ſingulare remedium in vrinae difficultate et retentione praedicat CAMERAR. *Hort. med.* p. 175. Externo vſu puluis in nares tractus ſternutationem facit, et pituitam prolicit, ac in viſu debili confert, *A. N. C. vol. III. obſeru.* 125. quemadmodum etiam in collyriis aqua diſtillata egregium vſum praeſtat. Decoctum totius plantae ad vlcera praua facit.

Va-

Valerianae minoris radix.

Valeriana ſylueſtris maior, C. B. *Pin.* 164. Valeriana floribus triandris, foliis omnibus pinnatis, LINN. *Fl. Suec.* 30. in pratis paludoſis.

Viribus antecedente non multo inferior eſt. Vſus eius hodie in viſu acuendo et nebulis oculo obuerſantibus diſpellendis frequentiſſimus eſt, et ita quoque efficax, vt Cl. STANCKE ſtatim primo die, quo decoctum ſumſerat, leuamen magnum inde ſenſiſſet, *diſſ.* p. 15.

Zedoariae radix.

Zedoaria rotunda, C. B. *Pin.* 31. Kaempferia foliis lanceolatis petiolatis, LINN. *Fl. Zeyl.* 9. in India.

Odor eius grauis eſt, ſapor acris, amarus et aromaticus. Calefacit, concoctionem promouet, flatus diſſipat, colicos et hyſtericos ſedat dolores, nauſeam diſpellit, aſthmaticis medetur; manſa ſaliuam prolicit. Datur in puluere ad grana quindecim.

Zinziberis radix.

Zingiber, C. B. *Pin.* 35. Amomum ſcapo nudo, ſpica ouata, LINN. *Fl. Zeyl.* 3. in Indiis.

Aromatica eſt, vt praecedens, cui etiam viribus ſuppar; condiendis cibis inſuper, vt notum, aptiſſima. In India ſaccharo conditur.

II. INFREQVENTES.

Actaeae ſ. Chriſtophorianae radix.

Actaea racemis longiſſimis, GRON. *Virg.* 57. Chriſtophoriana Americana procerior, et longius ſpicata, *Hort. Eltham.* 79. *t.* 69. *f.* 78. Actaea racemis longiſſi-

mis, fructibus vnicapſularibus, LINN. *Spec. Pl.* 504. in Florida, Virginia, Canada.

Subuenenati quidquam habet, ſudorem mouet, et in debilitate ac frigiditate corporis, venerea inprimis, laudatur LINN. *diſſ. medic. veg. cenſur.*

Anthelmiae radix.

Ita denominat Cl. IO. LINING radicem caryophyllatae ſylueſtris Americanae in *Eſſays and Obſeruat. read before a Society in Edinburgh, T.* I. *n.* 14. quae in Carolina habitat, ac fortaſſe eadem eſt, quam GRONOVIVS Geum floribus erectis, fructu globoſo, ariſtis vncinatis nudis, foliis ternatis, *Virgin.* 56. HERMANNVS vero Caryophyllatam Virginianam, albo flore minore, radice inodora, vocat. PARAD. III. t. III. et quae vulgo Geum Virginianum dicitur.

Laudem obtinuit apud Indos omni exceptione maiorem tanquam medicina anthelmintica, et ſalutarem iſtum effectum ſaepe etiam LININGIO praeſtitit. Dantur infanti trium annorum duodecim grana in puluere, adiecta guttula olei rutae vel abſinthii, in infuſo vero ſcrupulus; repetiturque vſus per aliquot dies mane et veſperi. Maiori doſi exhibita vertiginem facit, et ſingularem dolorem intus et extus in oculis; quapropter viſum eſt, oleum aethereum ipſi admiſcere, vel etiam croci pauxillum, quo optime haec ſymptomata auerti, vel, ſi iam adſunt, ſedari poſſunt.

Aſtragali radix.

Aſtragalus luteus perennis, procumbens ſiue ſylveſtris, MORIS. *II.* 107. Glycyrrhiza ſylueſtris, floribus luteo-palleſcentibus, C. B. *Pin.* 352. Aſtragalus leguminibus lunatis biuentricoſis, caulibus procumbentibus, LINN. *H. Cliff.* 362. Aſtragalus caule

caule ex alis ſpicato, ramoſo, procumbente, foliis oualibus, HALL. *Helu.* 565. in ſyluis et dumetis.

Adſtringentibus accenſetur. Cum vino ſumta alui fluxum ſiſtere, et vrinam mouere dicitur. Ex vino cocta et ore detenta gingiuas purgat; naſo intruſa haemorrhagias ſiſtit. Sicca radix in puluerem redacta vlcera praua purgat ſiccatque.

Bryoniae radix.

Bryonia aſpera ſ. alba, C. B. *Pin.* 297. Bryonia foliis palmatis, vtrinque calloſo ſcabris, LINN. *Fl. Suec.* 790. Bryonia foliis quinquangulis ſcabris, HALL. *Helu.* 506. ad ſepes.

Acrem et amarum nauſeoſum ſaporem habet. Purgante virtute ſatis forti praedita eſt, vti etiam reſoluente, quapropter ad hydropem, hyſtericam paſſionem (MATTH. p. 1284.), maniam (SYDENHAM), arthritidem et aſthmata commendatur, vel deuorata ad dimidiam drachmam vsque integram, vel ex vino cocta ad duas, vel aſſumto ſucco ad duo cochlearia. Plebeii etiam ſic vſurpant radicem recentem, vt excauent eam, et cereuiſia repleant, hancque, quum per noctem ſtetit, ebibant, vnde purgantur. Externe radix recens contuſa, vel ſiccata, cocta cum vino, ſtrumas et vexata diſcutit, vlcera etiam purgat. Clyſteribus ad aquas hydropicorum educendas incoquitur.

Calcitrapae radix.

Cortex eiusdem ad drachmam vnam infuſus, habetur in Gallia pro certo febrifugo, TOVRNEF. Plantam ſupra denominaui.

Caryophyllatae radix.

Caryophyllum interdum primo vere, neque tamen ſemper, nec vbique redolet. Saporem amarum et

ſubadſtringentem habet. Laudatur in vino infuſa ad omnes laxitatis morbos, neque non ad variolas, aliasque febres malignas. Aphrodiſiaca quoque virtute egregia pollere lege in *A. N. C. vol. V. obſ.* 83. Cereuiſiae recenter coctae addita, aceſcentiam eius prohibere creditur. Plantam ſupra ſcripſi.

Caſſumuniar radix.

Zedoaria radice lutea, BREYN. *Prodr.* in India orientali.

Saporem monſtrat ſubacrem, amaricantem, aromaticum; odorem fragrantem. Commendatur vt neruinum et confortans medicamentum in affectibus hyſtericis, colica, vertigine, apoplexia, et motibus conuulſiuis. Datur in puluere a quinque granis ad quindecim, in infuſis a drachma vna ad duas.

Ceanothi radix.

Ceanothus foliis trineruiis, LINN. *Sp. Pl.* 195. Euonymus iuiubinis foliis Carolinenſis, fructu paruo fere vmbellato, PLVKN. *almag.* 139. t. 28. f. 6. Suffrutex in Virginia, Canada, Carolina.

In pretio eſt apud Canadenſes ad morbos venereos. *du* HAMEL *des Arbr. et Arbuſt. T. I.* p. 137.

Dictamni albi ſ. Fraxinellae radix.

Dictamnus albus vulgo ſ. Fraxinella, C. B. *Pin.* 222. Dictamnus, LINN. *H. Cliff.* 161. in ſyluis montoſis et caeduis.

Amara eſt et ſpecifico odore praedita. Alexipharmaca et anthelmintica cenſetur, vt etiam vermes et bufones extra corpus et infuſum eius et ſyrupus necent. CHOMEL. Datur in puluere ad drachmam vnam; in infuſo vero ad duas vel tres.

Filicis radix.

Plantam ſupra nominaui. Radix amara, viſcida et nauſeoſa eſt. Inde a longo tempore vermes exturbare credita eſt, DIOSC. et ab ANDRYO maximis encomiis hoc nomine ornata, *Tr. des Vers*; qui etiam aquam inde arcanam compoſuit ſub nomine *Aquae filicis Andry*, vel hodie in Galliis celebratam, et ab eius genero, CAR. DIONIS, nunc diſpenſari ſolitam. Non fuit tamen omnibus haec vis anthelmintica radicis probata. BROVZET *Eſſai ſur l' educ. med. des Enfans II.* p. 59. Ceterum tonicam virtutem poſſidet et reſoluentem, vt in arthriticis morbis et obſtructionibus viſcerum, cum atonia iunctis, multis ſalutaris viſa ſit. Ad cachexiam infuſum laudauit expertus CHOMEL. *Suppl.* p. 145.

Ginſeng radix.

Aureliana Canadenſis, LAFIT. *Ginſ.* 51. t. 1. CATESB. *Carol.* 3. p. 16. t. 16. Araliaſtrum quinque folii folio, maius Ninſin vocatum, VAILL. *Sex.* 43. Panax foliis ternatis quinatis, GRONOV. *Virg.* 147. LINN. *mat. med.* 116. in Canada, Penſyluania, Virginia.

Virtus eminens confortans, antiſpaſmodica et venerem ſtimulans ei tribuitur. Vſus eſſe ſolet vel in puluere ad ſcrupulum, vel in infuſo ad drachmam vnam.

Lapathi acuti radix.

Lapathum acutum ſ. Oxylapathum, I. B. II. 983. Lapathum folio acuto plano, C. B. *Pin.* 115. Rumex floribus hermaphroditis, valuulis crenatis granulo incumbente, LINN. *Fl. Suec.* 293. in agris et pratis.

Sanguinem decoctum eius purificat, et in ſcabie aliisque vitiis cutis prodeſt. HEIST. *Comp. pract.* p. 258. Sarſaparillae ſubſtitui poſſe, *Fränk. Samml. I.* p. 126.

p. 126. Laudatur etiam ad morbum regium et febres intermittentes, *Braunſchvv. Anz.* 1756. n. 101. item ad ſcorbutum, et podagrae prophylaxin. BOERH. MVNTING. WILLIS. CHOMEL. In collutione ex aqua aut vino ſtomacacen compeſcit. *Act. Berol. dec. II. vol. III.* 12. In lauamento vlcera cutis exſiccat et mundificat, ſed cutem ſimul luteo colore tingit, non facile eluendo. In Galliis familiare vnguentum ad ſcabiem ex hac radice, et helenii, ſulphureque componitur. CHOMEL. p. 208.

Maluae radix.

Emolliente virtute gaudet, vt herba et ſemen, de quibus ſupra dictum fuit.

Ninſi radix.

Siſarum montanum Coracenſe, radice non tuberoſa, KAEMPF. *amoen.* p. p. 817. t. 818. Sium foliis ſerratis, pinnatis, rameis ternatis, LINN. *Spec. Pl.* 251. in China.

Confunditur plerumque cum radice Ginſeng, cum tamen plantae toto genere differant. BREYN. *diſſ. de rad. Ginſem ſ. Ninſi*, TREW *Icon. Pl. dec. I. n.* 6. *t.* 16. Promiſcue tamen hae binae radices haud raro in officinis occurrunt, et eadem virtus huic poſteriori adſcribitur.

Ononidis radix.

Planta ſupra recenſita eſt. Radix, inprimisque cortex eius, ex vino potus, vrinam valide ciet, adeo, vt incontinentiam ſecutam notauerit LENTILIVS *miſc. pract.* I. p. 277. in vrinae ſuppreſſione et dyſuria hinc vtilis. Calculos etiam comminuit, DIOSCOR. et margines vlcerum erodit, ID. Radix cum decoquitur in poſca, dolorem dentium collutione mitigat. Puluis eius interne ad drachmam vnam ſumtus

tus quotidie, a Sarcocele liberat, teſte MATTHIOLI p. 675. SCVLTETO *obſ.* et NEBELIO *A. N. C. vol. II. obſ.* 3. licet id multum nonnullis videtur (HALLER), et olim etiam dubitauit BORRICHIVS et alii. Radix ad quinque aperientes minores refertur.

Orobi radix.

Orobus radice tuberoſa, RIV. T. 39. Orobus caule ſimpliciſſimo, foliolis pluribus lanceolatis oblongis, LINN. *H. Cliff.* 366. Orobus caule non ramoſo, foliis imis ouatis, ſupernis ellipticis acutis, HALL. *Helu.* 603. in ſyluis.

Ob dulcem ſaporem a Scotis paganis pro cibo ac medicamento adhibetur, quo famem pariter, ac ſitim et pectoris morbos depellunt.

Pareirae brauae radix.

Clematis baccifera glabra et villoſa, rotundo et vmbilicato folio, PLVM. *Amer.* 78. t. 93. SLOAN. *Iamaic.* 85. *hiſt.* 1331. Caapeba folio orbiculari et vmbilicato laeui, PLVM. *gen.* 33. Ciſſampelos foliis peltatis, cordatis, emarginatis, LINN. *mat. med.* 459. in America meridionali.

Lignoſa eſt, et primo dulcem, deinceps amaricantem ſaporem exhibet. Tanquam excellentiſſimum lithontripticum vſu recepta fuit, ſed haud diu famam ſuſtinuit. Attenuat tamen humores, et in cachecticis ac rheumatico arthriticis affectibus omnino prodeſt. Tanquam ſpecificum in fluore albo laudauit CARLIVS *medic. Rathſchl.* XII. p. 67. in aſthmate humido ad drachmas duas in libra vna aquae decoctam, et tepide ad tertiam partem tribus ſingulis horis epotam, HOFFMANNVS *med. ſyſt.* T. IV. P. II. p. 272. qua ratione etiam icterum felleum cum torminibus et ingenti dolore ſtipatum intra quatuor viginti horas diſcuſſum lego in *Hiſt. de l'Ac. des Sc.*

de Par. 1710. Metuunt quidam, ne copioſe ſumta ardorem in renibus, quin inflammationem excitet; verum non vidit talem effectum LOESEKIVS, ad libram licet eam paulatim praeſcripſiſſet, *mat. med.* p. 269. Puluis deuorari a ſcrupulo ad drachmam dimidiam poteſt.

Paridis radix.

Planta ſupra deſcripta eſt. Radix carnoſa officinas quidem non intrauit, meretur tamen in numero medicamentorum poni, eo quod Ill. LINNAEVS memoriae prodidit, duplam eius doſin idem praeſtare, quod Ipecacuanha, in excitando vomitu, *Fl. Lappon.* 155.

Polygale radix.

Chamaebuxus flore Coluteae, C.B. *Pin.* 471. Polygaloides, HALL. *Helu.* 601. Polygala floribus imberbibus ſparſis, carinae apice ſubrotundo, caule fruticoſo, foliis lanceolatis, LINN. *diſſ. de Seneg.* 16. 1. in ſyluis.

Virtute pene aemulatur radicem Senega, inferior tamen aliquantum et ſapore et efficacia. In pleuritide cum optato ſucceſſu vſus eſt DVHAMEL, ſic, vt ſereatum copioſum mouerit, et cruſtam inflammatoriam ſanguinis diſſoluerit, *Mem. de l' Ac. des Sc. de Par.* 1740. Datur in puluere ad drachmam ſemis.

Rubiae tinctorum radix.

Rubia tinctorum ſatiua, C.B. *Pin.* 33. Rubia foliis ſenis, LINN. *H. Cliff.* 35. Monſpelii et in Danubii pratis ſponte creſcit; ſeritur vero copioſe a Sileſienſibus et Batauis.

Rubra eſt, eiusque polline, ſub nomine *Krappe* noto, tinguntur lanae. Tinguntur vero etiam animalium tam quadrupedum, quam volucrium oſſa, ſi

ea

ea ipſis aliquamdiu deuoranda datur, quod noſtra aetate primus BELCHIER obſeruauit (*Phil. Trans.*), deincepsque plures. Eximia detergendi roborandique facultate pollet, qua icterum ſanat, menſes ciet, vrinam craſſam atque copioſam pellit, eamque ſimul rubro colore tingit; porro vero iſchiadicis et reſolutis medetur, DIOSC. et morbos oſſium, maxime rachitidem, perſanat. LEVRET, SCHLOSSER. Decoctum eius cum liquiritia ad gratiam et pauxillo ſeminis aniſi ad dies aliquot (20. 30.) doſi quatuor vnciarum, bis de die, rubedinem faciei et varos auferre, apud SCHVLZIVM lego. Radix inter quinque aperientes minores refertur.

Ruſci radix.

Ruſcus, C. B. *Pin.* 470. Ruſcus foliis ſupine floriferis nudis mucronatis, LINN. *H. Cliff.* 465. Suffrutex in Gallia et Italia creſcens, apud nos in hortis colendus.

Subamara eſt, et inter quinque aperientes maiores refertur. Decoctum in vino potum vrinam ciet, menſes pellit, icterum et hydropem ſanat, a quo pauperem continuato eius per menſem vſu liberatum refert RIVERIVS *obſ. cent.* 3. 52. Gonorrhoeam conſerua et aqua e fructibus parata, quod obiter hic noto, curatam eſſe, idem ex FORMEI obſeruatione habet 47.

Salab ſiue *Salep radix.*

Orchis morio mas, foliis non maculatis, VAILL. *Pariſ.* 151. Orchis bulbis indiuiſis, nectarii labio quadrifido, crenulato, cornu obtuſo, LINN. *Fl. Suec.* 124. *Act. Vpſal.* 1740. p. 8. in Turcia, Perſia, et Sinarum confiniis. Icon plantae eſt apud ALB. SEBA. *Theſ. rer. nat. II. t.* 83.

Hacte-

Hactenus quidem pro radice omnes habuerunt; nunc vero ante aliquot annos Cl. *du* BVISSON, olim Indias orientales inuiſens, fidem fecit DEGNERO (*de dyſent.* edit. alt. p. 177.), fructum eſſe, de ficuum familia ad ſolem ſiccatorum. A priori ſententia nondum tamen recedere volui, vtpote quam viſcoſitas, habitus, actio, et hircina qualitas nimis confirmant. Sinenſibus atque Perſis maximo in pretio eſt, qui plerumque, cumprimis vero longum iter facientes, ſecum eas portant, atque in medicinae ad roborandam naturam ipſis viitatae omnium praeſtantiſſimae numero et loco habent. Speciatim contra phthiſin, arthritidem, epilepſiam tam in puluere, quam in decocto ſaccharo edulcato adhibent, itemque morbo fractis et debilitatis iterum iterumque propinant, quo vires languentes admodum reficiuntur, calorque depaſcens reprimitur. Praeterea opulentiores Perſae eas in epulis ſuis per noctem aqua maceratos apponunt, hoc ipſo oſtenſuri, ad lautitiam viriumque recreationem ipſis nihil omnino deeſſe. *A. N. C. vol. I. app.* p. 14. 15. Alia virtus celebrata huius radicis, antidyſenterica eſt. Infunditur drachma vna eius vnciis octo aquae calidae, leni calore ſuper igne reſoluitur, ac per linteum expreſſa a feculis repurgatur. Abit tum in pulcherrimam gelatinam mucilaginoſam, de qua ſingulis duabus, tribus aut quatuor horis cochleare dimidium vel plenum exhibetur. Addi poteſt ſyrupus citri vel alius ſaporis gratia. DEGNER. *l. c.* Acrimoniam bilioſam inuoluit, temperat, et dolores lenit. Qua de cauſa etiam in torminibus infantum, in catarrhalibus affectibus, ac renum morbis dari poteſt.

Sanguiſorbae ſiue *Pimpinellae Italicae radix.*

Pimpinella Sanguiſorba maior, C. B. *Pin.* 160. Sanguiſorba ſpicis ouatis, LINN. *H. Cliff.* 39. Pimpinella tetra-

tetraſtemon, foliis oblonge cordatis, ſpica breui, HALL. *Helu.* 469. in Europa auſtraliori et hortis.

Moderate adſtringit, cum blando morſu: hinc vulneraria atque tonica cenſetur, et ad haemorrhagias, mictum cruentum, dyſenteriam et pulmonum vlcera (RIVER. *l.* 4. *c.* 13.) laudatur, dudum cum tormentilla comparata a C. GESNERO. Ceterum PALMARIVS ad rabiem caninam commendat, ſi quis demorſus eam vel in acetariis, vel alio quouis modo adſumeret, *L. de morb. contag.* p. 278. verum non ſatis probatam eſſe hanc efficaciam, vt demorſi ſalus huic remedio committi poſſit, Ill. *van* SWIETEN cum praeceptore ſuo BOERHAAVIO autumat *T. III.* p. 588.

Saponariae radix.

Plantam alibi indicaui. Radix eiusdem virtutis eſt, et ad omnem cachexiam prodeſt, adeo vt ſint, qui ipſi lui venereae opponant (ZAPAT. *Secret. chir.*). Sed tanto hoſte debilior videtur. Tanti aeſtimarunt radicem GVNDELSHEIMERVS atque STAHLIVS, vt vix ſufficientem copiam pharmacopoei comparare potuerint (NEVMAN. *Chem. mai. vol. II. P.* 4. p. 173).

Satyrii radix.

Orchis alba bifolia minor, calcari oblongo, C. B. *Pin.* 83. Orchis bulbis indiuiſis, nectarii labio lanceolato integerrimo, cornu longiſſimo, petalis patentibus, LINN. *Fl. Suec.* 123. Orchis radicibus ſubrotundis, cucullo ſparſo, labello ampliter trifido, crenato, flore concolore, HALL. *Helu* 265. in ſylvis et paſcuis montoſis.

Viſcoſa eſt, glutinoſo et lacteo ſucco turgens, odore hircino. Tabidis et ſenibus ob nutriendi facultatem commendatur (HENR. *ab* HEER. *obſ.* 9.): deinde quoque ad ſtimulandam venerem et conceptionem

iuuandam, quo nomine inprimis HARTMANNVS ſal fixum radicis extollit, et aſſerit, ſe multas foeminas hoc ſecreto breuiter curaſſe, quum ſcrupulum dimidium poſt menſtruorum fluxum in vino exhibuiſſet, *Prax. chymiatr.* p. 761. quod certe nimium videtur. In dyſenteria ob blandum viſcorem aeque convenit, iudice HALLERO, ac radix Salab.

Senega radix ſ. *Sennagar.*

Polygala caule ſimplici erecto, foliis ouato-lanceolatis integerrimis, racemo terminali erecto, GRONOV. *Virg.* 80. Polygala floribus imberbibus ſpicatis, caule erecto herbaceo ſimpliciſſimo, foliis lato-lanceolatis, LINN. *amoen. acad.* II. p. 139. in Virginia, Penſyluania, Marilandia.

Saporis eſt primo farinacei, deinde ſubacidi et acris exurentis, fauces cum tuſſicula fere conſtringentis. Americanis inde ab antiquiſſimis temporibus nota fuit, vſurpataque tanquam ſpecificum ad letalem viperae caudiſonae aliarumque viperarum morſum, cui indubie medetur, quando tum maſticatur, ſuccusque deglutitur, tum maſticata vulneri imponitur. Praeterea vero in pleuritide et peripneumonia tam puluis, quam decoctum aquoſum, eximie prodeſt, vt primum IO. TENNENTIVS expertus eſt (*Eſſai on the pleureſie.* Philadelph. 1736. 8.), deinde vero alii (*Mem. de l' Ac. des Sc. de Par.* 1739. p. 135. 1744. p. 37. 1748. p. 514.), et nouiſſime Ill. LINNAEVS in proprio corpore (*diſſ. Specif. Canadenſ.* 1756.) Ceterum in arthritide, podagra, rheumatiſmo, aſthmate, hydrope, hectica efficax eſt, dum pituitam valide incidit, et vrinam pellit, in nonnullis quoque aluum diſiicit. Datur in puluere ad grana triginta quatuor; in tinctura vinoſa et decocto ad cochlearia tria. Decoctum vero ſic paratur, vt tres vnciae radicis coquantur in aquae communis libris duabus ad tertiae partis conſumtionem. In pleuritide tertia quo-

quoque hora memorata quantitas calide potatur. Maiori doſi vomitum mouet. Commanducata radix ſaliuam prolicit. Officinis noſtris digniſſima.

Serpentum radix.

Mungos radix, KAEMPF. *amoen.* 577. Ophiorrhiza, LINN. *Fl. Zeylan.* 402. in diuerſis Inſulis Indiae orientalis, Zeylona, Sumatra, Iaua. Icon eſt in LINNAEI *mat. med.*

Primus eius mentionem fecit GARZIAS, qui lignum colubrinum laudatiſſimum vocat, *Aromat.* 163. non confundendum tamen cum ligno colubrino vulgari officinarum, a quo genere et ſpecie differt. Europam transfertur rariſſime, et plerumque noſtris in officinis ipſius loco ligni arboris cuiusdam diuerſiſſimae fruſta aſſeruantur. Vera autem radix ſimplex eſt, ſpithama non longior, nec digito craſſior, ceteroquin lignoſa, flexuoſa, fragilis, vndoſa, albida, amariſſima, cortice fungoſo, rugoſo, et rufo cincta. Deuoratur ab Indis aduerſus ictum venenatum ſerpentis conſpicillo inſigniti, drachmae ſemis vel integrae doſi ex quocunque liquore; inſpergiturque ſimul trita ipſis vulneribus. A muſtela glauca, ſerpenti inimiciſſima, hunc vſum Indi didicerunt, vtpote quae quotiescunque ſerpentem aggreſſura eſt, radicem praemordet, poſteaque cum angue congreditur. Ceterum in febribus putridis et ad canis rabioſi morſum etiam efficax eſt.

Spicae nardi radix.

Planta adhuc incognita eſt; nulla vero LINNAEO ſimilior videtur, quam Calamus odoratus Matthioli, C. B. *Pin.* 17. (*mat. med.* 32.) Aromaticus ipſi et fragrans odor eſt, et inter ſtomachica, alexipharmaca, anthelminticaque refertur. Patria eſt Alexandria.

Succiſae ſ. Morſus diaboli radix.

Succiſa glabra, C. B. *Pin.* 269. Scabioſa corollulis quadrifidis, caule ſimplici, ramis approximatis, foliis lanceolato-ouatis, LINN. *Fl. Suec.* 112. Succiſa foliis ad terram ouatis, ad caulem oblongis, parum dentatis, HALL. *Helu.* 671. in pratis vdis et ſyluis vmbroſis.

Sapor modice acris et ſubamarus eſt. Virtus traumatica, quam ſi quis recte, aſſerente SCHVLZIO, explorauerit, mirabitur, quam bene haec planta cum Geranio Robertiano omnibus votis ſatisfaciat. Ad gargariſmos inprimis in anginis, et cataplaſmata in diſcutiendis tumoribus vſurpatur. Alexiteria vis quoque ipſi olim adiudicata fuit, ſed quae laudibus non aeque reſpondet (BVCHW. p. 180). Vulgus ex inani perſuaſione radice cum herba contra pecorum incantamenta vtitur.

Thalictri radix.

Thalictrum maius, ſiliqua anguloſa aut ſtriata, C. B. *Pin.* 336. Thalictrum caule folioſo, ſtriato, panicula multiplici terminatrici, LINN. *H. Cliff.* 226. in pratis et deſertis graminoſis.

Flaua eſt haec radix, et ad icterum prodeſſe dicitur, triplaque doſi rhei vires imitari, lotium etiam et aluinas foeces colore ſuo tingere.

Thyſſelini ſ. Olſenitii radix.

Apium ſylueſtre lacteo ſucco turgens, C. B. *Pin.* 153. Selinum radice fuſiformi multiplici, LINN. *H. Cliff.* 93. Selinum radice fuſiformi multiplici, inuolucro vniuerſali ampliſſimo, HALL. *Helu.* 443. in pratis paludoſis.

Odorem fragrantem praebet, ſaporem aliquantiſper amaricantem. Obſtructionibus expediendis aptiſſima eſt, et ſpecifice ex KANOLDI commentatione glandu-

glandulas infarctas reſerat. *Commerc. Nor.* 1734. p. 35.

Trioſteoſpermi radix.

Trioſteoſpermum latiore folio, flore rutilo, DILL. *Elth.* 394. t. 293. f. 378. Trioſteum floribus verticillatis ſeſſilibus, LINN. *Spec. Pl.* 176. in America ſeptentrionali.

Nondum mentio huius radicis apud materiae medicae ſcriptores facta eſt, meretur tamen, vt recipiatur, quoniam, notante LINNAEO, certe febres iugulat, *diſſ. Specif. Canad.*

III. OBSOLETAE.

Acaciae ſ. *Pruni ſylueſtris radix.*

Diureticam et adſtringentem virtutem exſerit, vnde corticem inprimis efficaciter febribus intermittentibus mederi, in decocto aqueo vel ſemiuinoſo potatum, SLOANIUS notauit in *Ep. ad Rai.* et NEBELIVS *A. N. C. vol. V. obſ.* 116. totam vero radicem, vino infuſam, egregium et ſummum medicamentum eſſe calculo renali et veſicali affectis, tam curatiuum, quam praeſeruatiuum, multis experimentis comprobauit HEVCHERVS diſſ. *de calculo per adſtringentia pellendo*, et KRAMERVS *Commerc. Nor.* 1735. p. 44. Eandem etiam in infuſo vinoſo os a lue venerea corruptum ſanare, MATTHIOL. p. 267.

Acetoſae radix.

Blande refrigerat, et viſcerum infarctus tollit; hinc regium morbum emendat, arenulas expurgat, menſes ciet, ſitim fallit: omnia quidem moderate. De-

coctionibus medicatis pro potu ordinario in febribus inſeruit. Plantae nomen ſupra indicaui.

Acori vulgaris ſ. paluſtris radix.

Acorus adulterinus, C. B. *Pin.* 34. Iris corollis imberbibus, petalis interioribus ſtigmate minoribus, foliis enſiformibus, LINN. *Fl. Suec.* 33. in paludibus.

Adſtringit ſatis valide, adeo, vt vel taleoli ſub lingua detenti haemorrhagias in ſenſibilioribus coerceant. SCHVLZ. Intus ſumta in puluere aut infuſo vinoſo ventriculi flacciditatem emendat, et ſcorbutica pathemata.

Alcannae radix.

α) vera.

Liguſtrum aegyptiacum latifolium, C. B. *Pin.* 476. Alhenna ſ. Henna Arabum, WALTH. *hort.* 3. t. 4. Lawſonia ramis inermibus, LINN. *Fl. Zeyl.* 135. Arbor fera, in India, Aegypto, Syria creſcens.

β) ſpuria.

Anchuſa puniceis floribus, C. B. *Pin.* 255. Lithoſpermum villoſum, caulibus erectis ſimpliciſſimis, LINN. *mat. med.* 58. in Languedocia.

Altera haec officinas noſtras ingreditur, prior vix vnquam. Vtraque rubra eſt, et ſimili colore tingit: hinc ad balſama vitae et vnguenta rubore ornanda adhibetur. Sapor paulum adſtringens eſt. Vſus praecipuus eſt in lapſu, ad coagula ſanguinis reſoluenda. Oſſa animalium, radice anchuſae paſtorum, inde inſigniter intumeſcunt. *Mem. de l' Ac. des Sc. de Par.* 1746. p. 98.

An-

Anthorae radix.

Aconitum ſalutiferum ſ. Anthora, C. B. *Pin.* 184. Aconitum foliorum laciniis linearibus vbique eiusdem latitudinis, LINN. *H. Cliff.* 214. in Alpibus helveticis, allobrogicis, geneuenſibus.

Acris et amara eſt. Tanquam alexipharmacum adverſus malignas febres, inprimisque eas, quae a vermibus et viſcida in primis viis colluuie oriuntur. Lumbricos enim expellere, a GEOFROY notatum *mat. med. II.* p. 11. Quibusdam ob characterem cum aconitis communem venenoſitatis ſuſpecta eſt (CLVSIVS, I. BAVHIN.), et SCHVLZIO veroſimile videtur, GESNERVM huic plantae mortem ſuam debere, certe illo die exſpiraſſe, quo mane ſcripſerat, ſe anthorae radicem experimenti gratia ſumſiſſe. Verum illepidam fabulam SCHVLZIVM enarraſſe, HALLERVS oſtendit *Meth. ſtud. med.* p. 75. et ex epiſtolis ipſius p. 142. 66. probat, ipſum innocue radicem ſumſiſſe. Etiam animalibus radicem nihil nocere, SPROEGELII experimentis conſtat, *diſſ.* p. 10. 11. Purgantem vim ipſi nonnulli adſcribunt, (LOBEL. *adu.* p. 301.), alii contra denegant (GEOFR. *l. c.*) A ſcrupulo vsque drachmam dimidiam deuoratur.

Apii radix.

Planta alibi dicta eſt. Radix aperientibus quinque maioribus annumeratur. Diuretica eſt, et ad viſcerum obſtructiones valet. Sanguinem ſoluit, lac coactum impoſita diſcutit. Succus ad aliquot vncias epotus febrifugus eſt, et ad firmandos dentes in ſcorbuto prodeſt.

Arundinis radix.

Arundo vulgaris ſ. Phragmites Dioſcoridis, C. B. *Pin.* 17. Arundo panicula laxa, floſculis quinis, LINN. *Fl. Suec.* 99. in fluuiis et foſſis.

Antiquum eſt remedium, quo vtebantur et ad ſpicula aculeosque infixos educendos, dum tritam radicem vel per ſe, ſi tenera eſſet, vel, ſi durior, in mulſo decoctam, parti ſuperimponebant, DIOSC. *L.* 1. c. 15. CELS. *L.* 5. *c.* 26. p. m. 325. et ad luxata et coxendicum dolores mitigandos cum aceto illinebant. DIOSC. Noſtro aeuo prorſus negligitur, praeterquam quod DEIDIERIVM decocto vſum eſſe ad prouocandos menſes retentos legam *Conſult. II.*

Aſparagi radix.

Planta ſupra dicta eſt. Radix ad quinque aperientes pertinet. In decocto moderate iecoris et renum obſtructiones aperit, prodeſtque regio morbo correptis et nephriticis. Vrinam reddit foetidam. Turiones vere prodeuntes inter delicias gulae referri notum eſt; ſed liberalior vſus vitandus eſt, quum ſanguinis mictum inde natum legimus (*A. N. C. vol. I. obſ.* 92. SCHVLZ. diſſ. *de inexſp. medic. effect.* §. 9.), et diabeten (PAVLLIN. *Obſ. L.* 3. *obſ.* 50.) Alligatam radicem, aut hauſtum eius decoctum, conceptum adimere, et ſterilitatem adferre, antiqua opinio eſt, DIOSC. perinde ac canes, ſi decoctum bibant, emori ID.

Aſphodeli radix.

Aſphodelus albus ramoſus mas, C. B. *Pin.* 208. Aſphodelus caule nudo, foliis enſiformibus carinatis laeuibus, LINN. *mat. med.* 172. in Hiſpaniae, Luſitaniae et Narbonae accliuis.

Acri et ingrato ſucco turget, cuius virtus laudatur diuretica et emmenagoga: inprimis vero inter ſpecifica contra icterum refertur. Ex FORESTI obſeruatione ſcrophulas recens contuſa et illita ſanat. Potui ordinario iniectam ſues ab omni lue praemunire, iisque iam infectis mederi; muribus vero venenum eſſe, ipſiusque fumum eos fugare, WEINMANNVS habet *phytant. Faſ. V.* p. 95.

Beben

Behen albi radix.

Behen album, C. B. *Pin.* 234. Rhaponticoides lutea, foliis inferioribus diſſectis, caeteris connatis, *Act. Pariſ.* 1718. p. 229. Centaurea calycibus ſquamatis, foliis radicalibus lyratis, pinnulis oppoſitis, caulinis amplexicaulibus, LINN. *mat. med.* 409. in Aſia minore.

Odorata et acris eſt. Vires reſtaurare dicitur, et tremori praecipue mederi. Sed fida experimenta deſunt.

Behen rubri radix.

Ex Arabia radix defertur; planta vero dubia eſt. Vires item erigere et haemorrhagias coercere creditur.

Capparidis radix.

Capparis ſpinoſa, fructu minore, folio ſubrotundo, C. B. *Pin.* 203. Capparis aculeata, LINN. *H. Cliff.* 203. Arbor fera Italiae, Galliae Narbonenſis, Hiſpaniae, Arabiae.

Subamara eſt et ſubadſtringens; cortex vero multo efficacior eſt, hinc ſolus iſte aſſeruatur. Is autem tum coctus et ſumtus, tum admotus ventriculum roborat, appetitum excitat, obſtructionibus viſcerum ſuccurrit, vlcera ſordida, et quae occalluerunt, expurgat, DIOSC. dente demorſus dolori eius auxiliatur, ID.

Chelidonii maioris radix.

Amara et acris eſt. Succus expreſſus ad cochlear nonnunquam ſumtus, vel decoctum, valde efficax eſt in omnibus morbis a viſcido et obſtructione ortis, dum et viſcera roborat, et materiam morboſam per diureſin et diaphoreſin expellit. Ad hydropem BAEVMLERVS laudat, ad icterum et cachexiam BOERH.

Externo vſu ſinus et fiſtulas expurgat, tandemque perſanat. Planta ſupra dicta eſt.

Chelidonii minoris radix.

In decocto moderate reſoluit et aperit, haemorrhoidum dolores, etiam extus applicata, ſedat. In oris collutione gingiuarum putredinem exſtinguit. Plantam alibi ſcripſi.

Colchici radix.

Colchicum commune, C. B. *Pin.* 67. Colchicum foliis planis, erectis, LINN. *H. Cliff.* 140. in pratis.

Lacteo ſucco madet, atque guſtatu dulcis inuenitur, ſub quo vero magna vis deleteria latet, ſiquidem comeſa radix ſtrangulando enecat, DIOSC. et cum ſaeviſſimis ſymptomatibus purgat. CORD. BRESLAV. *M. Iun.* 1723. GARIDEL. Nihilominus amuleti loco geſtata alexipharmaca eſſe, et aduerſus morbos malignos et peſtem valere dicitur, WEDELIO et WILHELMI: cui vero virtuti parum HALLERVS tribuit, et fabuloſiſſimam hiſtoriolam ab hoc commentatam eſſe cenſet, *Heluet.* p. 282. Interea vero ſilentio praetereundum non eſt teſtimonium HASENESTI, affirmantis, omnino radicem iſtam collo appenſam, et nudo pectori impoſitam, non ſolum ſemet ipſum in febre caſtrenſi maligna, ſed et omnes, qui ſecum aegrotantium curam habuiſſent, a morbo egregie muniuiſſe, ſeque inſuper ſudores ab eius geſtatione ſolito largiores et colore ſubfuſco lintea tingentes in proprio corpore animaduertiſſe poſtea, quam noſocomio egreſſus eſſet, et quales neque vnquam antea, neque poſt in ſe deprehendiſſet, *Commerc. Nor.* 1736. p. 107.

Coſti

Coſti dulcis ſ. *Arabici radix.*

Coſtus, LINN. *H. Cliff.* 2. Tſiana-Kua, RHEED. *H. Malab.* 11. t. 8. in Malabaria, Zeylonia, Braſilia, Surinama.

Guſtatu acris et aromatica eſt. Oleum aethereum diſtillatione largitur. Capiti inprimis et neruoſo generi amica creditur, et in apoplexia et paralyſi a cauſa frigida laudatur. Ceterum inflationes leuat, et ventriculum roborat. Prophylactica etiam contra morbos malignos virtus a quibusdam ei tribuitur. Devoratur puluis ad drachmam dimidiam.

Cucumeris agreſtis radix.

Cucumis ſylueſtris, aſininus dictus, C. B. *Pin.* 314. Momordica absque cirrhis, LINN. *H. Cliff.* 294. in Italia, Sicilia, Narbona.

Totus frutex amarus eſt. Radix efficaciter tumores reſoluit, illita ex polenta: podagras diſcutit, decocta ex aceto et illita: in collutione oris dentium dolores ſedat. Intus ſumtus ſuccus radicis, aut infuſum eius vinoſum, bilem pituitamque deiicit, praeſertimque hydropicis commendatur. Puluis datur a granis quindecim vsque ad triginta.

Cyclaminis radix.

Cyclamen hederae folio, C. B. *Pin.* 308. Cyclamen foliis cordatis corolla reflexa, LINN. *H. Vpſ.* 47. in Pannonia et Auſtria.

Antiquum medicamentum, quod vires praecedentis radicis aemulatur. DIOSC. Extus ventri illita etiam purgat: in decocto vitia cutis emendat; quin capitis vlcuſcula et perniones foueri, eo quoque confert. ID. Informe tuber eſt, et propter id non raro pro eius radicibus tubera terrae venduntur.

Cynogloſſi radix.

Narcotica eſſe multis creditur; ſed id negat, vt de tota planta, ſic etiam de radice, FVLLERVS *Pharmac. extemp.* p. 355. Ad ſtrumas et ſcrophulas tam intus in decocto, doſi vnciae vnius, quam extus in cataplaſmate adhibere Angli ſolent. RAI. *hiſt. pl.* p. 490. GEOFROY ad tuſſim et dyſenteriam commendat.

Cyperi longi radix.

Cyperus odoratus, radice longa, ſ. Cyperus officinarum, C. B. *Pin.* 14. Cyperus culmo triquetro folioſo, vmbella folioſa ſupra decompoſita, pendunculis nudis, ſpicis alternis, ROY. *Lugdb.* 50. LINN. *mat. med.* 29. in Italiae et Galliae paludibus.

Non ingratum aromaticum ſaporem et odorem exhibet. Stomachica et vterina eſt, et horum viſcerum morbis ex atonia ortis opitulatur. Maſticata gingiuarum laxitati ac putredini medetur.

Cyperi rotundi radix.

Cyperus orientalis, radice oliuarii, ſpicis longis e ſpadiceo purpuraſcentibus, SCHEVCHZ. *gram.* 391. Cyperus culmo triquetro ſubnudo, vmbella decompoſita, ſpicis alternis linearibus, LINN. *Fl Zeyl.* 36. in India, Aegypto, Syria.

Easdem, quas prior, virtutes poſſidet, ſed debiliori gradu.

Dentariae radix.

Vrentem et cauſticam vim habet. Eius decocto dentes in dolore colluuntur. Planta ſupra adfuit.

Doro-

Doronici radix.

Doronicum radice ſcorpii, C. B. *Pin.* 184. Doronicum foliis cordatis obtuſis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus, LINN. *mat. med.* 394. alpium incola.

Aromatica et ſubdulcis eſt. Priori ſaeculo pro ſuſpecta habuerunt multi, alii vero negarunt, propriis experimentis ſiſi: quorſum refero MATTHIOLVM, qui cani ſeſcuncem innocue dedit, *epiſt.* p. 302. et GESNERVM, qui ipſe ſine noxa drachmas duas aſſumſit, *Hort.* p. 257. *epiſt.* p. 18. 74. 78. Capitis et vteri imbecillitati mederi creditur, et ſpecifice ad vertiginem prodeſſe. Sed apud ipſos alpicolas vſus eius exoleuit, HALLER. p. 739. et in capitis morbis nihil profeciſſe, LVDOVICI expertus eſt p. 115.

Ebuli radix.

Eundem effectum, ac herba, praeſtat. Succi vis efficacior, purgatque vnciae vnius pondere. Elicitur autem affuſa aqua hordei vel vuarum paſſarum, cum cinamomi vel nucis moſchatae momento et cum ſaccharo. Externe cum vino cocta radix tumores duros diſcutit.

Eryngii radix.

Planta ſupra adfuit. Radix acris antiquum eſt medicamentum, tum ad menſes et vrinas pellendas, tum ad iecinoris vitia commendatum, DIOSC. neque non etiam ad praecauendum calculum, AET. *c.* 16. quod experientia ſua BAGLIVIVS confirmauit p. 116. Laudatur porro ad quartanam, CRAT. apud MONAV. *L.* 5. p. 471. et pro alimento nutriente et aphrodiſiaco. Opiſthotonicis et comitialibus mederi cum hydromelite potam, DIOSCORIDES ſcribit. In officinis etiam radicem condire ſolent.

Eſulae radix.

Tithymalus paluſtris fruticoſus, C. B. *Pin.* 292. Euphorbia foliis lanceolatis, vmbella vniuerſali polyphylla, partialibus trifidis triphyllis, propriis dichotomis, LINN. *Fl. Suec.* 438. Tithymalus altiſſimus, leuis, foliis ſub floribus ternis, cordatis, fructu verrucoſo, HALLER. *Helu.* 191. in pratis paludoſis.

Vrente ſucco lacteo turget, et purgante vi infamis eſt. Veteres tamen maceratam viſcoſis rebus adhibuere ad euacuandas hydropicorum aquas; et RVLANDVS decoctum in lacte tanquam ſpecificum anthelminticum commendauit. Succus ad clauos pedum et verrucas extirpandas valet.

Filipendulae ſ. Saxifragiae rubrae radix.

Filipendula vulgaris, C. B. *Pin.* 163. Filipendula foliis pinnatis, foliolis vniformibus, LINN. *Fl. Suec.* 404. Filipendula longis, anguſtis, extremo trilobato, minimis pinnatis intermiſtis, HALL. *Helu* 307.

Auſtera eſt, acidae et terreae naturae. Ad alui fluxus, fluorem album, et calculum laudatur. Edulem eſſe, FABREGOV.

Hyoſciami radix.

Ad venena pertinet, cerebri functiones omnes turbat, GMELIN. *It. Sib.* III. p. 515. et hydrophobiam letalem inducit, BARRERE *obſeru.* In aceto autem decocta ad dentes in dolore colluendos adhiberi poteſt. DIOSCOR. Plantam ſupra dixi.

Laureolae radix.

1. Laureola folio deciduo, flore purpureo, C. B. *Pin.* 462. Daphne floribus ſeſſilibus, infra folia elliptico-lanceolata, LINN. 147. Thymelaea floribus ſpicatis, ſub foliis ellipticis, modice acuminatis, le-

vibus,

vibus, mollibus, HALL. 188. Frutex, ſyluarum incola.

2. Laureola ſemper virens flore viridi, C. B. *Pin.* 262. Daphne racemis lateralibus, foliis lanceolatis integris, LINN. *H. Cliff.* 147. in Italia, Germania, Anglia.

Immoderate et moleſte deiectione humores purgat, vt ſit eius vſus prorſus non ſuadendus. Sed alium obtinuit vtraque, vel cortex ſaltem eius externum vſum, nempe quod auriculae perforatae indatur ad ſanandas chronicas lippitudines, aliosque capitis morbos, BARBEIR. *Form.* p. 451. ſiquidem acrimonia ſua exulcerationem facit, qua corpus ab impuris humoribus purgatur.

Lychnidis radix.

Lychnis ſegetum maior, C. B. *Baſ.* p. 59. Agroſtemma, LINN. *H. Cliff.* 175. Lychnis calycis laciniis petalorum longitudinem ſuperantibus, HALL. 376. in aruis.

Experti laudarunt PAVLI et FVCHSIVS ad haemorrhagias; hodie vero prorſus penſi habent.

Mandragorae radix.

Mandragora fructu rotundo, C. B. *Pin.* 169. Mandragora, LINN. *H. Cliff.* 57. in inſula Creta, Hiſpania, Italia.

Vires narcoticas habet atque ſtupefacientes, vt odor nauſeoſus et ipſa claſſis teſtantur, et dudum iam antiqui cognouerunt, DIOSCOR. AET. AEGINET. GALEN. Radix violenter & non ſine noxa purgat, hinc nullius hodie vſus eſt.

Mataliſta radix.

Planta Americae incola, ſed adhuc ignota. Radix aluum purgat, debilius quidem ac ialappa, ſed paulo

for-

fortius ac mechoacanna. Doſis praeſcribitur duarum drachmarum.

Mechoacannae radix.

Conuoluulus americanus, Mechoacan dictus, RAI. *hiſt.* 723. Ieticucu, MARGGR. *Braſ.* 41. in America meridionali.

Saporis et odoris expers eſt, blande tamen et absque torminibus humores per aluum purgat, vt ſit etiam infantibus et delicatioribus accommodata, et laudetur inprimis in aſthmate humorali, arthritide, hydrope, et capitis a ſeroſa colluuie morbis. Deuoratur a ſcrupulo dimidio vsque ad integram drachmam. Commode etiam dupla, tripla, quadrupla doſi infuſis per epicraſin laxantibus admiſcetur. CRATO monet, vſum non nimis repetendum eſſe ob alui adſtrictionem, quam ſic relinquat: anne vero is effectus eſt penuriae humorum, quam omnia purgantia faciunt? Fruſtis bryoniae ſubinde adulteratur, quae vero poſſunt amaro ſapore illico dignoſci.

Meu radix.

Odorata eſt et acris. Feruefacta ex aqua aut vino, vel in puluerem contrita, ſtomachi inflationes leuat, vrinae difficultati medetur, ſanguinem per menſtrua pellit; articulorum doloribus atque fluxionibus pectoris, trita cum melle in eclegmate, auxiliatur. DIOSC. Plantam ſupra dixi.

Nymphaeae radix.

Eſt ex nymphaea *alba.* Acrimoniam quandam prae ſe fert. Contra veneris inſomnia vtiliter bibi, ab antiquis notatum eſt, DIOSC. item ſtomachi ac veſicae doloribus illini, impoſitum cum pice alopeciis mederi, vitiligines ex aqua emendare, ID. Suecos in inopia absque noxa comediſſe LINDER. *de venen.* p. 651.

p.651. Nymphaeae *luteae* radix etiam antiquis vſitata fuit, et contra foeminarum profluuia laudatur, DIOSC. vbi ex vino potetur. Recentiores autem video eundem vſum et albae tribuere. SCHVLZ. Ad febres lentas et phthiſicas tuſſes a plebeiis in decocto aquoſo adhibetur; ſed noxium effectum aliquando edidiſſe, notauit RVCKERVS, dum in foemina febrem quidem ſedauit, at hydropem lethalem induxit, *Commerc. Nor.* 1734. p. 27. is vero an recte vſui radicis adſcribatur, dubitari adhuc poteſt.

Paralyſeos ſ. Primulae veris radix.

Plantam ſupra indicaui. Durae arthritidis remedium eſſe radicem, et odontalgiae quoque mederi, SCHROEDER. *Pharmac. L.* 4.

Pentaphylli radix.

Eiusdem efficaciae eſt ac herba, quam ſupra laudavi. Etiam extracto radicis nonnulli, vbi adſtringendum eſt, v. c. in dyſenteria, fluore albo, et haemoptyſi vtuntur.

Peucedani radix.

Peucedanum germanicum, C. B. *Pin.* 149. Peucedanum foliis quintuplicato-tripartitis, lineari-ſubulatis, integerrimis, LINN. *H. Cliff.* 93 Peucedanum pinnis duplicatis pinnatis, foliis latiuſculis, longe trifidis, HALL. *Helu* 442. in pratis.

Succoſa eſt, acris, et graui odore, cum recens colligitur. Ad veſicae cruciatus et tuſſim facit, inflationibus ſubuenit, ventrem leuiter emollit. Ex oleo et aceto illita, omnibus in vniuerſum vitiis et neruorum, et longis capitis doloribus prodeſſe dicitur, et cauernis dentium indita, dolorem mitigare, DIOSC. Puluis eius ſordidis vlceribus vtiliter inſpergitur, qui purgat, et cicatrice obducit. ID.

Plantaginis radix.

Plantam ſupra dixi. Ad eadem omnia fere radix vtilis eſt. Speciatim vero fugandis febribus intermittentibus decoctum efficax, ex antiquorum non modo obſeruatione (DIOSC.), ſed et recentiorum (FERNEL. p. 177. WEDEL. *diſſ. cit.* p. 23.); deinde vero vlceribus renum et veſicae conuenit. Manducatu et collutione, dentium dolores ſedat. DIOSC.

Rhodiae radix.

Rhodia radix, C. B. *Pin.* 286. Anacampſeros, radice roſam ſpirante, maior, TOVRNEF. *inſtit.* 264. Roſea, RVPP. *Ien.* p. 80. Rhodiola, LINN. *Fl. Lapp.* 378. Sedum foliis ſerratis, tetrapetalum, ſexu diſtinctum, HALL. *Helu.* 394. in alpibus.

Arida roſam redolet, recens inodora. Vtiliſſimam antiqui capitis doloribus habuerunt, madefactam fronti et temporibus cum roſacei momento imponentes. DIOSC. Recentiores nonnulli ob adſtringentem facultatem ad fluorem album laudant, et externe vlceribus ſalſis in cataplaſmate imponunt. HALL.

Sigilli Salomonis ſ. Polygonati radix.

Polygonatum latifolium vulgare, C. B. *Pin.* 303. Conuallaria foliis alternis, pedunculis axillaribus vnifloris, LINN. *Fl. Suec.* 274. Polygonatum foliis alternis, petiolis multifloris, HALLER. *Helu.* 287. in ſyluis.

Radix carnoſa, dulcis, ſubacris et viſcida eſt. Ad diſcutiendas inflammationes Ill. WERLHOFIVS vſurpauit, *Commerc. Nor.* ad hernias CHOMELIVS, ad mariſcos et iſchiaticos dolores alii. Interne in decocto ad fluorem album et tuſſim commendatur, ceterum ob coſmeticam virtutem celebris.

Spi-

Spicae celticae radix.

Iucundi odoris eſt, frequentata veteribus in ſtomachi et veſicae vitiis, ſiquidem roborat et vrinam ciet, DIOSC. Plantam ſupra dixi.

Telephii radix.

In amuleto ad haemorrhoides ſedandas laudant *Act. Hafn. III. obſeru.* 58. *V. obſeru.* 133. WEDEL. *E. N. C. ann. II. obſ.* 195. Sed id fabuloſum videtur HALLERO *Helu.* 395. Planta ſupra adfuit.

Turpethi radix.

Conuoluulus zeylanicus alatus maximus, HERM. *Zeyl.* 177. t. 179. Conuoluulus foliis cordatis angulatis, caule membrano-quadrangulari, LINN. *Fl. Zeyl.* 74. in Zeylona, Malabaria, Guzarata.

Recens lacteum ſuccum continet. Subacris eſt et nauſeoſi ſaporis. Humores deorſum purgat ad drachmam dimidiam data in puluere, in infuſo vero ad ſex drachmas. Raro vero ſeorſum datur, ſed lenioribus permiſta, nec puero, nec ſeni, nec grauidae, nec debili, ſed vni robuſto conduceas. FERNEL. Ad ſternutamenta etiam vſurpari poteſt. Arabibus nota fuit. In officinis corticem tantum reperiri, non vero totam radicem, HILL. p. 554.

Verbaſci radix.

Adſtringit, et hoc fine ab antiquis in alui profluvio ex vino data fuit. DIOSC. Decoctum antiquae tuſſi, conuulſionibus, herniis mederi, et dentium dolorem collutione mitigare, ID. Planta ſupra adfuit.

Victorialis longae radix.

Allium alpinum, Victorialis mas, TABERN. p. 487. Allium montanum, latifoli-maculatum, C. B.

Pin. 74. Allium caule plani vmbellifero, vmbella globoſa, filamentis ſimplicibus, corolla longioribus, LINN. *mat. med.* 163. Allium radice oblonga, obducta reticulo, HALL. *Helu.* 298. in alpibus heluerticis.

Vires allii vulgaris habet ſtomachicas et pellentes. Circumforanei vero effectus naturali remedio ſuperiores ab ea ſimul expectant. In amuleto etiam ad ſpaſmos abdominales grauidarum laudatur, et vidit omnino HALLERVS, aliquoties ſic profuiſſe, *p. c.*

Vlmariae radix.

Traumatica virtute gaudet, tam externe, quam interne adhibita. Ex commendatione FEL. WüRZII in emplaſtris ad firmandas et conſolidandas oſſium fracturas applicatur. Planta alibi dicta fuit.

CLAS-

CLASSIS V.

F R V C T V S.

I. VSITATI.

Amygdalae.

Amygdalus foliis petiolatis, ſerraturis infimis glandulofis, LINN. *H. Cliff.* 186. in regno Tripolitano, et diuerſis Italiae, Galliae, Hiſpaniae et Germaniae regionibus. Icon eſt apud *du* HAMEL. I. p. 50.

α) amarae.

Amygdalus amara, TOVRNEF. *inſtit.* 627.

β) dulces.

Amygdalus ſatiua, fructu maiore, C. B. *Pin.* 441. Amygdalus dulcis, putamine molliori, TOVRNEFORT. *inſtit.* 627.

Ambae oleum vnguinoſum continent, quod in illis amaricat, in his mite ac dulce eſt, et quo mediante humores acres temperant, dolores ac ſpaſmos leniunt, vrinam cient, et aluum emolliunt, vt tamen amarae prae dulcibus maiorem anodynam et diureticam virtutem exſerant, dulces vero magis nutriant. Amaris praeſumtis ebrietatem non ſentire potores, DIOSC. Verumtamen in nonnullis non abarcendae, ſed accelerandae inſeruire ebrietati, et loco emolumenti,

quod ab iisdem ſperatur, nauſeam, vomitus, cardialgiam, colicam, aliaque grauiora ſymptomata excitare, bis vidit STENZELIVS, *diſſ. de anod. virt. ven.* p. 35. In vulpibus, felibus, canibus, et volucribus, ſi cum quadam eſca eas vorauerint, conuulſiones letales excitant, quibus vero domandis et arcendis dulces pares ſunt. *du* HAMEL. Hae baſin emulſionum quoque conſtituunt; quibus vero pro grato ſapore aliquot etiam amarae addi poſſunt. Ceterum externo vſu amararum oleum capitis dolori auxiliatur, illitum fronti aut temporibus cum aceto vel roſaceo; calide vero auribus inſtillatum, ſuſurrum et tinnitum ſiſtit, quin ſurditatem tollit, ſi a coacto cerumine orta eſt. Ex veterum denique obſeruatione illitae amarae vitia cutis in facie corrigunt, itemque putreſcentia vlcera, et quae ſerpunt, et morſus canum cum melle ſanant. DIOSC.

Anthophylli.

Caryophyllus aromaticus, fructu clauato monopyreno, PLVKN. *phyt.* 155. t. 1. Caryophyllus, LINN. *H. Cliff.* 207. Arbor Moluccenſis.

Sunt fructus maturi dictae arboris, vti caryophylli, de quibus deinceps dicetur, immaturi. In morbis vteri a cauſa frigida vſus eorum creberrimus eſt; externe vero diuerſis modis ad confortandum foetum et arbortum praecauendum adhiberi ſolent.

Aurantia malus.

Succus eius acidus, gratus, reficit, temperat, et ad omnem putredinem confert; in acutis vtiliſſimus, inque ſcorbuto, LIND *on the Scurvy.* Poma immatura minora, piſi et amplius magnitudine, ſtomachum languentem mire refocillant. Fonticulis ad maiorem affluxum excitandum vtiliſſime interdum immittuntur.

Ber-

Berberis ſ. Oxyacanthae baccae.

Berberis dumetorum, C. B. *Pin.* 454. Berberis pedunculis racemoſis, LINN. *Fl. Suec.* 290. Frutex vulgaris Europaeus, in ſyluis.

Succum acidum continent, quo ſitim exſtinguunt, aeſtum compeſcunt, et diarrhoeas ſiſtunt, vt tam decoctum, quam ſuccus expreſſus et ſyrupus in morbis acutis, benignis et malignis, quin in ipſa peſte (ALPIN. *de plant. aegypt.* p. 117. PAVLI *quadr. bot.*) vtiliſſima ſint.

Cacao.

Arbor caeaui cacauifera, HERNAND. *Mex.* 79 Theobroma foliis integerrimis, LINN. *H. Cliff.* 379. Americae meridionalis incola.

Nucleus cortice duro et fuſco incluſus eſt, ſaporis ſubpinguis, ſubamari et oleoſi, ſiquidem etiam ſebaceum oleum continet, quod coctione in aqua ad eius ſuperficiem dimittit. Egregium corpori adfert nutrimentum, hecticis et phthiſicis conducit, ventriculum roborat, acrimoniam temperat, fortaſſis ſemen auget, verbo, alimenti et nutrimenti vices praeſtat. Non attinet dicere, Indos primum, deinde alias gentes inde potum, gulae blandimentum, parauiſſe, quem *Chocolade* vocant. Caueat autem quisque a copioſo eius vſu, quoniam ſanguinem tum inſpiſſat, et ad circulationem ineptum reddit, vt inde naſcantur febres, apoplexiae, viſcerumque inflammationes. Seuum ad rhagades facit.

Cardamomum.

Diuerſae dantur Cardamomorum ſpecies, figura nempe atque capſularum ſtructura inter ſe diſcrepantes, viribus tamen ac ſapore ſpecifico aromatico conuenientes: nondum vero Botanici adhuc ſingularum ſpecierum plantae characteres eruere potuerunt. Nata-

lis locus eſt in diuerſis inſulis Indiae orientalis, potiſſimum Malabar, Iaua, Zeylona Calacut, Cananor; deinde quoque occidentalis. Tres autem ſpecies cardamomorum in officinis proſtant, capſula triangulari longa, capſula rotunda ampliore, denique breui triangulari, quae *minor* dicitur, et grauitate et saporis gratia ceteras antecellit, depicta in horto Malabarico T. XI. p. 9. t. 5. et a LINNAEO ad amomi genus relata, ſub nomine Amomum ſcapo bracteis alternis laxis caule breviore, *Fl. Zeyl.* 4.

Ob copioſum acre oleum aethereum omne cardemomum calefacit, neruis et neruoſis partibus amicum eſt, appetitum et digeſtionem promouet, memoriam auget, atque viſus et auditus ſenſum acuit, errhinam etiam virtutem poſſidet.

Ex peculiari ſpecie Cardamomi, de qua vero iterum inter eruditos non conſtat, nobile illud *oleum Kaieput* paratur, quod extra omne dubium primum poſuit Ill. TREWIVS *Commerc. Nor.* 1737. p. 132. deinde Cl. MARTINI *diſſ.* tum Cel. CARTHEVSERVS. *diſſ.*

Caricae pingues ſ. *Ficus.*

Ficus communis, C. B. *Pin.* 457. Ficus foliis palmatis, LINN. *H. Cliff.* 471. Arbor manſueta Graeciae, Hiſpaniae, Italiae, Louiſianae.

Egregio abundant ſucco dulci mucilaginoſo, quo corpori non ſolum egregium nutrimentum largiuntur, et hoc ſcopo etiam ab incolis archipelagi quotidie in cibum cum panis hordeacei tantillo trahuntur, ſed inſuper etiam inſigniter leniunt, relaxant, molliunt, abſtergunt et maturant: vnde in aſperitate faucium, angina, raucedine, tuſſi, vrinae atque alui difficultate, abſceſſibus maturandis et rumpendis, tumoribus inflammatoriis vero diſcutiendis ſalutariter vſurpantur. Vlcera a cantharidibus excitata etiam applicatu aperta ſeruant. Singularem atque prorſus admi-

admirabilem fructificandi modum hic non attingo; optime vero diſci is poteſt apud *du* HAMEL. I. p. 241. Quod pediculi quotidiano vſu eorundem gignantur, *ab* HEERS probatum dedit *obſ.* 23. niſi fallacia fortaſſis lateat.

Caryophylli aromatici.

Sunt fructus immaturi eiusdem arboris, vnde Anthophyllos decerpi ſupra ſcripſi. Copioſo oleo aethereo, acerrimo et calidiſſimo, quod in aqua ſubſidet, turgent; vnde ipſi intenſe calefaciunt, et in frigidis morbis, ſpirituumque inertia vtiliſſimi ſunt. Olei vſus ceterum ad compeſcendum ſphacelum, dentiumque dolores ſedandos notus eſt. Intus ſumtum ante inſultus febriles, eorum vehementiam moderatur.

Caſſiae fiſtula.

Caſſia foliolis quinquepinnis, ouatis, acuminatis, glabris, petiolatis, LINN. *Zeyl.* 149. Arbor fera vtriusque Indiae, Arabiae, Aegyptique.

Huius arboris Caſſiae fiſtula, dicta ſiliqua, eſt longa, cylindrica, cortice nigro ligneo conſtans, intus in plures cauernulas diuiſa, in quibus pulpa mollis, nigra, dulcis, cum ſeminibus planis continetur. Atque haec pulpa, nonnullis *flos caſſiae* dicta, ſola medica eſt, leniter aluum laxat, bilis acrimoniam, febriumque aeſtus obtundit, ſitimque ſedat, cholagogis olim adnumerata. Datur itaque pulmonum affectibus mucoſis leniendis, bile aeſtuanti, febri ardenti: datur quoque renum et veſicae ardoribus. Infantibus ſesquidrachmae, adultis imbecillis vnciae, validoribus ſeſcunciae pondere aluum ducit. Vrinam nigram et foetidiſſimam reddere, BOERHAAV. *Prael. VI.* p. 319. verum nihil tale ſe vidiſſe, GMELINVS affirmat, magna licet quantitate ad vnciam et amplius eam bis dediſſet, *diſſ. de rhab.* §. 34.

Ceraſa nigra et rubra.

Ceraſus foliis ouato-lanceolatis, LINN. *H. Cliff.* 43. Arbor in hortis Europaeis frequens.

α) Ceraſus maior ſylueſtris, fructu ſubdulci, nigro colore inficiente, C. B. *Pin.* 450.

Huius fructus, quos et ceraſa *dulcia* vocant, temperantem et antiſpaſmodicam virtutem obtinent, et ob id aqua et ſyrupus in officinis inde parantur.

β) Ceraſus fructu acido ſerotino, ſucci ſanguinei, TOVRNEF. *inſtit.* 625.

Inde ceraſa *rubra* ſiue *acida* veniunt, quae ſitim exſtinguunt, febrium ardores demulcent, et languenti ſtomacho auxiliantur. In decoctis temperantibus ſiccata adhibentur, vel ſyrupus, roob, gelatina, et alia non ingrata remedia inde parantur, aut cum ſaccharo etiam, perinde ac aceto condita ſeruantur.

Citria malus.

Omnia de huius ſucco valent, quae de aurantiorum ſcripſi. In ipſa peſte optime praeſeruat, FISCHER Pr. *de vſu novellar. med.* et in morbis contagioſis optimum analepticum, MEVDER. *de contag.* p. 56. caculoſis renibus quoque opitulatur, FERNEL. Taleoli carpis impoſiti, reuellunt et continuato vſu rubefaciunt.

Coffée nuclei.

Coffea, LINN. *H. Cliff.* 59. Arbor Arabiae et Perſiae fera; in Americam translata colitur.

Decoctum nucleorum toſtorum, quo gens Europaea inde ab anno 1650. tantopere delectari cepit, non omni vſu medico deſtitutum eſt. Alui fluxum copioſum inde cohibuit, omiſſo ſaccharo, LANZONI *A. N. C. vol. I. obſ.* 44. cephalalgiam periodicam NEBELIVS *ib. obſ.* 88. cephalalgiam ſympathicam ex vitio male digerentis ſtomachi aliquot horas poſt prandium tor-

torquentem, in quam plurimis ac in ſe ipſo BAGLIVIVS fugauit p. 65. qui itidem in doloribus calculoſis et podagricis commendat p. 117. De mulieribus Aegyptiis conſtat, quod frequenter ipſo, menſtruorum tempore, vtuntur, vt irregularem fluxum in ordinem redigant. PROSP. ALPIN. Praeterea Cl. LANZONI decoctum ex ſolo lacte ſiue aſinino ſiue caprino cum euphoria dedit in aſthmate, leucophlegmatia, arthritide, rheumatiſmo, paſſione hyſterica, et ſicca tuſſi, *A. N. C. vol. I. obſ.* 97. Denique decoctum aquoſum vtiliter in ſoporoſis et apoplecticis affectibus ex inferioribus partibus in anum immittitur. *Act. Pariſin.* a. 1702. p. 29.

Colocynthidis pomum.

Colocynthis fructu rotundo minor, C. B. *Pin.* 313. Cucumis foliis multifidis, pomis globoſis glabris, LINN. *H. Vpſ.* 298.

Pulpa pomi ſpongioſa eſt, mollis, leuis, et cum acrimonia amariſſima, quam Arabes *Handal* dixerunt. Impetu ea et moleſte purgat, adeo vt importune data effectus dyſenteriae edat (STALPART VAN DER WIEL *cent.* 1. *obſ.* 41. ACT. BEROL. *vol. I. dec. II.* p. 59.), etiam clyſteri incocta ad drachmam vnam (SOLENAND. *Conſ.* p. 504. DODON. *obſ.*) Hodie ergo vix vnquam ſolitarie adhiberi, ſed potius mitioribus, exigua doſi pro ſtimulo addi ſolet, ad granum vnum, duo, vel tria, nec cruda tamen, ſed tragacanthae mucilagine admiſta. In morbis phlegmaticis, et a ſeroſa colluuie natis, capitis potiſſimum ac vteri, praecipue commendatur. In menſium retentione expertus laudat TIMAEVS *L.* 4. *caſ.* 9. in lue venerea HELMONT. *diſpenſat. modern.* in melancholia ſub extracti ſpecie GARMANN. *E. N. C. an.* 1672. *obſ.* 202. et IüNGKEN in *Prax. med.* p. 696. ad vermes enecandos permulti tam externo, quam

quam interno vſu. In clyſmate ſoluit hernias incarceratas. *Commerc. Nor.* 1735. pag. 3.

Copioſum ſemen, quod in pulpa reſidet, multis cauernulis diſtincta, tanquam inutile quidem reiicitur, at purgantem tamen virtutem ſimiliter continere, WEDELIVS teſtatur *amoen. mat. med.* p. 150. mentionem ſimul faciens Chirurgi, qui ſolo eorum infuſo cereuiſia facto, quam plurimos lue venerea laborantes feliciter curauerit; quod ſane iterum experiundum.

Cubebae.

Cubebe vulgaris, C. B. *Pin.* 412. Cubeba, LINN. *mat. med.* 526. in inſula Iaua Indiae orientalis.

Num cubebae arboris, fruticis aut plantae, et cuius, fructus ſint, nondum adhuc conſtat. Piperis ſpecies eſſe, multi hariolantur, vtpote faciem ſimilem et ſaporem habent. Viribus alia aemulantur aromata, excalefaciunt, et neruos, neruoſasque partes roborant. Specifice dicuntur vertigini et memoriae imbecillitati mederi.

Cucumis aſininus.

Ex ſucco fructus valde amari et purgantis inſpiſſato paratur extractum, quod antiqui *Elaterium* vocarunt, quodque a granis decem ad viginti datum, hydropicorum aquas cum fructu educit, menſes pellit, et optima ſuſpirioſis purgatio eſt. DIOSC. Optime vero permiſcetur atque temperatur leniente liquore. Antiqui etiam pulpae foecula ſiccata atque in trochiſcos redacta, ſimilem in finem vſi ſunt, quae vero potentia multum ſuperat elaterium illud nigrum, quod ante memoraui, ſic vt duo grana eius idem praeſtent, ac illius viginti. Hanc foeculam alias etiam elaterium album vocant. Anginis efficaciſſime illinitur cum vetere oleo, melle aut felle taurino, DIOSC. morbo regio medetur cum lacte naribus infuſum, et diuturnis capitis doloribus. ID.

Cy-

Cydonia.

Cotonea malus, I. B. *I.* p. 35. Pyrus foliis integerrimis, LINN. *H. Cliff.* 190. Arbor ad Danubium creſcens, et in vineis ſubinde ſata.

Auſteri admodum ſaporis eſt, in laxitate ventriculi et inteſtinorum, et profluuiis aluinis prodeſt. Succus crudorum aſſumtus orthopnoicis ſalutaris eſt. DIOSC. Decocto fouentur vuluae et ſedes, ſi procidant. Eodem cum muſto facto et ipſis conditis pomis intus ſumto ſemel quotidie, abortus praecauetur, et mola pellitur. *A. N. C. vol. II. obſ.* 195. Cruda cataplaſmatis adiiciuntur ad cohibendam aluum, ad ſedandum aeſtum ſtomachi, ad mammarum inflammationes, et condylomata.

Contrariae virtutis *ſemen* eſt, quod ſupra video omiſiſſe atque hic propterea memorari debet, quod nimirum mucilaginea ſubſtantia turgens, lubricat, laxat, refrigerat, atque lenit. Vnde in lippitudine, fiſſuris linguae aliarumque partium, et haemorrhoidum dolore, ex eo cum aqua roſarum extracta mucilago laudatiſſimum praebet medicamentum.

Dactyli.

Palma hortenſis, KAEMPF. *amoen.* 668. t. 1. 2. Phoenix frondibus pinnatis, foliolis alternis enſiformibus baſi complicatis, petiolis compreſſis dorſo rotundatus, LINN. *H. Cliff.* 489. in vtraque India.

Dulci ſapore grati nutriunt, et humores acres temperant: hinc in raucitate, tuſſi, vrinaeque ardore efficaces.

Ebuli baccae.

Siue decoctum earundem, ſiue Roob, quod in officinis conficiunt, ſerum efficaciter tam per vrinae et cutis vias, quam, ſi largiori doſi ad ſemunciam et amplius exhibetur, per aluum exturbat: adeoque in tumo-

tumoribus aquoſis diſſipandis vtiles. Plantam memoraui alibi.

Fraga.

Fragaria vulgaris, C. B. *Pin.* 326. Fragaria flagellis reptans, LINN. *Fl. Suec.* 414. in Europae ſylvis.

Fragranti odore et ſuaui ſapore acidulo praedita, refrigerant, humectant, ſitim ſedant, ſudorem (BARTHOL. *cent.* 3. *hiſt.* 57.) et vrinam cient, hinc ad calculum praedicata GESNERO *epiſt.* p. 92. denique bilem piceam diſſoluunt, ſic vt liberaliter comeſta, ad viginti libras quotidie per aliquot hebdomades, maniacos, excitata diarrhoea, morbo ſuo liberaſſe, *van* SWIETEN teſtetur III. p. 480.

Iuniperi baccae.

Iuniperus vulgaris fruticoſa, C. B. *Pin.* 488. Iuniperus foliis ſeſſilibus patentibus, LINN. *Fl. Suec.* 824. in Europae ſyluis.

Dulces, aromaticae, fragrantes, balſamicis et oleoſis partibus abundant. Calefaciunt, roborant, et vrinam pellunt comeſtae, hinc in calculoſis renum affectibus quotidie numero tres quatuorue aſſumtae optime medentur, C. PISO et *A. N. C. vol. X. obſ.* 52. maiori vero doſi diabeten lethalem excitant, *ib.* arthriticis etiam, et ſcorbuticis maxime ſalutares. Ad ſcirrhum hepatis praecipue commendauit LOWER. p. 204. Lapponibus decoctum, ſicut apud nos Caffée et Thée potus, in vſu eſt. SCHEFFER *hiſt. Lappland.* Oleum diſtillatum ſerum fundit, licet ſanguinem coagulet, SCHWENKE *Haematol. c.* 19. p. 196. id ipſum quoque vrinae odorem violaceum conciliat, perinde ac terebinthina. Ex baccis cum hordeo fermentatis liquorem deſtillant non incelebrem, *E. N. C. cent.* 4. *obſ.* 199. et nuper quoque in Suecia parauit OL. DECKBERG. *Goett. Anz.* 1757. n. 52.

Lauri baccae.

Aromatico odore et ſapore pollent: duplex oleum, aethereum et vnguinoſum, vehunt, quod quomodo conficiatur, optime ſcripſit *du* HAMEL *des arbres* I. p. 351. Magis quam folia calefaciunt. In puluerem tritae, aut in eclegmate, ſudorem mouent, menſes et lochia pellunt, inflationes leuant, lac purificant, dyſpnoeae proſunt. In ſacculis adhibitae aut in vnguento, auditus vitia emendant, et tumores diſſolvunt. Vtiliſſime etiam oleum illinitur, et aurium dolori et grauitati inſtillatur, vel per ſe vel cum vino et roſaceo. DIOSC.

Limonia malus.

Malus Limonia acida, C. B. *Pin.* 436. in Aſia, Rodia, Aſſyria, Perſia.

Succus frigidior habetur ac mali citrei, cuius ipſe limon ſpecies eſt; hinc omnia validiora praeſtat, et febrium aeſtum efficacius compeſcit.

Lupuli fructus.

Lupulus mas, C. B. *Pin.* 104. Humulus, LINN. *Fl. Suec.* 818. Frutex volubilis Europaeus.

Amarus, viſcera infarctu liberat, icterum ſanat, vrinas mouet, ſtomachum roborat, temulentiam et ſomnum efficit (STENZEL *de anod. virt. ven.* p. 39.), vermes expellit: haec omnia quidem potu et moderate. Scorbuticis etiam mederi dicitur. Externe aduerſus dolores et tumores, colicam et hyſtericum malum in ſacculis prodeſt.

Momordicae fructus.

Balſamina rotundifolia repens ſ. mas, C. B. *Pin.* 306. Momordica pomis angulatis tuberculatis, foliis glabris, patenti-palmatis, LINN. *H. Cliff.* 451. in India; apud nos in hortis.

Facul-

Facultatem habent balſamicam, et leniter adſtringentem: vnde oleo macerati ad vulnera glutinanda frequenter adhibentur, non ipſi quidem, ſed oleum tantum, quod vires traumaticas extraxit. Quas vires nouiſſime confirmatas dederunt *Primit. phyſ. Polon.* III. p. 69. Egregie etiam valet hoc momordicae oleum in alui fluxibus, tam externe ventri infricatum, quam interne ſumtum a guttulis quindecim ad ſexaginta. *Fraenk. Samml.* II. p. 368. Indi fructus (illinc triplo, quam apud nos maiores) ſemimaturos cum condimentis edunt, et ſuccum aduerſus dyſpnoeam ſorbent. *Folia* vero inter olera referunt, et contuſa quoque vulneratis partibus imponunt, nec non cereuiſiae ſuae ſaccharinae, loco lupuli, adiiciunt, vnde non ingratum cereuiſia nanciſcitur amarorem BRESLAV. *Tentam.* 33. p. 570.

Mori fructus.

Morus fructu nigro, C. B. *Pin.* 459. Morus foliis cordatis hiſpidis, LINN. *H. Cliff.* 440. Arbor ex China et Italia in omnes fere Europae regiones translata.

Succo acido dulci foeti aeſtuantibus et bilioſis egregie ſuccurrunt, non minus quam ſcorbuticis. *van* SWIETEN III. p. 634. Roob et ſyrupum inde in officinis conficiunt, quorum in faucium tumore et inflammatione frequens vſus eſt.

Myrtillorum baccae.

Vitis idaea foliis oblongis crenatis, fructu nigricante, C. B. *Pin.* 470. Vaccinium foliis ouatis ſerratis deciduis, caule angulato, LINN. *Fl. Suec.* 313. Frutex in Europae ſyluis vulgatiſſimus.

Succum continent acido dulcem, modice adſtringentem: vnde refrigerant, et ad haemoptyſin et ſiſtendos alui fluxus commode adhibentur, quamuis letalem ex eorum decocto alui conſtipationem habent. BRESLAV. 1722. Octobr. Ad ſcorbutum etiam laudantur. *E. N. C. dec.* 3. *an.* 2. *obſ.* 222.

Nux

Nux iuglans.

Nux iuglans ſ. regia vulgaris, C. B. *Pin.* 417. Iuglans foliolis oualibus glabris ſubſerratis, omnibus ſubaequalibus, LINN. *H. Cliff.* 448. Arbor in hortis Europaeis frequens.

Vix regiae nuces hodie in vſum medicum trahuntur, antiquis magis celebratae, vtpote quas cum ruta et ficis aduerſus venena dabant, per ſe vero largius eſitare ad expellendas taenias iubebant; vſtas vero et ex vino tritas carbunculis, gangraenis et alopeciis imponebant, quibus praeſenti eſſe remedio, DIOSCORIDES habet. Hodie, vti etiam antiquitus, ex bene maturis oleum exprimunt, quod lenit et emollit, et vetuſtum factum, calculoſis auxiliari maximopere creditur (BOYLE *de ſpecif.* p. 127.). Immaturas nuces etiam condiunt, et pro ſtomachico commendant. Noſtra aetate Cl. F. G. FISCHERVS ex immaturis anthelminticum ſummum parari docuit, quod eſt extractum earundem aquoſum, et in dupla quantitate aquae cinamomi ſolutum, infanti duorum vel trium annorum ad quinquaginta guttas datur. *Goetting. Anz.* 1751. p. 854. Ex cortice viridi nucum nondum maturarum *Roob mucum* parant, quod ad tumores faucium facit.

Nux moſchata.

Nux moſchata fructu rotundo, C. B. *Pin.* 407. PLVKN. *almag.* 265. t. 209. f. 1. Myriſtica, LINN. *mat. med.* 509. Arbor in inſulis Moluccis, et praeſertim Banda, copioſe culta.

Suauiſſimum aroma; quod praeter calefacientem et carminatiuam virtutem, etiam roborantem, alii dicunt anodynam, continet, qua alui fluxus bene ſiſtit, et ventriculum etiam, vomitu grauatum, ſolatur. Duplex oleum continet, ſebaceum et diſtillatum, quorum illud etiam ſponte exſudat, ſi cultro calefacto nucem findas. Iſtud longe maiori copia, quam diſtil-

latum, ineſt; exprimi tamen ſic non poteſt, vt non partem ſimul huius ſecum rapiat. Nucem nondum bene maturam in India condiunt, nobisque ſub nomine *nucis Indicae* adferunt, quae itidem roborandi facultate, et ſine dubio adhuc maiori pollet, et venerem excitandi cauſa etiam comeditur.

Oliua.

Olea ſatiua, C. B. *Pin.* 472. Olea foliis lanceolatis, ramis teretiuſculis, LINN. *H. Cliff.* 4. Arbor in regionibus Europae temperatis, inprimis Gallia auſtrali (Prouence, Languedoc), Italia et Hiſpania frequens.

Oleum continent expreſſum, vnguinoſum, blandum, ſatis notum ex vſu domeſtico, quod ex bene maturis peculiari artificio elicitur, quod optime deſcribit cum ipſis machinis, eum in finem adhiberi ſolitis, *du* HAMEL *des arbr. II.* p. 66. Vſus medicus eximius eſt. Intus ſumtum relaxat, lubricat, lenit, conſolidat; hinc in calculi doloribus, adſtrictione alui, vrinae et partus difficultate, doloribus colicis (*A. N. C. vol. II. obſ.* 195.), raucedine et tuſſi, cum brodio aliquo calido vel lacte, ad cochleare vnum vel duo mane et veſperi hauſtum prodeſt: nec minus optimum venenorum mineralium antidotum eſt liberaliter epotum vel cum lacte vel ſine illo. Etiam ad virus per viperarum morſus inſertum non modo (*Phil. Tranſ. vol. XXXIX. an.* 1734. *n.* 443. A. VATER *diſſ.*), ſed et aliorum rabidorum animalium (VATER *Progr. Fraenk. Samml.* I. p. 490. II. p. 242.) antidotum compertum fuit, dum ſuper ignitabulum parti demorſae infricatur: quamuis nondum adhuc omnes fidunt experimentis (BROGIANI *de Venen.* p. 88.), neque omnibus eadem aeque ſucceſſerunt (*Phil. Tranſ. n.* 444. LINNAEVS *Praef. ad orat. de mund. inhab. increm.*). Porro vero nuper egregia alia eius virtus comprobata fuit, dum per aliquot hebdomades hydropicorum ventri illitum, eos a morbo liberauit (OLI-

VER.

VER. in *Phil. Tr. vol.* 49. *P. I. n.* 13.). Sed haec virtus tamen noua non eſt, ſed veteribus dudum iam cognita fuit (DIOSCOR. *L. I. c.* 135.). Ceterum in vnguentis et emplaſtris quam plurimis baſin conſtituit, et emolliendi, leniendi et conſolidandi ſcopo frequentiſſime adhibetur; cum albumine ouorum tritum ambuſtis ſalutariter applicatur. Oliuae immaturae muria conditae (quale artificium itidem optime deſcribit *du* HAMEL *l. c.* p. 63.) delicatioribus blandimentum gulae ſunt, adſtringunt, adpetitum excitant, refrigerant, et ebrietatem arcere laudantur.

Paſſulae.

Vitis vinifera, C. B. *Pin.* 299. Vitis foliis palmato-angulatis, LINN. *H. Cliff.* 74. Frutex ſubmanſuetus in toto temperato orbe.

Paſſulae ſunt vuae dulciſſimae exſiccatae, duarum ſpecierum *maiores* et *minores*. Illae potiſſimum ex Hiſpania adferuntur; hae ex inſulis quibusdam maris mediterranei. Maiores leniunt, abſtergunt, incraſſant et nutriunt. Minores, apyrenae, idem praeſtant, magis tamen temperant et laxant ſimul. In infuſis et decoctis pro potu ordinario commode adhibentur. Ad ventriculi ardorem SCHVLZIVS ſaepe ſibi profuiſſe expertus eſt ad vnciam vnam comeſtas.

Perſicorum nuclei.

Oleo vnguinoſo ſcatent, et virtute inde cum amygdalis amaris conueniunt. In frontalibus et epithematibus capitis dolores ſedant, et ſomnum ſuauem conciliant. Nomen arboris ſupra indicatum fuit.

Pini nuclei.

Pinus ſatiua, C. B. *Pin.* 491. α) Pinus foliis quinis, cono erecto, nucleo eduli, HALL. *Helu* 150. β) Pinus foliis geminis, primordialibus ſolitariis ciliatis, LINN. *H. Cliff.* 450. In Italia, Gallia, Narbona.

Leniunt, nutriunt, vrinam mouent. In hecticis hinc morbis et vrinae difficultate commendantur. Oleum, quod inde exprimitur, ſuperat oleum amygdalarum vi penetrabili et terebinthinata. Cum vino Maluatico ſumtum ad veneris praelia ſegnes excitat. SCHVLZ.

Piper album et nigrum.

Piper foliis ouatis ſubſeptineruiis glabris, petiolis ſimpliciſſimis, LINN. *Fl. Zeyl.* 26. Molago-Codi, RHEED. *H. Malab.* VII. p. 23. t. 12. Frutex in India habitans.

Fructus ante plenam maturitatem leguntur, et ſoli exponuntur, a cuius radiis intra triduum nigredinem et rugas induunt; tuncque piperis nigri nomine appellantur. Album a nigro non differt, et ſumuntur tantum grana maturiora, quibus exterior cuticula detrahitur, id quod fit ante inſolationem, macerando grana in aqua marina, donec cortex dehiſcat, proſiliatque nucleus albus, qui nunc ad ſolem ſiccatur. Vis piperis vehementer excalefacit, partim quod valde acre eſt, partim quod oleo aethereo diues: porro vero appetentiam mouet, concoctionem iuuat, febrium horroribus circuitu repetentibus ſuccurrit; vbi vero neque nimis magna copia, neque in puluere, multoque minus ex ſpiritu deuorari oportet, ſed groſſiuſcule ſaltem contuſum, vel quod praeſtat integrum, quia alias metus ſit, ne aeſtum nimis accendat vel inflammationem adeo in ventriculo concitet, quod factum eſſe, proh dolor! quam multis obſeruationibus iam conſtat (*van* SWIETEN II p. 31.). Porro vero in neruorum morbis a cauſa frigida illitu et potu conducit, vuulae prolapſae admotum cum cochleari auxiliatur, licet non ſine omni cautione hic adhibendum. Denique ſtrumas cum pice diſcutit. Antiqui etiam antidotis et medicaminibus, quae contra venenata parantur, annumerarunt.

Piper longum.

Piper foliis cordatis petiolatis ſeſſilibusque, LINN. *Fl. Zeyl.* 30. Piper longum, piſtolochiae foliis absque pediculis, maderaſpatanum, PLVKN. *amalg.* 297. t. 104. f. 4. Cattu-tirpali, RHEED. *H. Malab.* VII. p. 27. t. 14.

Viribus cum priori conuenit; acerrimum omnium iudicatur.

Pomum Borsdorſianum.

Pyrus foliis ſerratis, pomis baſi concauis, LINN. *H. Cliff.* 189. in Germania arbor manſueta.

Ob ſaporem vinoſum acido-dulcem refrigerat leniter, reficit, et aluum ducit. Ex eo ſyrupus gratus paratur, diſtillatur etiam inde aqua gratiſſima. Fermentatione in vinum tranſit analeptica virtute haud deſtitutum (SHORT.). Poma cocta oculis impoſita, ab iis inflammationem diſcutiunt. PLATER. Putrida ſphacelo ſcorbutico auxiliantur, contuſa inſtar cataplaſmatis impoſita. Succus illorum vlceribus antiquis aliis conducit.

Pruna domeſtica.

Prunus inermis, foliis lanceolato-ouatis, LINN *H. Cliff.* 187. in Europa auſtrali arbor manſueta frequens.

Lubricans et eccoprotica vis eſt exſiccatis, magis tamen Brignolenſibus ex Galloprouincia allatis ob maiorem dulcedinem. Commode inſeruit decoctum infuſione foliorum Sennae et rhabarbari. Excorticata et nucleo priuata, leniterque exſiccata *Pruneolae* vocantur, gratum et ſalubre medicamentum alimentoſum.

Punica ſ. *Granata malus.*

Nomen arboris ſupra datum fuit. Succus multo quam cerafi aut ribis acerbior eſt, adſtringentiorque, ſed inſuauior. Qua de cauſa bilis ardorem et putredinem in febribus malignis, et alui profluuium efficacius compeſcit. Stomachicas defectiones etiam arcet.

Ribium baccae.

1. Groſſularia multiplici acino non ſpinoſa hortenſis rubra, C. B. *Pin.* 455. Ribes inerme, floribus planiuſculis, racemis pendulis, LINN. *Fl. Suec.* 197. Frutex Europaeus manſuetus.

Succum continent ſubacidum, acerbum ac leniter adſtringentem, qui ſanguinis aeſtum retundit, bilis acrimoniam fraenat, ſitim ſiſtit, vomitum ac bilioſum alui profluuium ſedat, appetentiamque mouet, denique ſub liberaliori eſu etiam aluum ducit, apprime vtilis melancholicis et ſiccis. Syrupus ad eadem vtilis, licet non ita validus. Interea is quoque anginam ſpuriam optime lenit, ſi lente deglutitur. *Hamb. Magaz.* X. p. 538.

2. Groſſularia non ſpinoſa, fructu nigro, C. B. *Pin.* Ribes inerme, folio et nigro fructu maximis, olentibus, HALL. *Helu.* 347.

Huius baccae valide diureticae iudicantur; ſed veneni non expertes eſſe, CAMERARIVS habet. Ad rabidi canis morſum nonnulli commendarunt, ſine fido tamen experimento.

Rubi idaei fructus.

Rubus idaeus ſpinoſus, C. B. *Pin.* 479. Rubus foliis quinato-pinnatis ternatisque, caule hiſpido, LINN. *Fl. Suec.* 408. Frutex vulgaris in ſyluis creſcens.

Fructus

Fructus fragrans eſt, et grato ſucco turget, cuius analeptica, reficiens et refrigerans virtus in pretio habetur, SCHVLZ. *diſſ.* quamque varia adeo praeparata, ſyrupus, aqua, acetum, atque vinum recondunt, quale inprimis Sueci et Ruſſi inde parant, et NEVCRANTZIVS in purpura commendat p. 445. 508.

Sambuci baccae.

Blande aluum laxant: in roob redactae ſudorem mouent, diſcutiunt, dentium dolores interne et in collutionibus oris leniunt, contra eryſipelata valent. Ad purpuram commendauit roob WELSHIVS *diſſ. de Purp.* alii vt alexipharmacum in omnibus morbis malignis et exanthematicis extollunt. Oleum ex acinis expreſſum laudatur vt antifebrile, vulnerarium et aluum mouens, et veterinariis inprimis in frequenti vſu eſt.

Siliqua dulcis.

Siliqua edulis, C. B. *Pin.* 400. Ceratonia, LINN. *H. Vpſ.* 296. Arbor manſueta in Aegypto, Apulia, Sicilia, Hiſpania, Gallia auſtrali, India; icon eſt apud *du* HAMEL II. p. 262.

Edulcorantem virtutem habet, qua non ſolum tuſſim lenit, ſed et ſodam haud raro diſpellit, quum per ſe comeditur. Edulcorandi ſcopo additur etiam infuſis pectoralibus. In iis regionibus, vbi arbor colitur, ſiliquis animalia nutriuntur.

Spinae ceruinae baccae.

Rhamnus catharticus, C.B. *Pin.* 478. Rhamnus ſpina terminalibus floribus quadrifidis diodicis, LINN. *Fl. Suec.* 193. Rhamnus ſpinoſus, foliis ouatis, acuminatis, ſerratis, HALL. *Helu.* 163. Arbor ad ſepes.

Sapor baccarum nauſeoſus, amarus. Virtus ſoluens et purgans, quo ſcopo in ſyrupum excoquitur, ob

frequentem vſum *domeſtici* nomine appellatum, qui ad cachexiam inprimis, et arthritidem et hydropem vtilis eſt (SYDENH. CHOMEL *Pl. uſuell.* p. 10.), et a duabus drachmis vſque ad vncias duas datur, vel per ſe vel cum aliis rebus remixtus. Baccae ad viginti numero deglutitae aluum ducunt. Infectoria vis ſucci nota eſt, qui lente exſiccatus, addito alumine, pigmentum viride conſtituit, quod vulgo *Saftgrün* vocant.

Tamarindi.

Tamarindus, SLOAN. *Iam.* 147. TOURNEF. *Act. Paris.* 1699. Balam-Pulli, RHEED. *H. Malab.* I. p. 39. t. 23. Arbor fera Arabiae, Aegypti, et vtriusque Indiae incola.

Tamarindi ſunt pulpa nigricans, viſcoſa, acidi nauſeoſique ſaporis, ſiliquarum dictae arboris, quibus ſemina intermixta ſunt, quadrata fere, dura, ſplendentia, e fuſco rubicunda, cum fibris et membranulis. Doſi duarum vnciarum leniter laxant, et cruditates nidoroſas egregie emendant, ſitim quoque reſtinguunt et refrigerant. In febribus lentis vtiliter cum ſero lactis praebentur.

II. INFREQVENTES.

Been nux ſ. *Balanus myrepſica.*

Moringha Zeylanica, foliorum pinnis pinnatis, BVRMANN. *Zeyl.* 162. t. 75. Guilandina inermis, foliolis triplicato-pinnatis, foliolis infimis ternatis, LINN. *Fl. Zeyl.* 155. Arbor Aegypti, Arabiae, Zeylonae et Malabariae incola.

Nucleus hujus balani, cujus figura triquetra eſt, oleum continet inſtar amygdalarum, cujus ſapor amaricans eſt et acris, odor vero nullus, quodque nec ad rancorem inclinat. Id oleum facultatem purgantem non mediocrem habet, illitu vero aperit et reſoluit.

Solet

Solet tamen hodie vix in hunc vſum impendi, ſed ad olea odorata paranda, aetherea adulteranda, et pro corpore balſamorum adhiberi.

Capſicum ſ. *Piper Hiſpanicum.*

Piper Indicum vulgatiſſimum, C. B. *Pin.* 102. Capſicum annuum, LINN. *H. Cliff.* 102. in vtraque India.

Ignea acrimonia ineſt fructui huic ſiliquoſo, piperi aemula, vt etiam fumus eius tuſſim validam excitet. Recens conditae multum de ſua acrimonia perdunt, tumque ad anorexiam et aſthmata commode adhiberi poſſunt, et vel per ſe comedi, vel cibis admiſceri. Braſilienſes loco piperis crebro adhibent.

Coryli nuces ſ. *avellanae.*

Corylus ſylueſtris, C. B. *Pin.* 418. Corylus ſtipulis ouatis obtuſis, LINN. *Fl. Suec.* 787. Arbor vulgaris Europaeus.

Ad alimenta medicamentoſa pertinent. Oleum inde exprimitur dulce, amygdalino analogum, quod non modo anodynum eſt, ſed etiam calculoſis hominibus ob vim lenientem ſalutare. Poſſunt etiam nuclei emulſionibus, perinde ac amygdalae, inſeruire.

Cynosbati fructus.

Roſa ſylueſtris vulgaris, flore odorato, incarnato, C. B. *Pin.* 483. Roſa caule aculeato, petiolis inermibus, calycibus ſemipinnatis, LINN. *Fl. Suec.* 406. Roſa folio et fructu rotundo, laeuibus, calycis foliolis diuiſis, HALL. 349. in ſepibus, frutex.

Temperate acidulus cum modica adſtrictione, ventriculum roborat, et alui fluxum moderatur. Olim ad renum ſabulum expellendum, forte ex habitu tantum, laudarunt.

Glandes quercuum.

Quercus cum longo pediculo, C. B. *Pin.* 420. Quercus foliis annuis oblongis ſuperne latioribus, ſinubus acutioribus, angulis obtuſis, LINN. *Fl. Suec.* 784. Arbor vulgaris.

Valentiſſime adſtringunt cum capulis. Mulierculae nimium ſanguinis et album vteri fluxum eis ſiſtunt, ſed facile hinc in cachexiam et hydropem incidunt. Praeterea vero ad ſodam efficaces ſunt, drachmae dimidiae pondere deuoratae. LVDOLFVS vomitum vltra ſex annos iam durantem cum ſoda, ope puluerîs, quotidie, quum ſoda accideret, quantitate vnius forte cariophylli contuſi, dati, profligauit, *Miſcell. Berol.* VI. p. 10. Alii ad tertianas et alui fluxus vtuntur. Decoctum ore exceptum odontalgiam ſedat.

Liliorum conuallium baccae.

Subdulces ſunt et aliquantum amarae. In epilepſia ſcrupuli pondere vsque ad drachmam cum euphoria ſaepe dedit SENCKENBERG, *diſſ.* p. 28. Prodeſſe etiam in aliis morbis conuulſiuis et ſpasmodicis dicuntur, et in intermittentibus, *ib.* p. 32. adque vermes, p. 29. In nares tractae ſternutamenta mouent. Plantam ſupra nominaui.

Meſpili fructus.

Meſpilus germanica, folio laurino non ſerrato, C. B. *Pin.* 453. Meſpilus foliis lanceolatis integerrimis ſubtus tomentoſis, calycibus tomentoſis, LINN. *H. Cliff.* 189. Arbor frequens Europae auſtralioris.

Fructus eſui aptus, vt conſtat, et ſubauſterus, ſtomacho gratus eſt, aluumque ſubprimit; hinc vbi praeter modum liquida eſt, conducens.

Paſſiflorae fructus.

Clematis trifolia, flore roſeo clauato, C.B. *Pin.* 301. Granadilla Hiſpanis, Flos paſſionis Italis, HERN.

Mexic.

Mexic. 888. RAI. *hiſt.* 649. Paſſiflora foliis trilobis ſerratis, LINN. *amoen. ac.* 1. p. 230 *). in Virginia, Braſilia, Peru, et apud nos in hortis.

Fructus gratiſſimum acidum ſuccum continet, quem Cl. TITSINGH in febribus acutis temperandi cauſa valdopere commendat, indeque ſyrupum parat, multis paraſangis illum acetoſitatis citri et granatorum ſuperantem.

Piſtaciae.

Piſtacia peregrina, fructu racemoſo ſ. Terebinthus Indica, C. B. *Pin.* 401. Piſtacia foliis impari-pinnatis, foliolis retrorſum ſubfalcatis, LINN. *mat. med.* 454. Arbor manſueta Perſiae, Arabiae, Syriae, in Italia et Sicilia colitur: in hortis curioſorum ſubinde etiam reperitur.

Amygdalis quoad virtutem et principia conueniunt. Recentiores ſemper antiquioribus praeferendae ſunt, dum hae ſaporem ingratum rancore contrahunt. Culinis frequenter inſeruiunt. Virtus, quam antiqui ipſis tribuerunt, quod tritae cum vino contra ſerpentium ictus proſint, ſiue edantur, ſiue bibantur (DIOSC.), a nemine probata eſt.

Sorbi aucupariae baccae.

Sorbus ſylueſtris, foliis domeſticae ſimilis, C. B. *Pin.* 415. Sorbus foliis pinnatis, LINN. *H. Cliff.* 188. Sorbus foliis pinnatis, glabris, fructu minimo, HALL. 350. Arbor in ſyluis Europae paſſim frequens.

Farinoſae ſunt. auſterae, quae comeſae vel in decocto adhibitae aluum ſiſtunt. Ex maturis roob coquunt, ad idem efficax non modo, ſed etiam ad menſes et haemorrhoides abs nonnullis commendatum.

Sorbi domeſticae baccae.

Crataegus inermis, foliis ellipticis ſerratis ſinuatis ſubtus villoſis, LINN. *Fl. Lapp.* 199. Sorbus ſatiua,

C. B.

C. B. *Pin.* 415. Sorbus foliis pinnatis, inferne tomentoſis, fructu maiori. HALL. *Helu.* 350. Arbor Europaea.

Fructus edules ſunt, farinoſi et ſubauſteri, paria cum meſpilis facientes.

Vanilla.

Vanillas piperis arbori Iamaicenſis innaſcens, PLVKN. *almag.* 381. t. 320. f. 1. Epidendron foliis ouato-oblongis neruoſis ſeſſilibus caulinis, cirrhis ſpiralibus, ROYEN. *Lugd.* 13. Volubilis ſiliquoſa, plantaginis folio, CATESB. *Carol.* III. p. 7. t. 7. Frutex paraſiticus Americae meridionalis.

Siliqua eſt, ſpithamam longa et amplius, ſaporis ſubacris, aromatici, odoris grati, quo minutiſſima granula continentur. Ad recreandas collapſas vires et inſultus apoplecticos a Sinenſibus in trochiſcis adhibetur; ab orientalibus quoque Satrapis vna cum tabaci foliis e fiſtula fumigando hauritur in debilitate capitis, non ſine emolumento. *App. A. N. C.* I. p. 121. Ad chocoladae praeparationem analeptico ſcopo recipitur et ab Indis, et ab aliis gentibus.

Vitis idaeae baccae.

Vaccinia rubra, LOBEL. *ic.* p. 109. Vitis idaea foliis ſubrotundis, non crenatis, baccis rubris, C. B. *Pin.* 470. Vaccinium foliis obuerſe ouatis perennantibus, LINN. *Fl. Suec.* 314. Frutex vulgatiſſimus.

Succum acidum temperatum et gratum continent, adeoque in febribus et ad aeſtum bilis obtundendum valde vtiles. Conditae menſis frequenter apponuntur. Roob quoque exinde paratur, quod ad eadem proficit.

III.

III. OBSOLETI.

Acaciae fructus.

Saporis ſunt acido-auſteri: adſtringunt ergo et refrigerant. Acetum fortiſſimum praebent; et vinum non ingratum. Succus expreſſus et inſpiſſatus hodie acaciae verae ſucco ſubſtituitur. Nomen plantae alias indicatum fuit.

Alkekengi baccae.

Solanum veſicarium, C. B. *Pin.* 166. Phyſalis caule ſimplici, radice annua, foliis integerrimis geminatis, floribus ſolitariis, LINN. *H. Cliff.* 62. Alkekengi foliis cordatis, calice rubente, HALL. *Helu.* 506. in vineis, dumetis, et ſyluis.

Edules et ſubacidae atque ſubamarae baccae anodyni quid habent, vti omnia ſolanacea, et renum doloribus mulcendis atque vrinae ciendae aptae inprimis cenſentur. Quem in finem vel comeduntur, vel ſuccus expreſſus aut vinum, in quo maceratae fuerunt, potatur. Atque id ipſum vinum quoque in haemoptyſi BVCHWALDVS commendat p. 17. Olim trochiſci celebrati fuerunt, quos laude omnino digniſſimos habet HOFFMANN. *med. ſyſt. T. IV. p. II.* p. 369.

Anacardium.

Anacardium, C. B. *Pin.* 511. Oepata, RHEED. *H. Mal.* IV. p. 95. t. 45. Auicennia, LINN. *Fl. Zeyl.* 57. Arbor Malabarica et inſularum Philippinarum.

Sapor fructus ſubdulcis et gratus eſt, colore nigro ſplendens. Conſtat nucleo albicante duplici cortice veſtito, inter cuius duplicaturam ſi recens eſt, ſuccus mellagineus, acris et cauſticus continetur, cui praeci-

pua

puavirtus, quam poſſidet, medica tribuitur. III. LINNAEVS quidem putamina ſaltem fructus dictae arboris cauſtica eſſe dicit *mat. med.* 42. ſuccum vero mellagineum alii fructui eiusdem nominis, ſed cuius arboris character toto genere a priori diuerſus eſt, adſcribit, huncque poſteriorem fructum anacardium *occidentale* vocat *l. c.* 206. priorem vero *orientale.* Id autem anacardium calefacit, et tenaces humores reſoluit, vnde in cerebri et neruorum potiſſimum morbis a cauſa frigida ab Arabibus commendatum fuit, ſpecificeque ad reparandam languidam memoriam et curandam linguae aliarumque partium paralyſin. Confectio anacardina olim pro hac intentione celebrata fuit, et *confectionis ſapientum* titulo exornata, quam vero C. HOFFMANNVS ſtultorum dixit, quoniam multis inconſulto crebroque vtentibus memoriam abſtulit, furioſosque reddidit. Ipſi veteres afferunt, quod febrilem aeſtum efficiat. Indi ſiliquas recentes coquunt et edunt, vti etiam nucleos, toſtione a cortice ſuo ſeparatos; ſuccum vero, quem ſupra dixi, mellagineum et cauſticum ad carnes vulnerum ſuperincreſcentes exedendas et carioſos dentes cauos perſanandos impendunt.

Belladonnae baccae.

Baccae comeſae, non liberaliter quidem, ſed ad vnam tantum vel duas, tres, quatuorue, omnino venenatae ſunt, vt multis funeſtis exemplis conſtat. Conſtat tamen etiam, infuſo vinoſo earundem dyſenteriam curatam fuiſſe, *E. N. C. dec.* 2. *an.* 3. *obſ.* 64. et infuſo in ſpiritu frumenti multis aſthmata leuata. *Fränk. Samml.* I. p. 124.

Carpobalſamum.

Balſamum, ALP. *Aegypt.* 48. Arbor Arabiae felicis, ex mandato magni Sultani ſtudioſe culta, et in nonnullis ſaltem hortis accurate a militibus cuſtodita. In

In officinis noſtris fructus, carpobalſamum dictus, admodum rarus eſt ob dictas cauſas; hinc ſuperuacuum etiam, eos praeſcribere, niſi velis, vt Pharmacopoeus cubebas ſubſtituat aut cardamomum. Roborantes, traumaticae, alexipharmacae et aphrodiſiacae virtutes ipſis tribuuntur.

Cocculi Indici.

Meniſpermum foliis cordatis retuſis mucronatis, LINN. *mat. med.* 175. Natſiatam, RHEED. *H. Malab.* VII. t. 1. f. 1. an? Arbor, ariſtolochiae foliis, maderaſpatana, fructu paruae medicae ad inſtar conuoluto, PLVKN. *almag.* 43. t. 13. f. 2. in India.

Sapor eſt amaricans, qualitas deleteria, piſcibus inprimis, ad quorum capturam adhibentur, et pediculis.

Cupreſſi nuces.

Cupreſſus, C. B. *Pin.* 439. Cupreſſus foliis imbricatis erectis, LINN. H. *Cliff.* 449. Arbor in Gallia meridionali, Portugallia et alibi culta, inque hortis non inſolens.

Adſtringendi facultate pollent, indeque in profluviis variis commendantur, neque non etiam ad intermittentes febres, vt febrifugas compellet LANZONVS, et pro ſuccedaneo corticis habeat, *E. N. C.* datus hoc ſcopo drachma vna in puluere. Balſamicas partes praeterea cuſtodiunt, indeque ſtomachicam, roborantem et vulnerariam virtutem mutuantur: et in Carolina incolae ipſum balſamum ex conis exprimunt, ac ad vulnera recentia conglutinanda adhibent. *Hamb. Magaz.* VI. p. 574.

Hederae arboreae baccae.

Fruticem alibi nominaui. Baccae acidae ſunt, et ἄνω καὶ κάτω purgant, adeoque contra febres a vulgo

go adhibentur. DALE p. 377. Sudorem mouere, BOYLEVS *Vſefuln. Exerc.* V. p. 224.

Iuiubae.

Zyzyphus, DODON. *Pempt.* 807. Rhamnus aculeis geminatis rectis, floribus digymis, foliis ouato-oblongis, LINN. *H. Cliff.* 69. Arbor manſueta in Italia, Hiſpania et Gallia auſtrali creſcens: icon eſt apud *du* HAMEL II. p. 378.

Fructus ſunt rubri intra dulcem et mucilaginoſam pulpam nucleum includentes. In decocto acres humores contemperant, et ſpeciatim ad catarrhos, tuſſim et vrinae acrimoniam tollendam commendantur.

Myrobalani.

Quinque olim Myrobalanorum ſpecies in officinis ſeruabantur, *Indae*, *Chebulae*, *Citrinae*, *Belliricae*, *Emblicae*, quarum quatuor priores totidem videntur non genera, vti DALE iudicat p. 397. ſed ſpecies diuerſae pruni arboris, poſtrema vero fructus Phyllanthi foliis pinnatis floriferis pedunculatis, caule arboreo, fructu baccato, LINN. *Fl. Zeyl.* 333. Ita autem inter ſe diſtinguuntur fructus, quod Indica nigra ſit et octangularis, citrina rotunda pentagona, chebula fuſca omniumque maxima, Bellirica rotunda, nonnunquam anguloſa, Emblica itidem rotunda, ſed nigra et ſexangularis, et ſaporis omnium acerrimi. In regionibus Indiae orientalis 60. aut 100. leucis inter ſe diſtantibus ſingulae ſpecies naſci perhibentur.

Virtus autem Myrobalanorum omnium moderate purgans eſt, ſi in magna copia ad vncias duas decoquuntur. Antiqui autumabant, Indicas bili atrae educendae aptas eſſe, citrinas bili flauae, chebulas, belliricas et emblicas vero pituitae, poſteaque bili. Cum purgante facultate ſimul adſtringentem quandam lenem coniunctam habent, quae efficit, vt

com-

commendatae etiam fuerint in illis alui profluuiis, vbi eliminari humores noxii et ſimul tonus partium defendi aut corroborari debeat.

Myrti baccae.

Adſtringendi facultate praeditae ſunt vt folia, hinc in iisdem caſibus ac haec proſunt.

Nux aquatica.

Tribulus aquaticus, C. B. *Pin.* 194. Trapa petiolis foliorum natantium ventricoſis, LINN. *Fl. Suec.* 483. in piſcinis et paludibus.

Edulis eſt et dulcis, vt Thraces ad Strymona amnem olim panem, quo veſcebantur, inde effecerint. DIOSC. Refrigerantis et inſpiſſantis eſt naturae, ideoque a veteribus in cataplaſmata aduerſus inflammationes recepta: calculoſis etiam iuuamentum afferre credita. ID.

Sebeſten.

Sebeſten officinarum, DILL. *Hort. Elth.* p. 340. t. 255. f. 331. Sebeſtena domeſtica ſ. Myxa, *Comm. hort. I.* p. 139. t. 79. Vidimaram, RHEED. *H Malab.* IV. p. 77. t. 37. Cordia foliis ſubouatis ſerratodentatis, LINN. *H. Cliff.* 63. Arbor fera, Aepypti et Malabariae incola.

Sapore et virtute aequipollent iuiubis, et in decoctis ad eosdem morbos praeſcribuntur.

Vomica nux.

Caniram, RHEED. *H. Malab.* I. p. 71. t. 37. Strychnos foliis ouatis, caule inermi, LINN. *Fl. Zeyl.* 91. Arbor Malabariae et Zeylonae incola.

Deleteria eſt nux iſta non animalibus tantum multis, inprimis his, quae clauſis oculis excluduntur, vtpote quae primo in profundum ſomnum coniicit,

deinde conuulſionibus necat, WEPFER *Cic. c.* 12. p. 194. STENZEL *de anod. virt. ven.* p. 36. ſed etiam hominibus, ſiquidem interemtam a granis quindecim eſſe puellam decem annorum, cui duabus vicibus data eſſent ad vincendam quartanam, HOFFMANNVS refert *med. ſyſt.* II. p. 288. In minori tamen doſi aſcendendo ad quindecim grana innocue datam fuiſſe iuueni octodecim annorum, epilepſia chronica laboranti, SCHVLZIVS habet p. 404. Interim Arabes, qui primi vſum in medicinam introduxerunt, ob eximiam virtutem alexipharmacam commendarunt, eorumque ductu Maximilianus I. Imperator illas in antidotum ſuum recepit, quod electuarium de Ouo dicitur. Temulentos autem factos eſſe et vomuiſſe in peſte Viennenſi, qui ſimilia electuaria vſurparint, PAVL. *de* SORBAIT notauit *Conſil. de Peſt. quaeſt.* 23. Lappones dimidiam nucem conciſam cum aqua vel ſpiritu frumenti contra colicam non ſine ſucceſſu adſumunt. MONTIN *diſſ.*

* * *

INVOLVCRA SEMINVM.

Aniſum ſtellatum ſ. *Badian.*

Euonymo affinis Philippina aniſum ſpirans, PLVKN. *almag.* 140. Badianifera, LINN. *mat. med.* 510. in Tartaria, China et inſulis Philippinis. Character plantae nondum cognitus; iconem tamen exhibet WEINMANNVS in *Phytanth. Faſc. IV. n.* 138.

Pericarpia quinque vel ſex e communi axe ſtellae in modum compoſita, in quorum ſingulis vnicum ſemen durum, ſplendens, coloris e luteo fuſci continetur. Odore et ſapore aniſi gaudent, eiusdemque etiam virtutes aemulantur, quas ab oleo aethereo fragrante et dulci habent. Chinenſes etiam ad calculum deuorant. HILL. Semen durum nullius quidem

dem vſus iudicatur, et communiter reiicitur; at NEVMANNVS affirmat, quod maiori adhuc quantitate, quam inuolucra, oleum aethereum contineat, vino etiam ſaporem eminentiorem exhibeat, *Chem. T. II. P. I.* p. 132. *edit.* KESSEL.

Macis.

Eſt inuolucrum nucis moſchatae reticulare, quod ante perfectam maturationem eleganti eſt colore coccineo, et ſapore odoreque admodum grato et aromatico, ſiccatum vero flaueſcit et multum de fragrantia et ſapore perdit. Maiorem paullo, quam ipſa nux, olei eſſentialis quantitatem largitur; paria vero cum eadem facit.

CLASSIS VI.
L I G N A.

I. VSITATA.

Quaiacum lignum ſ. *ſanctum.*

Pruno vel Euonymo affinis arbor, folio alato, SLOAN. *Iamaic.* II. p. 133. t. 222. Guaiaçum foliis pinnatis, foliolis quatuor obtuſis, LINN. *H. Cliff.* 187. in Iamaica, Hiſpaniola, et plerisque inſulis Antillis.

Vſus decocti huius ligni, quod acre eſt et amaricans, circa annum 1517. Europae innotuit, et primo qnidem Hiſpaniae, tanquam tuta et certa luis venereae medicina, qua etiam vno eodemque tempore tria millia hominum ſyphiliticorum, de quibus deſperatum erat, ad bonam valetudinem redacta fuerunt, teſte NIC. POLL. *de curat. morb. Gall. per lign. Quaiac.* 1536. et inter alios etiam VLRICVS HVTTENIVS morbo gallico grauiſſimo ab nouem annis infectus, et vndecies incaſſum curationem mercurialem expertus, ſolo vſu huius decocti perfectae ſanitati reſtitutus fuit, vt ipſe teſtatur *L. de Guai. medic. et morb. gall.* c. 26. 1519. quod decoctum, quomodo in hunc vſum parari et adminiſtrari debeat, ipſe clariſſime docet *c.* 11. et ex eo ASTRVC *de morb. ven. p. m.* 110. At vero breui tempore compertum eſt, non omnes ferre innocue iſtud decoctum, neque in omni caſu illud valere, ſed facere ſaltem ad illam ſpeciem, quae cum ſcrophuloſa aut ſcorbutica

butica cachexia coniuncta eſt, deinde ad morbos locales et incipientes, gonorrhoeam, bubonem, vlcuſcula venerea, porros, denique ad dolores diſſipandos, ſi qui ab impura venere olim oriundi hydrargyroſi ſuperſint. ASTRVC p. m. 143. Praeterea vero efficax eſt ad alias ſanguinis impuritates corrigendas, et per ſudorem eliminandas, vt ad rheumatiſmos, arthritidem, ſcabiem, pſoram, achores et glandulas puerorum tumefactas, vbi magno cum ſucceſſu et in connubio glycirrhizae vſurpauit KüCHLERVS *diſſ. de gland. colli puer. tumef.* Ceterum inter tremoris propria remedia decoctum numerat MONAVIVS *conſult.* ad epilepſiam vero experti laudant ALPH. FERREVS et IACHINVS (HOFFM. *med. ſyſt. IV. P.* 3. p. 21.), et ad cancrum, etiam externe, SCHREIBERVS p. 68. ad anaſarcam denique HEISTER *comp. pract. c.* 11. §. 16. Neceſſe vero eſt, in omni vſu huius decocti, vt regimen calidum obſeruetur; alias ſub cute ſtagnant humores, vt ipſe vidi, et oedemata faciunt, quin alia grauiora mala: quemadmodum inde factum quoque eſſe autumo, vt HENR. *ab* HEERS melancholicos viderit inde elephantiacos factos, alios icterum aliaque ſaeuiſſima mala ſibi peperiſſe, *obſ.* 22. alium denique amauroſin, *obſ.* 4. Singularem reſinam errhinae facultatis ex hoc ligno aquae ope extrahere docuit HOFFMANNVS *obſ. chem.* p. 72.

Iuniperi lignum.

Fruticem ſupra nominaui. Lignum in decocto obſtructiones expedit, ſudorem mouet, et partes ſolidas roborat. Olim virtus eius ligno guaiaco affinis credebatur, et ad recentem luem curandam idonea (BRASSAVOLVS *in Reſpons. ad quaeſt. Fontanae*, SCALIGER *not. in Cardan. de ſubtil. exerc.* 181.)

Saſſafras lignum.

Laurus foliis integris trilobisque, LINN. *H. Cliff.* 154. Cornus mas odorata, folio trifido, margine plano; CATESB. *Carol.* I. f. 55. Arbor manſueta in Virginia, Penſyluania, Florida.

Lignum et cortex ſaporis eſt ſubdulcis, acris, odoris aromatici foeniculacei, qui tamen fortior eſt in cortice quam in ligno, quoniam ille oleoſis partibus prae hoc abundat. Decoctum vtriusque roborat, ſudorem et vrinam pellit, ſanguinem mundificat, hinc in omnibus eius et lymphae impuritatibus prodeſt. Facit etiam ad fluorem album, et diſcutiendos flatus, vbi tinctura inprimis, experientia BAGLIVI, momentaneam opem praeſtat, p. 140: A decocto alvum ſicciorem redditam notauit RHODIVS *obſ.* p. 95. Externe decoctum valet ad vlcera antiqua, quibus frequenter admouent Americani. De quibus etiam notare iuuat, quod *flores* inter lactucam comedant ad purificandum ſanguinem, et *baccis* atque cortice aduerſus colicam vtantur. *Hamb. Magaz.* VI. p. 573.

Viſci querni lignum.

Viſcum baccis albis, C. B. *Pin.* 423. Viſcum, LINN. *H. Cliff.* 441. Frutex paraſiticus in variis arboribus, maxime quercu habitans, ſemperque virens, *du* HAMEL II. p. 355. Naſcitur ex ſemine in fiſſuras corticum radices agente, vti viderunt TOVRNEF. BAIERVS *diſſ.* p. 17. aliique plures. Non neceſſe vero eſt, vt baccae prius ab auibus deglutiantur, ſeminaque deinceps cum ſtercore excernantur, inque rimas corticum cadant, ſed ex ipſis baccis quoque propagari poteſt, experimentis *du* HAMEL *l. c.*

Sapor ligni aliquantum viſcoſus et adſtringens eſt, odor nauſeoſus, inprimis cum coquitur. Antiqui in externum ſaltem vſum eum traxerunt, vbi emollien-

dum,

dum, diſcutiendum et extrahendum erat. DIOSC. Poſtea vero aliae virtutes in ipſo repertae ſunt, et ſpecifica quidem primo ad epilepſiam, quam poſt BOYLEVM (*Vſefuln. exerc. V.*) COLBATCH multis experimentis probatam dedit, et nuper etiam Cl. IACOBI in noſtra *Bibl. med.* I. p. 363. et LOESEKE p. 420. licet, quod non negem, etiam exempla ſint, vbi nihil profuit, vt apud BLAIR *Pharm.* p. 343. id quod vero mirandum non eſt, quum inſuperabiles dentur huius mali cauſae. Optime vero in puluere exhibetur frequenter et liberaliter, ſuperbibito ſimul decocto eiusdem calido. Praeter haec vero in arthritide, languoribus ex diuturnis morbis, aſthmate, et fibrae laxae malis prodeſt, *A. N. C. vol. I. obſ.* 191. neque non in dyſenteriis, alui profluviis, hyſtericis affectibus et febribus intermittentibus, euacuatione praeuia, MACKEBRANG *diſſ.* Denique in cataplaſmate emollientem virtutem exſerit, et ad podagram valet. CHOMEL *Pl. vſuell.* p. 361.

II. MINVS VSITATA.

Aloes lignum ſ. Agallochum.

Kiſſina, KAEMPF. *amoen.* 903. Arbor Chinenſis, a nullo auctore adhuc accurate deſcripta.

Sapor ſubacris eſt, et amarus; qualitas venenata, inebrians, anthelmintica.

Aſpalathi lignum.

Agallochum praeſtantiſſimum, C. B. *Pin.* 393. Calambac, DALE p. 470. Neque huius arboris Indiae orientalis certa notitia adhuc habetur.

Sapor itidem ſubacris, amarus, aromaticus, odor, dum accenditur, fragrans. In ſtomachi et cordis languore et vteri morbis, quin ad vermes laudatur. Externe vſus eſt in cucuphis.

Buxi lignum.

Amarum eſt et nauſeoſum. Sudorem mouet in decocto, et a multis olim ligno guaiaco ſuppar cenſebatur. Oleum per deſcenſum diſtillatum laudarunt olim ad epilepſiam, paſſionem hyſtericam, hydropem et cachexiam.

Fraxini lignum.

Arborem ſupra iam dixi. Lignum cum cortice roborantem et reſoluentem virtutem obtinet ex aqua calida potum, vnde multi, vt AGRICOLA, CAESALPINVS, PVRMANNVS, ligno guaiaco ſubſtituerunt. Corticem autem inprimis commendarunt tanquam ſuccedaneum Peruuiani in febribus intermittentibus, HELLWIG. diſſ. *de Quinquina Europaeor.* Griphisvv. 1712. et Cl. BERGIVS *Gött. Anz.* 1757. p. 829. et in vomitu cruento, vbi Cl. DETHARDING decoctum cum euphoria praeſcripſit diſſ. *quae ſiſtit aegrum haemorrhag. ventr. ſpontan. grauiſſima correptum*, Hafn. 1733. Lect. 2. §. 2. in ſcorbuto, morbo hypochondriaco, nephritide, hydrope conuenire, alii obſeruarunt. Librum fraxini vulneribus ſerpentum et viperarum mederi, ſi ipſis faſciae in modum circumdetur, teſtis eſt Cl. BVRGHARDVS diſſ. *de faſcia venenum expellente*, Roſtoch. 1746. et, ſi verum eſt, tota arbor ſerpentes fugat, et olim iam DIOSCORIDES de foliis notauit, quod peruncta aut ex vino pota, viperarum ictibus auxilientur. Aquam ex ligno fraxini in auditu difficili ab atonia tympani laudat LAZERME I. p. 54. et vulnerariam eius, adſtringentemque virtutem E. N. C. *dec. II. an.* 6. *obſ.* 68. *dec. III. an.* 8. *obſ.* 127. Sal ex ligno paratum incineratione, pro cauterio inſeruit ad fonticulos inurendos.

Lentiſci lignum.

Lentiſcus vulgaris, C. B. *Pin.* 399. Piſtacia foliis abrupte pinnatis, LINN. *H. Cliff.* 436. Arbor manſueta in Sicilia, Italia, Luſitania creſcens.

Lignum quodammodo aromaticum eſt, roborat et modice adſtringit; vnde vſus eius in decoctis vinoſis in diarrhoea, dyſenteria, fluore albo, menſium et haemorrhoidum nimio.

Pauana lignum ſ. *Molluccenſe.*

Eſt ex arbuſcula, vnde grana tiglia, ſapore acri praeditum. Recens impetuoſe per aluum purgat, a ſcrupulo vno vsque ad drachmam deuoratum, vel in infuſo ad vnciam dimidiam. Vetuſtum et ſiccum mitius operatur.

Rhodium lignum.

Nondum certo liquet, vnde hoc lignum deſumatur. Ex orientalibus regionibus ad nos transfertur. Durum eſt, ſubflauum, odore roſarum aemulo, continetque oleum ſubtile, quod ipſi odorem impertitur. Vſus maxime externus eſt ad odoramenta; in decocto vero calefacit et roborat.

Tiliae lignum.

Ipſius carbones vulgo laudantur ad epilepſiam, incerto tamen experimento.

III. EXSOLETA.

Campeſcanum lignum.

Tſiam-Pangam, RHEED. *H. Mal.* VI. p. 3. t. 2. SLOAN. *Iam.* II. p. 183. t. 10. Caeſalpinia aculeis recuruis, foliolis emarginatis, filamentis lanatis,

LINN. *Fl. Zeyl.* 158. Arbor in Zeylona, Iamaica, Malabaria creſcens.

Vſus ligni magis oeconomicus et tinctorius eſt, quam medicus; admiſſum tamen fuit ab Anglis inter medicamenta, et in Xenodochiis contra dyſenteriam vſurpatum.

Colubrinum lignum.

Modira-Caniram, RHEED. *H. Mal.* VII. p. 10. t. 5. Clematitis indica ſpinoſa, foliis luteis, C. B. *Pin.* 301. Solanum arboreſcens indicum, foliis napoeae maioribus, magis mucronatis, BREYN. *Prodr.* 2. p. 301. Strychnos foliis ouatis, acutis, cirrhis ſimplicibus, LINN. *mat. med.* 78. Arbor in inſulis Indiae orientalis Timor, Zeylon et Malabaria habitans.

Radix eſt, dura quidem, ſed ſpongioſa, ſaporis acris amariſſimi. Laudatur aduerſus morſus ſerpentum, febres intermittentes (BOERH. *Chem II.* p. 238.) et vermes, decocti ſpecie ad vnciam dimidiam, vel eſſentiae ad drachmam dimidiam. At ſine omni noxa non datur, inprimis quo recentius eſt, quandoquidem tremorem ac ſtuporem inducit, HEIDE *obſ.* 7. Eſſentia ſanguini admixta, ipſius ruborem valde intendit, nec tamen valde coagulat, quod a nulla tinctura cum ſpiritu vini parata contingit. SCHWENKE *Haematol.* p. 194.

Coryli lignum.

Eius oleum empyreumaticum olim valde celebratum fuit, tanquam anodynum in odontalgia, et vulnerarium; quo quidem RVLANDVS tumorem linguae cancroſum curaſſe aſſerit *cent. III. obſ.* 84. Verum et alia olea foetida vlceribus conueniunt.

Cupreſſi lignum.

Arborem ſupra dixi. Lignum aeque ac folia ſiccat et adſtringit, hinc in iisdem morbis vtile eſt, ac haec ipſa, interne externeque.

Ebeni lignum.

Palma americana ſpinoſa, C. B. *Pin.* 507. Ebenus, LINN. *mat. med.* 504. Arbor indica.

Vino maceratum ad oculorum medicamenta veteres retulerunt, et ad caliginem abſtergendam in collyriis vſurparunt. DIOSC. In conuulſione flatulenta ZAC. LVSITANVS praedicauit. Alii ſudoriferam virtutem decocto adſcribunt, illudque in impuritatibus cutis commendant. Mechanicum vſum non attingo.

Nephriticum lignum.

Eſt ex eadem arbore, vnde nux Behen. Amaricantem ſaporem habet et ſubacrem; vrinam pellit, et in nephritide inprimis laudatur ad vnciam vnam in aquae graminis libra dimidia infuſum. Maiori copia nauſeam mouet. In ſcabie infuſum etiam efficax eſſe dicitur.

Santali citrini et albi lignum.

Santalum verum, BREYN. *icon.* 94. t. 5. f. 1. Santalum, LINN. *mat. med.* 183. Arbor Indiae orientalis adhuc obſcura.

Lignum Santali *flauum* eſt medulla ſolida, denſa, flaueſcens, a cortice et ligno ſeparata, ſaporis ſubamaricantis et aromatici, odoris fragrantis. Santalum album eſt eiusdem arboris medulla pallidior, odoris debilioris, et ſaporis minus aromatici: quando arbores exſiccantur, ſola medulla eligitur, quae, ſi non ſatis odorata eſt, ſantalum *album* appellatur. Vtrumque vim analepticam poſſidet, magis tamen flauum, quam

quam album, quoniam illud copioſiorem reſinam, odoris et ſaporis fundamentum, continet. HOFFM. *obſ. chem.* p. 69. Haec reſina alcohole vini extracta et inſpiſſata, balſamum liquidum, Peruuiano aemulum, conſtituit, rurſusque alcohole diluta optimum analepticum remedium praebet. IDEM. BONTIVS refert, illos, qui arbores caedunt, odore ſaepe laedi, et in febres atque deliria incidere. Santalum citrinum praeter reſinam fragrantem continet: etiam oleum aethereum fragrantiſſimum ad ambrae odorem prope accedens, cuius virtus confortans et Indis nota eſt, *A. N. C. vol. I. app.* p. 123. et ab HOFFMANNO praedicatur *l. c.* p. 18.

Santali rubri lignum.

Ex India orientali affertur; ſed arboris, vnde deſumitur, accurata deſcriptio adhuc nulla eſt. Odoris prorſus expers eſt, ſaporis vero modice adſtringentis. Decoctum ex aqua refrigerat et roborat, et in diſpoſitionibus phthiſicis macilentorum ac haemoptoicis haud incongruum eſt. *Theſaur. Ludouic.* p. 59. Spiritus vini ex ligno reſinam rubicundiſſimam extrahit. HOFFM. *obſ. chem.* p. 70.

* * *

Sagou ſ. Sego.

Palma indica caudice in annulos protuberante diſtincto, RAI. *Hiſt.* 1630. Arbor Zagoe amboinenſis, SEBA. *theſ.* I. p. 39. t. 25. f. 1. Olus calappoides, RVMPF. *Amb.* I. p. 86. t. 22. 23. Cycas frondibus pinnatis circinnalibus, foliolis planis, LINN. *Spec. pl.* p. 1188. Todda pana ſ. Mouta-panna, RHEED. *H. Mal.* III. p. 9. t. 13-21.

Sego eſt medulla farinoſa dictae arboris, artificioſe ab Indis granulata, aliquot abhinc luſtris primo in An-

Angliam, deinde in Galliam, Hollandiam, aliasque Europae regiones translata. Ex aqua et lacte cocta nutrimentum praebet cremori oryzae, hordei, aliorumque granulorum mundatorum ſimile. Ob gelatinoſam indolem vero acres humores demulcet, et hinc commendatur in febribus lentis, in phthiſi, alui fluxu atque vomitu. LEAVLTE *diſſ.* MALOVIN *diſſ.* Indi externe etiam in cataplaſmate ad abſceſſus maturandos adhibent.

CLASSIS VII.

CORTICES.

I. VSITATI.

Aurantiorum cortex.

Suauiter amaricans languentem ventriculum reſtaurat, concoctionem iuuat, flatus diſcutit, febres intermittentes fugat, Ill. WERLHOF. *animadu.* p. 79. 80. MOEHRING *Commerc. Nor.* 1736. p. 20. etiam quartanas, teſte optimo WERLHOFIO, quando tertia quaque hora ad drachmam in puluere datur, *Commerc. Nor.* 1735. p. 98. Denique etiam in decocto mire coercet haemorrhagias vteri, vt LVDOVIC. SEPTALIVS *L. VII. anim. art.* 144. & DAV. HAMILTON *Prax. reg.* p. 20. experti ſunt. Oleum aethereum continet, quod Itali expreſſione eliciunt.

Caſcarillae cortex.

Ricinoides elaeagni folio, CATESB. *Carol. II.* p. 46. t. 46. Clutia foliis lanceolatis acutis integerrimis petiolatis, LINN. *Spec. pl.* p. 1042. Arbor in Peru, Florida, Prouidentia, Paraguay, Carolina, Bahama habitans.

Amarus eſt, acris, et fragrans. Tonicam virtutem obtinet haud mediocrem, et decantatiſſimum eſt non ſolum in intermittentibus febribus, ſed etiam petechizantibus remedium (*Commerc. Nor.* 1736. p. 400.

406. 414.), in puluere ad drachmam dimidiam ſaepe datum, vel in eſſentia aut infuſo vinoſo. Porro vero in profluuiis alui prodeſt, DEGNER. *dyſent. epid.* §. 55. et aduerſus aſcarides. *Act. med. Berol. dec.* I. *vol.* II. p. 60. Oleum aethereum continet. HOFFMANN. et BOEHMER. *diſſ.*

Caſſiae caryophyllatae cortex.

Caryophyllus aromaticus Indiae occidentalis, foliis et fructu rotundis, dipyrene, PLVKN. *Phyt.* 155. f. 3. Myrtus arborea foliis laurinis, aromatica pimienta? *Phil. Trans.* n. 192. Myrtus foliis obuerſe ouatis? LINN. *Fl. Zeyl.* 183. Arbor in Braſilia, Iamaica et alibi creſcens.

Odore et ſapore caryophyllos aemulatur, quibuscum etiam viribus conuenit, licet his inferior.

Caſſia lignea.

Caſſia Malabaria BVRM. *Zeyl.* 63. t. 28. Laurus foliis lanceolatis trineruiis, neruis ſupra baſin vnitis, LINN. *Fl. Zeyl.* 146. Arbor in Malabaria, Sumatra, Iaua creſcens.

Odore, ſapore et aliis qualitatibus cinamomo ſimilis eſt, ſed minus aromaticus, et, dum maſticatur, mucilaginem praebens. Neque viribus multum a cinamomo differt, quamquam mulierculae peculiare in illo remedium ſibi perſuadeant inuenire ad affectum hyſtericum.

Chinae Chinae cortex ſ. Peruuianus.

Quinquina, CONDAM. *Act. Par.* 1738. Cinchona, LINN. *Mat. med.* 71. Arbor Peruuiana.

Cortex mediocriter amarus, et adſtringens, cuius vſus quidem initio non alius quam contra febres intermittentes cognitus fuit, poſtea vero tam multiplex, tamque decantatus in pluribus aliis, atque grauioribus longe morbis deprehenſus, vt diuinum vere dixeris.

Du-

Duplici autem facultate pollet, roborante et antiſeptica, quae tanta eſt, vt multo valentius, quam ſal commune et nitrum, carnes a putredine praemuniat. PRINGLE *Phil. Trans. n.* 495. Ob roborantem autem virtutem valde efficax eſt, in haemoptyſi a MORTONO *Phthiſiol. c.* 12. WAGNERO *app.* ad *A. N. C. vol. VII* p. 160. et LOESEKE p. 458. in nimio menſium fluxu ab HAMILTONO *Prax. reg.* p. 49. ad abortum praecauendum a MOEHRINGIO *Commerc. Nor.* 1736. p. 164. porro in dyſenteria, praemiſſo rhabarbarino, MORTON. *Pyretol.* II. p. 161. *Commerc. Nor.* 1735. p. 223. *Prodr. act. Hafn.* p. 84. in fluxu hepatico, quem infuſo vinoſo, aliis fruſtra adhibitis, feliciter curatum refert BLEGNY *Zodiac. Gallic. an.* 5. *c.* 9. in aliis longis alui fluxibus, vbi plus eo profecit KLEINIVS, quam Simarubae cortice, *ſelect. remed.* p. 46. modo non ſint illi colliquatiui et hectici, vbi fruſtra eum adhibeas, vt expertus ſcio. Porro etiam prodeſt in inteſtinorum imbecillitate et ictero, ALEX. CAMERAR. *diſſ.* in colica conuulſiua, *Primit. phyſ. Polon. II.* p. 274. in malo hypochondriaco, HOFFM. *med. ſyſt. IV. P.* 3. p. 239. in laxitate pulmonum nimia, phthiſin minitante, ex LOESEKII obſeruatione p. c. in malo iſchiatico et lumbagine ex mea qualicunque obſeruatione, in dolore capitis periodico, WESPRENNI *diſſ.* hemicrania, *A. N. C. vol. I. obſ.* 169. in ſudoribus nimiis cum lenta febre, HOFFM. *med. ſyſt. IV. P. I.* p. 574. RITTER. *A. N. C. vol. X. app.* p. 154. in initio tympanitidis, KLEIN p. 40. LOESEKE p. 441. in epilepſia, quam ſolo eo ſanatam vidit RITTERVS *l. c.* et GRAINGER quoque ſanauit, dum quotidie binas drachmas dediſſet, *Hiſt. febr. anom.* denique in hydrope, *Commerc. Nor.* 1732. p. 323. WERLHOF *obſ. de febr.* p. 59. etiam eo, qui ex quartana ſequitur, TORTI *Therap.* EL. FR. HEISTER *diſſ.* et in leucophlegmatia, *Comm. Nor.* 1734. p. 315. Egregium etiam vſum praeſtat in verminoſis affectibus, KLEIN p. 55.

in

in calculo, LINN. *diſſ.* nyctalopia, experimentis Cl. PYE *in Medic. obſ. by a Societ. of Phyſ. in Lond. I. n.* 14. ſcrophulis, ex Cl. FORDYCE & FOTHERGILL obſeruationibus *l. c. n.* 18. *et* 26. retentione vrinae, *ib. n.* 11. Suppurationem etiam egregie promouet, vt poſt omnes chirurgicas operationes adhibere ſuadeat Cl. FALCONET in theſi, *an legitimae vuln. ſuppur. promou. cortex?* Par. 1752. Ob virtutem antiſepticam vero in gangraena ſiſtenda omnibus aliis remediis praecellit, et quidem non in critica tantum, vt Cl. SHARP putat *Enquir. into the preſ. ſtate of Surger.* p. 255. ſed omnino etiam in ſymptomatica atque primaria, imo ſicca, experientia DOVGLAS *account of mortif.* VATERI *diſſ.* BOVVARTI *hiſt. de l' Ac. de Par.* 1748. p. 60 5 6. SWIETENII III. p. 187. KIRKLANDI *Tr. on gangren,* LOESEKII *l. c.* KLEINII *l. c.* p. 88. MARCHANDI in *recueil period.* par VANDERMONDE *M. Mart.* 1757. *n.* 3. etiam vbi conuulſiones iam adſunt et excrementa ſponte exeunt, KIRKL. *l c.* et non ſolum interno vſu, ſed etiam externo, LOESEKE; licet eum non ſemper prodeſſe, diffitendum non eſt, vt conſtat Ven. HEISTERI, Cl. SCHüTZERI et DETHARDINGII experimentis. Praeterea vero in febribus putridis et malignis nulli ſane remedio comparandus, vt in ſimplicibus obſeruarunt iam olim MORTONVS et TORTI, et ipſe ego in nupera epidemia; in compoſitis vero et exanthematicis, ſpeciatimque varioloſis Cl. MORANDO, Ill. ROSEN *diſſ. de Var. cur.* Vpſ. 1754. qui in febre ſecundaria putrida et viribus nimis fractis ſalutariter omni hora ſcrupulum exhibuit; et MONROO in *Eſſais of Edimb. V. art.* 10. in morbilloſis, teſte MORTONO *Pyret.* II. p. 172. et Cl. CAMER. *Gentl. Magaz Dec.* 1751. et petechialibus, in quibus laudat beat. HAHN, et ego quoque laudare poſſum; nec non in benigniori peſte SEB. BALDI *anaſtaſ. cortic.* Neque demum in cancro mammarum exulcerato vſus eius tacenduseſt,

quem depraedicarunt Cl. DIETRICHS et RITTERVS *l. c.* quamquam fruſtra bis eum adhibuit Exc. WERLHOFIVS, *Commerc. Nor.* 1735. p. 4. Ceterum in febribus apoplecticis norunt nunc omnes, nullum dari, praeterquam illum corticem, medicamentum, quod ſuperandis ipſis aptum ſit, poſtquam eius efficaciam tam ſaepius admirati confirmarunt, poſt immortalem MORTONVM, Ill. WERLHOFIVS inprimis, *obſ. de febr.* atque Cl. IOERDENS *A. N. C.* et *Commerc. Nor.* paſſim. Modus autem eius vtendi vbicunque optimus eſt in puluere, vel in decocto, et ad febres intermittentes etiam in clyſtere. Vbicunque eum adhibueris, obſeruabis pulſum viuidiorem, calorem cum perſpiratione auctiorem, aluumque ſubinde fluidiorem, LOESEKE p. 441. adeo vt nouiſſe ſe quosdam Cl. ALBERTINI aſſerat, qui corticem, quod aluum vehementius moueret, non paſſi eſſent, niſi quando ob id ipſum ſumerent, *Comment. Bonon. I.* p. 405. Doſes et vtendi modum, quemadmodum varia eſſe poſſint vel debeant quoque, non addo, vtpote de quibus in therapia praecipitur. Illud vero moneo, non omnem corticem, qui venumdatur, aeque bonum, aeque ſalutiferum atque laudabilem eſſe, ſed reiiciendum eſſe hunc, qui impenſe acerbus eſt, vel inſipidus et inodorus, vel putridus, carioſus, intus nigricans aut flauus, pallidusue, extus vero leuis èt quaſi politus, quodque vulgatiſſimum vitium eſt, a ligno, quippe quod vim illam medicam plane non habet, haud ſeparatus: ſeligendum vero, qui contrarias qualitates monſtrat, et maſticatus peculiari modo aliquantum mucidus ſentitur, et guſtum acrimonia et amarore cum aliqua adſtrictione ferit, denique qui colore intus cinamomum refert, vel magis obſcurus ſeu ferrugineus eſt, extus vero in ſcabra ſuperficie aliquanto obſcurior apparet, manibusque tentatus non diſcerpitur in fibras lignoſas, ſed potius frangitur. WERLH. *obſ.* p. 82. ſeq. Contra accuſatores defendere laudatum corticem, ſuperuacuum. Ipſi

illi

illi ſponte ſententiam ſuam mutaturi ſunt, ſi modo velint vires eius experiri praeiudicio ſepoſito. Decoctum ſanguini admiſtum, rubicundiorem eum et fluidiorem reddit. SCHWENKE *Haematol.* p. 188. BRVNNER in *A. N. C. vol. I. obſ.* 128.

Cinnamomum.

Caſſia Cinnamomea, BVRM. *H. Zeyl.* 62. t. 27. Laurus foliis ouato - oblongis trineruiis, baſi neruos vnientibus, LINN. *Fl. Zeyl.* 145. Arbor in inſula Zeylona maxime culta.

Odor et ſapor eſt ſuauiſſimus, ab oleo aethereo cum acredine dulci, a quo etiam praecipua virtus medica et oeconomicus vſus. Calefacit, roborat et confortat vniuerſum corpus, languores ſtomachi et vteri emendat; alui fluxus ſanat, maſticando etiam illud quotidie et ſaliuam deglutiendo, BAGLIV. *c. de diarrh.* De oleo ſcribit BOERHAAVE, quod ſuppar videre nec dum contigerit, quotiescunque collapſae grauidarum, parturientium, puerperarum vires, absque inflammatione, absque ruptis hactenusque hiulcis vaſis, *Chem. II.* p. 129.

Citri cortex.

Idem praeſtat ac aurantiorum cortex; ſed mitius operatur. Recens cultro inciſus, et in aqua coctus, ipſi praebet ſaporem gratum et elegantem viridem tincturam, quae in catarrhis valde prodeſt calide aſſumta. Itali e recentibus pomis exprimunt oleum ſubtile aethereum, ſuauius diſtillato, et *Eſſenza de Cedro* nuncupant.

Simarubae cortex.

Simaruba, IVSSIEV *act. Paris.* 1729. p. 37. 42. Piſtacia foliis pinnatis deciduis, foliolis ouatis, LINN. *Spec. pl.* p. 1026. Arbor in Iamaica et Carolina habitans.

Cortex eſt coloris ex albo flaueſcentis, ſaporis amaricantis, difficilis ad frangendum et flexilis, qui, ſi aquae incoquitur, albam eam, mucoſam et fere lacteam reddit, poſtea vero, quum refriguit, rubicundam inſtar cereuiſiae ſecundariae. Incolae inſulae Cayennae eum in fluxibus alui variis, quin et haemorrhagiis crebro vſurparunt, et maximo cum emolumento, ſicque demum eius notitia ad Gallos peruenit, qui explorantes vires eius vtrobique bonas repererunt. Inprimisque Cl. IVSSIEV in dyſenteria, quae anno 1718. Pariſiis vehementer graſſata eſt, neque purgantibus aut adſtringentibus cederet, imo ab vſu Ipecacuannae exacerbabatur, ſalutarem eum multis inſtitutis experimentis deprehendit, non minus quam in pertinacibus haemorrhagiis vterinis, multas foeminas miſere conficientibus, *l. c.* Poſtea vero Cl. DEGNERVS minime vulgarem vtilitatem in dyſenteria epidemica, inprimisque cruenta magis, quam biliosa, inde percepit, *Hiſt. dyſent.* §. 44. Modus autem vtendi eius optimus, experientia laudatorum virorum, hic eſt. vt drachmae eius duae in ſufficiente quantitate aquae communis ad remanentiam octo vnciarum decoquantur, omnique trihorio vel quadrihorio vncia vna vel duae per aliquot dies ad perfectam ſanationem epotentur. Euacuantia vero prius adhibenda ſunt. Demulcentem virtutem cum roborante tonica in hoc cortice coniunctam eſſe apparet. Syrupum papaueris rhoeados vel papaueris albi licet decocto addere. Puluis non ita commode fluxum compeſcit, IVSSIEV *l. c.* et ventriculo grauis ac moleſtus eſſe videtur. DEGNER §. 51. Voluit tamen BARBEIRAC puluerem decocto praeferri, vbi aegri ſufficienter purgati ſunt; decoctum vero pulueri, vbi ſuſpicio ſaburrae in primis viis latentis adhuc vigeat, *Formul.* p. 103. Puluis praeſcribitur ſemel, bis, aut ter in die, a ſcrupulo uno vsque ad drachmam integram. Quod IVSSIEV aſſeruit, vrinam ex vſu corticis maiori copia reddi, et nonnullis copioſos ſuperuenire ſudores, quibusdam

etiam

etiam motum obtuſum internum per totum corpus, id in ſuis aegris DEGNERVS obſeruare non potuit, §. 45.

Tamariſci cortex.

Amari eſt ſaporis. Morbo regio conſumtis prodeſt, et peculiari facultate lienem validiſſime comminuere creditur, FERNEL. p. 184. vrinam etiam mouere, et calculum pellere, vtrobique in decocto adhibitus. In lauamento ſcabiem ſanat. Arbor ſupra nominata eſt.

II. INFREQVENTES.

Alni cortex.

Adſtringente facultate pollet. Hydropi medetur, LANG. *Op.* I. p. 478. et febribus intermittentibus, FABREGOV.

Ceraſi cortex.

Medianus ex ceraſo nigro ad febres intermittentes laudatur a CONSTANT. *praef. ad med. helu.* aequiparaturque Peruuiano cortici.

Codagapala.

Codaga-Pala, RHEED. *Mal.* I. p. 85. t. 48. Nerium foliis ouatis acuminatis petiolatis LINN. *Fl. Zeyl.* 107. Frutex in Malabaria et Zeylona creſcens.

Succum lacteum acrem continet. Diarrhoeis et dyſenteriis ſpecifice prodeſſe dicitur; hinc etiam *profluuii cortex* appellatur.

Culilawan cortex ſ. *Caryophylloides.*

Craſſus eſt, colore lateritio, odore fragrante caryophyllaeo, ſapore acri, aromatico, amaricante, ac debili mucilagineo, ſubadſtringenteque. Ex trunco arboris ferae Amboinenſis detrahitur, cuius character adhuc ignotus eſt. Saporem ſuum et odorem aroma-

ticum habet ab oleo aethereo. Excalefacit, ſtimulat, atque roborat: hinc languenti ventriculo ſuccurrit, colicae frigidae medetur, tum interne ſumtus, tum externe in cataplaſmate abdomini applicatus, quod Amboinenſes faciunt. In morbis cachecticis etiam prodeſt, et in profluuiis aluinis; externe vero in paralyticis affectibus et in doloribus capitis a ſeroſa colluvie ortis, ſub cucuphae forma. Denique inter maſticatoria militat. In puluere datur ad ſcrupulum integrum, in infuſo vinoſo ad drachmas duas.

Frangulae cortex.

Alnus nigra baccifera, C. B. *Pin.* 428. Rhamnus inermis floribus monogynis hermaphroditis, LINN. *H. Cliff.* 70. Frangula ora folii integra, HALL. *Helu.* 164. Arbuſcula in ſepibus et ſyluis frequens.

Cortex medius flauus, ſaporis ſubadſtringentis et nauſeoſi, aluum purgat, et, ſi recens eſt, ventriculum quoque ſubuertit; hinc in ictero, hydrope et febribus intermittentibus, etiam in ſcabie aliquando praeſcribitur decocti forma ab vncia dimidia ad drachmas ſex, vel in puluere ad drachmas duas. Simile eſt, an corticem radici detrahas, quem nonnulli proprie medicum eſſe dicunt, *du* HAMEL *des arbres* I. p. 246. Ipſum quoque lignum easdem virtutes poſſidet. DALE. Cortex flauus praeterea tinctorius eſt; *Act. Suec.* 1742. p. 26. et externe ad ſcabiem valet in linimentum redactus.

Granatorum cortex ſ. Malicorium.

Potentius adſtringit, quam flores, et ob id ad decocta vulneraria et ſtypticos pulueres recipitur, quamquam ſunt, qui decocto potius excitari profluuia ſanguinis, quam compeſci contendant.

Mangles cortex.

Mangles aquatica, foliis ſubrotundis et punctatis, PLVM. *gen.* 13. Mangle pyri foliis cum ſiliquis longis,

gis, ficui indicae affinis, SLOAN. *Iam.* 155. Rhizophora foliis acutis, fructibus ſubulato-clauatis, LINN. *Spec. pl.* p. 443. an ? in inſula Dominico et alibi.

Succedaneum eſſe dicitur cortici Peruuiano in curatione febrium intermittentium. *Goett. Anz.* 1753. n. 143.

Mangoſtanae cortex.

Mangoſtans, GARCIN *Phil. Trans.* n. 431. t. 1. Mangoſtana, RVMPF. *Amboin.* I. p. 132. t. 43. Garcinia, LINN. *H. Cliff.* 182. Arbor in inſulis Moluccis, Iaua, et Philippinis culta.

Cortex adſtringens eſt, virtutibus corticis granati gaudet, et diarrhoeae ac dyſenteriae remedium praedicatur; quo nomine Batauiae et tincturam et infuſum inde parant.

Pocgereba cortex.

Ex America ante aliquot annos demum allatus eſt. Saporem nullum quidem habet, at in alui fluxibus valde efficax eſt, et hoc ſcopo ab Americanis aeſtimatus. Pariſiis virtutes eius tentarunt, et in diarrhoeis, dyſenteriis et fluxu hepatico proficuum omnino repererunt. Tres vnciae adulto ſufficiunt, et intra duos dies morbum ſoluunt.

Quercuum cortex.

Infuſum veſicae vrinariae iniectum dicitur calculum eius ſoluere; verum KRAMERO experimentum non ſucceſſit. *Commerc. Nor.* 1735. p. 49.

Salicis cortex.

Lapones in decocto ad duas libras poto remedium quaerunt, et inueniunt quoque ad dolores colicos. MONTIN *diſſ.* p. 20. Extractum corticis medii ad pulmones vlceratos commendat WELSCHIVS in *Mictom.* p. 39.

Sambuci cortex.

Interior viridis ſerum educit per aluum viasque vrinarias, quandoque etiam vomitum ciet, et ſudorem mouet. Ad hydropem quam multum valet cereuiſia vel vino maceratus, aut ſi ſuccus expreſſus ad duo cochlearia minora, qualia ad potum Thée adhibere ſolent, quotidie potatur. Anaſarcam hac ratione a BRüCKMANNO curatam leges in *Commerc. Nor.* 1742. p. 215.

Vlmi cortex.

Vim elegantem habet decoctum hydropicorum aquas partim per vrinam, partim per aluum educendi, ſi tum medicamenti inſtar, tum potus ordinarii loco per quatuor vel ſex hebdomades vſurpatur, quod pluribus exprimentis STRVVIVS ſe comperiſſe ſcribit *A. N C vol. I. obſ.* 194. *III obſ* 16. et BRESLAVIENS. *Supplem. IV.* p. 85. Vnciatim potum corticem in vino aut aqua frigida, pituitas trahere, DIOSCORIDES iam habet. Ceterum decoctum interne laudatur ab HARRIS in doloribus occulti cancri mitigandis.

III. EXSOLETI.

Acaciae cortex.

Radici detrahitur, et ad febres intermittentes tollendas in decocto liberaliter pro potu ordinario aſſumto laudatur a NEBELIO *A. N. C. vol. V. obſ.* 116. et SLOANE *ep. ad Rai.* Non ſemel eum NEBELIVS feliciter exhibuit, etiam in vino medicato, edoctus vſum ab empirica, quae aegrum inde reſtituit, quem ipſe non poterat neque cortice Peruuiano, neque aliis vſu probatis remediis ſanare.

Ebuli cortex.

Medianus ſtipitis eandem vim habet ac radix, hydropicorum aquas per aluum deducendi, eodemque modo vſurpatur.

Hippo-

Hippocaſtani cortex.

Caſtanea folio multifido, C. B. *Pin.* 419. Hippocaſtanum, RIV. *Pent.* Aeſculus floribus heptandris, LINN. *Vpſ.* 92. Arbor vulgaris.

Acerbus et amarus in numero febrifugorum poſitus fuit a Cl. ZANNICHELLI *Letter.* et cortici Peruuiano comparatus, vſurpatus vero ſic, vt duae drachmae in aquae cardui benedicti vnciis quatuor infuſae, finito inſultu, epotentur, idque ter repetatur. Interea Cl. MOEHRING teſtatur, ſe diuerſis temporibus, diuerſisque hominibus, obſeruatis exactiſſime a ZANNICHELLIO praeſcriptis regulis, fruſtra omnino, innocue licet, eum exhibuiſſe, *Commerc. Nor.* 1736. p. 20. In pleuritide etiam, et in vomitu corticem prodeſſe, ZANNICHELLI affirmauit *l. c.*

Winteranus cortex ſ. *Canella alba.*

Canella Peruana, SLOAN. *Iam. II.* t. 191. f. 2. CATESBY *Carol. II.* t. 50. Laurus foliis eneruiis obuerſe ouatis obtuſis, LINN. *mat. med.* 196. Arbor ſubmanſueta in Iamaica et Carolina creſcens.

Aromaticus, fragrans, ſubamarus, acris a WILH. WINTERO, Angliae equite, in terra freto Magellanico vicina collectus, et in Europam a. 1667. vt plurimi volunt, primum translatus eſt. Praeterquam quod concoctionem promouet, et flatus pellit, ſcorbuticis ſpecifice ſalutaris praedicatur, quemadmodum et WINTERVS commilitones ſuos ſolo eius vſu ab hoc morbo et praemuniuiſſe et liberaſſe dicitur. In paralyſi ſcorbutica hinc etiam WILLISIVS commendauit *de anim. brut. c. 9. p.* 240. *Opp.* II. et MOELLENBROCKIVS in arthritide ſcorbutica *Tr. de Varis c.* 13. p. 2. 3.

CLASSIS VIII.

F V N G I.

I. VSITATI.

Agaricus.

Agaricus ſ. Fungus laricis, C. B. *Pin.* 375. Boletus abiei, Laricis dictae, LINN. *mat. med.* 497. Caudicibus dictae arboris adnaſcitur, non vetuſtioris tantum, quae nullam amplius terebinthinam fundit, ſed et iunioris, quae nondum eam adhuc plorauit.

Eligitur albicans, leuis, mollis, friabilis; ſapore primo dulci, poſtea vero amarore cum acredine linguam afficit. Blande aluum purgat, aperit, et vermes expellit, a drachma vna vsque ſex in aqua ſimplici vel mulſa coctus. Reſinam continet, quae ſuper alembicum cum ſpiritu vini tranſcendit, ac eodem ſcopo a granis octo vsque ad ſcrupulum dimidium datur. *Commerc. Nor.* 1733. p. 59.

Bouiſta ſ. *Crepitus lupi.*

Fungus rotundus orbicularis, C. B. *Pin.* 374. Lycoperdon ſubrotundum laceratum dehiſcens, LINN. *Lappon.* 525. in campis ſiccioribus Europae.

Siccus et leuiſſimus eſt, tantamque interdum magnitudinem aſſequitur, vt caput hominis facile exaequet, vel etiam ſuperet. Antiqui Chirurgi Germani tanquam ſacra anchora eo vſi ſunt ad compeſcendas ſanguinis eruptiones, etiam periculoſiſſimas, vti expertus teſtatur IO. BAVHINVS *hiſt. pl. VIII.* c. 75.

c. 75. p. 848. et NVCKIVS commendauit in operatione aneuryſmatis, *exper. chir.* 29. p. 99. CRATO ad haemorrhoides nimias, *conſil. L.* 5. *n.* 25. a Gallis vero ſuperiori ſeculo prorſus repudiatus fuit, nunc vero ab iisdem iterum primo reuocatus, et nouis experimentis tentatus, quibus nouam famam, eamque celeberrimam in dictis morbis recuperauit, ſiquidem *la* FOSSE ſanguinem ex arteria maxima in equo diſciſſa, applicatione eius intra pauca minuta coercuit, *obſerv. & decouv. fait. ſur les chevaux*, Par. 1754. et Cl. PARSONS ſimilia quoque expertus eſt, *Phil. Tranſ. Vol.* 49. *P. I.* p. 11. et Cl. IO. HERMENT nouiſſime eum de meliori commendauit in Qu. *Vtrum in arteriarum vulneribus tutum haemorrhagiae ſiſtendae auxilium Fungus maximus puluerulentus rotundus Io. Bauhini?* Par. 1752. Ad eiusmodi operas vero ſic adhibetur: Cute membranacea, quae vndique ſubſtantiam raram cingit, detracta, huius fruſtum hiantibus arteriae labiis imponitur, adeo, vt leuiori ſua ſuperficie vulnus reſpiciat, huiusque oram amplitudine ſua excedat. Huic alterum fruſtum ſuperimponitur, amboque ſimpliciſſima deligatione continentur: qua ratione effluxus omnino cohibetur, et paucis diebus vaſis labia coaleſcunt. In haemorrhoidum fluxu nimio in inteſtinum rectum inſeritur, in narium haemorrhagia ipſis immittitur.

Fungus igniarius.

Agaricus pedis equini facie, RAI. *hiſt. pl.* I. p. 108. Fungus in caudicibus naſcens vnguis equini figura, C. B. *Pin.* 372. Boletus acaulis puluinatus laeuis, poris tenuiſſimis, LINN. *Suec.* 1096. Acaulis, paraſiticus, ad veterum quercuum, aliarumque arborum truncos.

Ante aliquot annos vis eius iſchaema celebrata fuit et detecta a BROSSARDO, Chirurgo Gallo, qui cum antea experimentis eam in noſocomiis coram ſocietate regia Chirurgorum comprobaſſet, praemio a rege pro reuelatione arcani ornatus fuit. Hanc autem

tem vim habet fungus, vt ſi diſciſſis arteriis, in amputatione, aneuryſmate, praeparatus imponatur, exiguo interuallo vulnus conſtringat, ſanguinem denſet, et haemorrhagiam compeſcat. Praeter BROSSARDVM alii Chirurgi tum Galli, tum Angli, idem poſtea experti ſunt, inter illos quidem Cl. FAGET, MORAND, BOVHOT, ROCHARD. *Mem. de l'Ac. de Chir. II. p.* 196. vers. Germ. ANDOVILLET, *Phil. Tranſ. Vol.* 49. *n.* 10. inter hos vero SHARPIVS, WARNERVS, *l. c. Vol.* 48. p. 2. FORD, *Vol.* 49. *n.* 20. THORNHILL, *n.* 43. PARSONS, *Vol.* 49. *P. I.* p. 11. Non temere tamen fidendum eſſe fungo, nimis quam par eſt vaſa obſtipanti, ſanguinemque immobilem reddenti, neque eum aptum eſſe maioribus arteriis, vt femorali, diſciſſis conſtringendis, Cl. PARKER admonet in *the ligat. prefer. to Agaric* etc. Lond. 1755. et SHARPIVS quoque ſemel fruſtra eum adhibuit, *Phil. Tranſ. Vol.* 48. *p.* 2. *n.* 8. Interne eundem fungum etiam num vſurpare cepit Cl. BRILLOVET ad alui fluxum compeſcendum, *Rec. period. par* VANDERMONDE *M. Mart.* 1757. *n.* 1. Interim BROSSARDVS non primus ſane perſpexit virtutem iſchaemam in agarico: olim ad eundem finem fuit adhibitus, et DILLENIVS eum vſurpauit ad ſanguinem ex ani venis per hirudines ſauciatis immoderatius ſtillantem, ita vt vulnuſcula hoc fungo muniret, quamquam hunc fluxum eo coercere non potuit, *E. N. C. cent. VII. obſ.* 57. et Finni iam diu diuerſas ſpecies fungorum igniariorum ad haemorrhagias vulnerum ſiſtendas applicarunt, teſte Cl. PETR. ION. BERGIO in *Förſök* etc. HOLM. 1756. et Cl. GRANDCLAS in omnibus fere agaricis hanc virtutem expertus eſt, quum diuerſis arteriis impoſuiſſet, hoc quidem egregio effectu, vt ſoluto horis duabus poſt deligationem vulnere, obex inſuperabilis in arteriis ſauciatis conſpiciendum iam ſe praebuerit. HERMENT *diſſ. cit.* Modus autem, quo Cl. BROSSARDVS vtendum agarico, memoriae

pro-

prodidit, is eſt, vt caro dura, filamentoſa eius a cortice villoſo ſeparetur, et iteratis mallei ictibus contundatur, donec molliſſima ac laeuiſſima facta ſit: atque huius nunc duo fruſta vulneri ſuperimponuntur, eodem modo, ac ſupra de Bouiſta ſcriptum eſt. Addit BROSSARDVS, fungum menſibus Auguſti et Septembris colligendum eſſe, ſiccatumque aſſeruandum.

II. INFREQVENTES.

Auricula Iudae.

Fungus membranaceus auriculam referens ſ. ſambucinus, C. B. *Pin.* 372. Tremella cyathiformis, labio altero inflexo repando, LINN. *mat. med.* 498. Paraſiticus in lignis antiquis, praeſertim ſambucinis.

Adſtringente facultate pollet, laudatur inprimis in lippitudine aqua roſarum maceratus, et pro collutione oris in affectibus faucium inflammatoriis.

Fungus melitenſis.

Fungus melitenſis, *Comm. Bonon.* I. p. 158. Fungus typhoides coccineus tuberoſus melitenſis, BOCCON. *muſ.* p. 69. t. 56. Cynomorium purpureum officin. MICH. *gen.* 17. t. 12. Cynomorium coccineum, LINN. *Spec. pl.* 970. Proprie fungus non eſt, ſed planta paraſitica, ſuper radices Lentiſci, Myrti, aliorumque fruticum et ſuffruticum creſcens, in Sicilia, Mauritania, et Tunetano regno etc.

Tota planta rubra eſt, et ſi digitis comprimitur, ſanguineum fere ſuccum exſtillat. Exſiccata et contrita ſaporem amaricantem atque ſtipticum exhibet, et linguam cum auſteritate mucilaginoſa adſtringit. In profluuiis ſanguineis ſiſtendis et dyſenteriis valde efficax eſt, et probatae iam diu virtutis apud Melitenſes, qui puluerem eius a ſcrupulo vsque ad drachmam, vino vel iuſculo dilutum, hauriunt. BOCCON. *Piant.*

p.

p. 82. *Muſeo* p. 69. In vomitu cruento ter drachma vna aſſumta proficit. ID. Haemorrhagiam vteri grauiſſimam nouiſſime etiam ſedauit Cel. BAECK, quum integrum fungum in puluerem contritum foeminae dediſſet. LINN. *diſſ.* p. 13. In vlceribus cacoethicis puluerem etiam commendat BOCCON *l. c.* et in vlceribus vrethrae antiquis venereis decocto eius vſus eſt DEIDIER *Obſ. T.* I.

Fungus ſalicis.

Boletus acaulis, ſuperne laeuis, ſalicinus, LINN. *Lappon.* 522.

Odorem aniſi habet ſuaueolentem. In numero alexipharmacorum ponitur, et in nonnullis locis a ruſticis ſtudioſe in hunc finem colligitur. Laudatur etiam ad phthiſin bis die ſumtus a drachma dimidia ad integram ex ouo ſorbili, vel in puluere cum ſaccharo. *M. N. C. dec.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 121. Iuuenes Lappones inuentum ſollicite ſeruant in marſupio ante pubem pendulo, vt gratiorem odorem ſpirantes puellis placeant. O ridiculam allectationem! LINN. *Lapp. l. c.*

Gallae.

Sunt excreſcentiae fungoſae in quercubus Barbariae, aliarumque Africae regionum a puncturis cuiusdam muſcae (LECHE diſſ. *nou. inſect. ſpec.*) ortae. Vis earumdem auſtera manifeſtiſſima eſt, quae efficit, vt externe in epithemate ad prolapſum vteri, inteſtini recti, et ad vulnerum haemorrhagias vſurpentur. Sed interne quoque ſumtas a drachma dimidia ad integram, ſpecifica vi febribus intermittentibus mederi, Cl. RENEAVLNE docet, *Mem. de Par.* 1711. et aſthma ſpaſmodico-flatulentum chronicum ipſis curatum refert LVDOLFVS. *Miſc. Berol.* VI. p. 16.

III. OB-

III. OBSOLETI.

Boletus ceruinus.

Tuberum genus, quibusdam cerui boletus, I. B. *hiſt.* III. p. 851. Lycoperdon ſolidiuſculum centro farinifero, radice deſtitutum, LINN. *Spec. pl.* 1183. Subter terram et interdum quoque ſupra eam, STERBEEK. 315. DILLEN. *Gieſſ.* p. 198. in ſyluis Europae.

Recens odorem hircinum emittit, et edulis eſt. Venerem ſtimulare multi credunt, alii vero negant, LANG. *Opp.* I. p. 383. partum etiam promouere, dimidia parte vmbilico impoſita, altera deuorata, ex DORSTHENIO refert IO. BAVHINVS; contra, ſi grauidae cum circumſpectione iisdem non vterentur, abortum facile procurare: at ſaepius vidit tamen Cl. SEYFFERT generoſas mulieres grauidas iisdem in cibis vſas eſſe ſine tali noxa, *diſſ. de fung.* Ien. 1744. p. 25.

Cynosbati fungus ſ. *Bedeguar.*

Neque fungus eſt, neque aliud vegetabile, ſed tuberculum villoſum, nidus vermium per hiemem ibi diuerſantium, et primo vere, dum in tentredines mutati ſunt, hibernaculum deſerentium.

Apud veteres magnam exiſtimationem obtinuit tanquam diuinitus datum antidotum ad hydrophobiam, PLIN. *hiſt. nat. L.* 8. *c.* 41. et *L.* 25. *c.* 2. et ab Italis adhuc celebratur non ſolum ad hoc venenum, ſed viperae, tarantulae, et aliorum morſus pariter, vt in Sicilia *Sanatodos* nuncupetur, et ad incantationes quoque et morbos ex terrore a ſuperſtitioſis vſurpatur. BOCCON. *Muſeo di Plant. oſſ.* 2. Alii calculoſis ſaluti eſſe dicunt, et ſcrofulas tollere. Ipſi vermes ſoporiferi eſſe dicuntur, vnde tota ſpongia etiam germanice *Schlafkunz* appellatur.

Tuber.

Tuber.

Tuber, MATTH. *Dioſc.* 544. Tuber brumale pulpa obſcura odorata, MICH. *gen.* 221. t. 164. Lycoperdon ſolidum muricatum, radice deſtitutum, LINN. *Sp. pl* 1183. Sub terra habitat in ſyluis, Italiae inprimis. Galli *Truffles*, Itali *Trifoli* vocant.

Fungus ſphaeroideus, aliquando peramplus, vt ad plurium librarum pondus adſcendat, BRESLAV. 1725. *M. Mart.* odore aphrodiſiaco, et edulis ad caſtanearum ſaporem accedens. Languidis ſtimulos ad venerem addere dicitur, itemque ad compeſcendos motus hyſtericos valere, GARIDEL.

CLAS-

CLASSIS IX.
B A L S A M A.

I. VSITATA.

Balſamum de Copaiua.

Copaiba, MARGGR. *Braſ.* 130. PIS *Braſ.* 56. arbor Braſilienſis, cuius iconem quidem WEINMANNVS in *Phytanth.* t. 224. exhibet, an vero ad exemplar naturale facta ſit, dubium.

Color eſt ex albo flaueſcens, odor fragrans, ſapor acris, amarus, aromaticus. Ex ſauciata arbore liquor ſtillat magna copia, vt trium horarum ſpatio duodecim fere librae colligi poſſint. Vſus externus eſt vulnerarius: interne vero conuenit tanquam balſamicum remedium, et aperitiuum, et diureticum in vlceribus renum, veſicae, vteri, fluore albo, gonorrhoea, ad guttas xx vel xxx in ouo ſorbili vel aliter. Menſes in foemellis reſtitantes etiam ſic reuocat, et dolores nephriticos lenit, *Commerc. Nor.* 1734. p. 159. febres item intermittentes tollit, ante inſultum aliquoties ad guttulas vi cum iuſculo ſumtum, LABBAT *Voyag.* II. p. 321. denique ad diarrhoeam ac dyſenteriam, abſente febre, prodeſt; et phthiſi mederi dicitur. PRINGLE. Multum oleum aethereum continet. Vrinae ſaporem amarum reddit.

Balſamum Peruuianum ſ. Indicum.
α) album.

Capureiba, PIS. *Braſ.* 57. 119. Arbor in Hiſpania noua creſcens.

Liquor pallidi coloris, odoris benzoini, ſaporis acris, amaricantis, conſiſtentiae mellis liquidi, ex arbore vulnerata fluens; ſed raro in officinis reperitur.

β) *nigrum.*

Ex eadem arbore eſt, ſed coctione extrahitur, et fortaſſis etiam aliarum rerum admiſtione, niſi forte totum factitium eſt, quod improbabile profecto non eſt. NEVMANN. *Chem. mai.* Denſus liquor eſt, ponderoſus, coloris ex ruffo ad nigrum vergentis, odoris fragrantiſſimi ſtyracis et benzoes, ſaporis ſubacris linguam mordicantis. Paria praeſtat cum balſamo de Copaiua; praeterea vero empyicis, vomicoſis, conuulſis confert, *ab* HEERS *obſ.* 17. colicae Pictonum medetur, SYDENH. p. 754. languentem tonum ventriculi et inteſtinorum erigit, HOFFM. *diſſ.* ad paralyſin etiam efficax, ID. et ad tinnitum aurium. *Commerc. Nor.* 1736. p. 395. A guttis tribus ad decem vel quindecim datur interne, optimeque vitello oui temperatur. Oleum vehit fragrantiſſimum, et cum alcohole vini tincturam facit calefacientem atque tonicam. HOFFMANN. *obſ. chem.*

Terebinthina.

α) *communis.*

1. Pinus ſylueſtris, C. B. *Pin.* 491. Pinus foliis geminis, primordialibus ſolitariis glabris, LINN. *Fl. Suec.* 788. 2. Abies rubra, TRAG. p. 1117. Abies foliis ſolitariis, apice acuminatis, LINN. *H. Cliff.* 47. Picea, MATTH. 102. 3. Abies, MATTH. *ib.* Abies foliis ſolitariis, apice emarginatis, LINN. *H. Cliff.* 449. Arbores frequentiſſimae in Europae ſyluis, et in alpibus.

β) *veneta.*

Larix, C. B. *Pin.* 493. Larix folio deciduo, HALL. *Helu.*

Helu. 149. Abies foliis faſciculatis obtuſis, LINN. *H. Cliff.* 450. Arbor manſueta in alpibus heueticis et aliis.

γ) *Vera* ſ. *cypria*, ſ. *de Chio.*

Terebinthus vulgaris, C. B. *Pin.* 400. Piſtacia foliis impare pinnatis, foliolis ouato lanceolatis, LINN. *H. Cliff* 456. Arbor manſueta in India, Africa, Aſſyria, China, Cypro, Italia, Hiſpania, Delphinatu, Languedocia, Prouincia.

Reſina viſcoſa, tenax, melleae conſiſtentiae, ſaporis acris, amari, odoris ſpecifici. Terebinthinam *communem* fundunt arbores dictae omnes, ſed optimam tamen et copioſiſſimam abies n 3. ex veſiculis, in trunco ſubter corticem ortis, quae cultro inciduntur. *du* HAMEL *des arbr.* I. p. 8. Terebinthina *veneta* magis pellucida eſt et clara, atque tenaciſſima. Trunci laricis adultae eam ſtillant, dum ad ligni ſubſtantiam vsque perforantur. In ipſo enim ligno haec reſina ſecernitur, et peculiaribus folliculis incluſa eſt, *du* HAMEL *l. c.* I p. 335. cum contra abietum terebinthina inter corticem et lignum generatur. Sponte paucas guttulas tantum larix fundit. Terebinthina *vera* ita rara eſt, etiam in ipſa inſula Chio, vt ad nos non perueniat, niſi multa terebinthina laricis adulterata, quod adulterium Veneti perficiunt. Vix vigeſima pars terebinthinae verae admixta eſt. *du* HAMEL II. p. 315. Ipſa raritas autem, vel in ipſa inſula Chio, debetur partim rariori arborum prouentui, ex relatione CONSINERI ad *du* HAMEL, p. 311. partim exiguae copiae reſinae, quam arbores inciſae fundunt. *ib.* In dicta inſula pretio iam maiori conſtat, quam quo Veneti vendunt, p. 311. 315.

Natura omnium calefacere, mollire, diſcutere, vrinam mouere, aluum ſubinde laxare, vulnera et vlcera tam interna, quam externa expurgare et conglutinare, ſanguinem ſiſtere. Tuſſi ac tabi conueniunt, DIOSC. ad inueteratos alui fluxus proſunt. BA-

GLIV. p. 108. dolores arthriticos et podagricos compeſcunt, CLAVDIN. *conſult.* 19. p. 49 *medic. Bibl.* II. p. 13. itemque colicos, HAMILTON *Prax. reg.* p. 46. 47. gonorrhoeis quoque medentur, et vrinae ſuppreſſioni, vbi ſaltem oleum vmbilico illinendum, HOFFM. *med. ſyſt.* III. p. 119. Intus optime ſumitur cum ouo ſorbili, aut melle, aut in pilulis, ad ſcrupuli pondus vsque vnciam dimidiam. Vrina inde communiter odorem violaceum aſſequitur; interdum vero non haec, ſed ſaliua, quod in Cardinali de Sinzendorf b. HAHNIVS obſeruauit *med. Bibl. l. c.*

II. INVSITATA.

Balſamum de Mecca ſ. *de Gilead, Opobalſamum verum.*

Eſt ex eadem arbore, vnde Carpobalſamum, quam in WEINMANNI *Phytanth.* expreſſam videas *tab.* 223. Raro admodum reperitur, quum pro imperatore Turcico ſaltem colligatur, qui raritate charum legatis ſaltem eorumque Principibus dono dat. Quare non immerito, quod venum proſtat, pro factitio habetur, NEVMANN. *Chem.* I. p. 363. Qui vero illud viderunt, deſcribunt, quum recentiſſimum eſt, coloris albicantis, qui tamen progreſſu temporis in aureum ſplendidiſſimum mutatur, ſaporis acris et aromatici, odoris admodum potentis non ingrati. Has notas quidem infallibiles dicunt balſami genuini, quando odore haemorrhagiam narium excitat, lacti infuſum coagulationem eius inducit, linteis adſperſum maculam non relinquit, et manu detentum tranſudat: at omnes fallaciſſimae atque fabuloſae ſunt. Interim inter optima vulneraria, confortatiua, et coſmetica quoque merito refertur, et exemplum arthritidis ipſius citiſſime curatae BRESLAVIENSES habent.

Bal-

Balſamum Rakaſiri.

Ex arbore americana, adhuc ignota, colligitur, Copaiuae balſamo cum ſapore et odore, tum virtutibus longe praecellens. Vna enim alteraue doſi gonorrhoeas feliciter ad ſanitatem perductas eſſe, quas plurimae Copaiuae vnciae irrito ſaepe effectu tentaſſent, perhibetur *A. N. C. vol. I. app.* p. 123.

Storax liquida.

Liquidambar arbor ſ. ſtyraciflua aceris folio, fructu tribuloide, PLVKN. *almag.* 224. t. 42. f. 6. Liquidambar, GRONOV. *Virgin.* 190. Liquidambar foliis palmatis angulatis, LINN. *Spec. pl.* p. 999. Arbor americana, Virginiae, Louyſianae etc.

Subſtantia reſinoſa, tenax, griſea, acris, fragrans, quam vero plurimi pro factitia habent; alii vero ex corticibus arboris decoctione cum aqua ſalſa elici, et ad certam conſiſtentiam inſpiſſari dicunt, *Phil. Tranſ. n.* 313. Calefacit et roborat. Vſus vero magis externus eſt in vnguentis et emplaſtris ad ſcabiem, aliasque cutis defoedationes.

Balſamum Tolutanum.

Balſamum Tolutanum foliis ceratiae ſimilibus, C. B. *Pin.* 401. Toluifera, LINN. *mat. med.* 201. Arbor americana, prope Carthagenam, cuius iconem in WEINMANNI *Phyt. t.* 225. expreſſam videas.

Omnibus fere notis opobalſamum exprimit, odore ſuauius nigro Peruuiano. Guttae eius in aqua calente ſe ampliſſime diffundunt in ſuperficie, ad fundum non merguntur. In lacte tepido eadem ratione ſe dilatant, lacque coagulant. Ferro inunctum cito claram flammam concipit, ſicut oleum terebinthinae, BARTHOL. *act. Hafn.* I. p. 5. Verum illud genuinum in noſtris regionibus raro deprehenditur. Virtutes eius, vt ceterorum, vulnerariae ſunt.

CLASSIS X.

R E S I N A E.

I. VSITATAE.

Anime.

Hymenaea, LINN. *H. Cliff.* 484. Ceratia diphyllos antegoana, ricini maioris fructu, PLVKN. *almag.* 96 t 82. f. 2. Arbor fera Braſiliae et nouae Hiſpaniae; cuius icon apud WEINMANN t. 137.

Reſina friabilis, coloris ex albo lutei, quodammodo pellucida, odoris, dum accenditur, grati. Vſus potiſſimum externus eſt in affectibus catarrhalibus rheumaticisque a cauſa frigida, quibus per ſuffitum vel in emplaſtris adhibetur. Valet etiam ad membra paralytica, et balſamis vulnerariis in laeſionibus partium neruoſarum et tendinoſarum admiſcetur.

Benzoe ſ. *Aſa dulcis.*

Arbor virginiana, citriae vel limoniae folio. COMMEL. *hort.* I. t. 97. Laurus foliis eneruiis obuerſe ouatis vtrinque acutis integris annuis, LINN. *H. Cliff.* 154. an? Siquidem *du* HAMELIVM negare lego, hanc arborem dare benzoen, ſed eam duntaxat redolere, *des arbr. I.* p. 352.

Reſina dura et fragilis, e flaueſcentibus, rutilantibus et albicantibus grumis in vnam maſſam compacta, grati et ſubdulcis ſaporis, odoris ſuauiſſimi. Balſamica

ca et traumatica virtute gaudet, vnde praecipue in phthiſi, at perperam ſane, laudatur. Ceterum etiam lenitiua et anodyna eſt, et ad tuſſim feram et capitis dolores leniendos, pectoralibus in illa, cucuphis vero et ſuffitibus in his additur. Denique creberrimi vſus eſt in ſuffimigiis, quibus in conclauium tetris vaporibus diſſipandis vtimur. Chemia flores inde ſublimat, ad catarrhos et ſternutamenta facientes. Tincturam foemellae inſtillant roſarum vel liliorum alborum aquis, pro lauamento, quo cutim nitidam reddi ſibi perſuadent: interne pectoralibus addi ſolet.

Camphora.

Laurus camphorifera, KAEMPF. *amoen.* 770. Laurus foliis lanceolato-ouatis trineruiis, neruis ſupra baſin vnitis, LINN. *mat. med.* 192. Arbor fera, Iaponiae incola; cuius iconem reperias apud WEINMANN. *tab.* 165.

Camphora eſt ſubſtantia fragrantiſſima, acris, amaricans, ſumme volatilis et inflammabilis, ſublimationis capax, in meditullio et cauitatibus ligni genita, peculiaribusque vaſis ſublimando prolecta. Mixtum quidem peculiare eſt, nulli rei ex toto comparandum, neque adeo reſinis; ſed huc tamen referenda mihi viſa, quod alibi collocari non poſſit commodius. Ob ſummam ſuam tenuitatem, penetrandique vim efficaciſſima medicina eſt, inde ab Arabum temporibus nota. Diſcutit inſigniter humorum ſtaſes inflammatorias tum interne ad grana quatuor per interualla, cum nitro inprimis, aut in emulſione ſumta, qualis mos eſt potiſſimum Ill. noſtri WERLHOFII, vt videre licet in *Commerc. Nor.* 1734. p. 258. 268. 431. et 1735. p. 153. tum externe vario modo applicata. Deinde in febribus malignis et exanthematicis, ſymptomatibusque ipſarum funeſtiſſimis, deliriis ac retroceſſione, vtiliſſima eſt, vt ſat multis elegantibus obſeruationibus confirmarunt RIVER. *Cent. I. obſ.* 24. 29. *Cent.* II.

II. *obſ.* 18. 62. 64. 73. WERLHOFIVS *l. c.* HALLERVS *l. c.* 1736. p. 74. HOFFMANN. diſſ. *de vſu camph.* SCHVSTER *obſ. therap. app.* ROSEN in *Schwed. Abh.* IV. p. 61. 82. aliique plures; licet etiam non deſint, qui in dictis morbis vſum eius reprobent, vt CARL in *Comm. Nor.* 1736. p. 332. et GEELHAVSEN diſſ. *de febrib. malign. contag.* Prag. 1735. Porro vero in quauis cachexia multum valet, teſte LENTILIO *Iatromnem.* p. 375. et in morbis ſpasmodicis, HOFFM. *med. conſult IV dec.* 4. *caſ* 5. et ſpecialiter in ſpaſmo oeſophagi, ID. *med. ſyſt. IV. P.* 3. *c.* 5. ac in haemorrhagiis ex ſpaſmo ortis, vbi veteres vſurparunt, et praecipuis ad ſiſtendas haemorrhagias medicinis admiſcuerunt. Aduerſus maniam fere ſpecifici titulum obtinuit, quam maiori doſi eius a granis quindecim ad drachmam dimidiam aliquoties de die, et diu ſatis exhibitam, praemiſſis vomitoriis, feliciter profligaſſe teſtantur Cl. KINNEIR *Phil. Tranſ. n.* 400. Ill. WERLHOFIVS *Commerc. Nor.* 1735. p. 28. Cl. IVERDENS *ib.* 1736. p. 5. et TRIEWALD *Schwed. Abh. VI.* p. 44. melancholiam quoque hyſtericam, WERLHOF, *l. c.* 1733. p. 221. Affirmat tamen KINNEIR, quod ſaltem frigidis corporibus conueniat, calidis contra et plethoricis noceat, et morbum omnino augeat. Et hinc forſan eſt, quod aliis experimentum non ſucceſſerit, et Cl. MVZELIVS eam tam in mania, quam melancholia fruſtra dederit, licet quotidie vnciam dimidiam deuorandam praebuiſſet, *Wahrnehm.* p. 50. 65. Quod inordinatos et vehementes motus camphora compeſcit, id quidem anſam permultis dediſſe videtur, vt inter anodyna eam collocarent; et licet omnino hac virtute polleat, nimium tamen eſt, ſi alii, et inprimis Cl. PONTIER, ipſam narcoticis adeo accenſendam et opio adſociandam putent, *Rec. des mem. de Chir. qui ont remport. le prix* T. I. Sed alia virtus adhuc commemoranda eſt, qua mercurii virtutem ſaliuatoriam delet, nihilominus tamen ipſius virtutem,

tutem, luem veneream perfecte eradicandi, non tollit, ſed potius intendit. Ipſa camphora in ſe iam hanc facultatem habet, ut lui venereae aduerſa ſit, et memorabilis ideo eſt obſeruatio, quam Medicus fide dignus cum HOFFMANNO communicauit, eique plurimis experimentis et exemplis edoctus aſſeuerauit, quod praemiſſo conueniente remedio deorſum purgante ſola camphora ſoluta in axungia viperarum ad diram hanc luem perſanandam ipſi ſuffecerit; et ipſe HOFFMANNVS certa experientiae fide affirmat, quod in gonorrhoea curanda, inque luis venereae principio nihil praeſentius camphora deprehenderit, *diſſ. cit.* §. 14. Atque iſtae quidem obſeruationes nonnullos celebres Medicos et Chirurgos Gallos promouiſſe videntur, vt camphoram in vnguenta ſua mercurialia receperint, poſteaque tutum ipſorum vſum in tollendo venereo morbo ſine vlla ſaliuatione deprehenderint. Eiusmodi experimenta inſtituerunt iam multoties Cl. RAVLIN *Obſ. de med.* Par. 1754. Cl. MISSA in diſſ. *ergo lui venereae hydrarchyrus camphoratus*, ib. 1756. et alii in VANDERMONDE *recueil period. d' obſeruat. de Medec.* M. Mart. et April. 1756. Sufficit vnciis quatuor vnguenti neapolitani ſcrupulum ſaltem camphorae admiſcere. RAVLIN. Et quemadmodum camphora fluxum ſalitualem praeuertit, ſic etiam coercet eum, vbi praeſens et immoderatus eſt, vti compertus eſt Cl. ZACH. VOGEL in *Wahrnehm.* I. p. 16. Efficax denique camphora eſt in ſyncope, quam, vbi granum eius vnum vel alterum maſticatur, non tollit modo, ſed etiam auertit. FISCHER Tr. *de Senio* p. 142. 145. Supereſt quaeſtio memoranda, vtrum camphora calefaciat, an refrigeret? Non deſunt vtramque in partem diſſentientes auctores, ſententiae ſuae robur ſinguli ab experimentis repetentes, quorum qui prius affirmant, producere anguſtias, ebullitiones et intenſiores aeſtus dicunt, LVDOV. *Pharm. de diaph.* qui vero poſterius, contrarium ſe obſeruaſſe teſtantur. Atque in horum numero maxime eſt HOFF-

MANNVS, qui nec a maiori doſi ſcrupuli vnius vel drachmae dimidiae in ſpiritu vini diſſolutae et ſano homini exhibitae cum ſufficienti vehiculo, neque maiorem aeſtum, neque pulſum adauctum, ſed potius manifeſtum refrigerium, praeſertim circa praecordia, obſeruaſſe ſcribit; imo addit, quod vncia ſpiritus vini ingeſta vel vnicus hauſtus vini generoſi plus caloris corpori inferat, quam duae drachmae camphorae, *diſſ. cit.* §. 10. A priori etiam hanc virtutem refrigerantem in ſe ſuſcepit demonſtrare Cel. TRALLES peculiari libro a. 1734. emiſſo. Verum ipſe ille vir doctiſſimus haud ita pridem contrarium effectum in proprio corpore inde percepiſſe confeſſus eſt *Hiſtor. choler.* p. 75. 76. Excalefactoria virtus, ſi dicere licet, quod ſentiam, magis omnino mihi videtur probata eſſe, neque poterit quisquam ſibi temperare, quin profiteatur iſtam, velit drachmam dimidiam ſpiritus vini camphorati per duo ſaltem minuta horae ore continere, idque eo colluere; certe enim non de calore tum conqueretur, ſed de ardore igneo et vrente ipſum habitum reddente igneum. Non ideo tamen camphoram ego cum LVDOVICO et aliis damnandam vel reiiciendam puto; excalefacientibus quippe aeque opus habemus, quam refrigerantibus, iſtaque non minus medicamentorum ſecurorum titulum, quam haec, vindicare ſibi poſſunt. Refrigerandi autem ſcopo nunquam quemquam vidi aſſumſiſſe camphoram, ſolam puta eam, non cum nitro vel aliis temperantibus remixtam. Inter remedia, quae venerem extinguunt, vulgo etiam referunt camphoram; verum id minime experientiae conſentaneum eſt, vt potius cupiditatem coeundi iſta concitet, HOFFM. *diſſ.* §. 10. aut ſaltem non adimat, vt PAVLLI expertus eſt *M. N. C. dec. I. an.* VI. VII. cuius ſuaſu mater filio ſuo per aliquot ſeptimanas in omni fere cibo ac potu camphoram dedit, qui tamen minime ab indole ſua puellarum amantiſſima receſſit.

Ele-

Elemi.

Elemifera, PLVKN. *Phyt.* 173. 218. Icicariba, MARGGR. *Braſ.* 98. Terebinthus maior petulae cortice, fructu triangulari, SLOAN. *Iam.* CATESB. *Carol. I.* t. 30. Arbor nouae Hiſpaniae.

Reſina cerae flauae colore ſimilis, ad viridiuſculum inclinans, ſaporis modice acris et amari. Tumores diſcutit, vlcera mundificat et conſolidat, in vulneribus capitis, tendinum, et neruorum egregia. Rheumaticos dolores in ſuffimentis mitigat. Interne pro roborante atque diuretica medicina commendabilis, in gonorrhoea inprimis diuturna et fluore albo, ſub pilularum forma aliis admixta.

Maſtix.

Lentiſcus ex Chio, TOVRNEF. *Itin. I.* p. 285. Piſtacia foliis abrupte pinnatis, LINN. *H. Cliff.* 436. Sunt proprie quatuor ſpecies lentiſci, quae maſtichen plorant, prout *du* HAMEL a duobus fide dignis viris, DIGEON et CONSINERI, accepit, *Tr. des arbr.* I p. 356.

Reſina fragilis, granulata, pallide flaua, fere pellucida, odoris non ingrati. Calefacit, et roborat; vnde in capitis grauitate, vertigine, apoplexia, paralyſi, cardialgia, vomitu, alui fluxu, gonorrhoea, fluore albo mulierum remedium eſt. In ſuffimento pro vſu oeconomico et medico in odontalgiis et otalgiis, vteri et ani procidentia, frequentiſſimi eſt vſus. In chirurgia vnguentis digeſtiuis, balſamis vulnerariis, et emplaſtris roborantibus et diſcutientibus additur.

Sandaraca.

Eſt reſina iuniperi. Neruoſas et membranoſas partes firmat, humores acres corrigit, et conſolidantem virtutem obtinet.

San-

Sanguis Draconis.

1. Draco arbor indica ſiliquoſa, populi folio, Angſana vel Angſana Iamaica, COMMEL. *hort. I. t.* 109. Pterocarpus, LINN. *Fl. Zeyl.* 417. 2. Palma prunifera foliis Yuccae, fructu racimoſo, ceraſiformi, oſſiculo duro cinereo, piſi magnitudine lacrymam ſanguis draconis fundens, BEAVMONT *Catal. hort.* in India orientali.

Reſina arida coloris coccinei, in tabulas vel glebas oblongas magnitudine glandis, foliis iunceis incluſas, formata; ex quanam vero arbore ea deſumta ſit, an ex priori, an poſteriori, incerti ſumus. Virtutem adſtringentem poſſidet; hinc externe ad vlcera manantia ſiccanda, vulnera glutinanda, vacillantes dentes firmandos, et haemorrhagias, albumine oui ſubacta, adhibetur. Interne itidem in haemorrhagiis, dyſenteria et fluore albo a ſcrupulo vno vſque drachmam vtilis eſt. Illa in tabulis impurior eſt, et coloris minus elegantis, quam quae in globulis.

Tacamahaca.

Tecomahaca, HERN. *Mex.* 55. PLVKN. *Phyt.* 228. f. 2. *Voyage du* CHEVAL. *de* MARCHAIS III. p. 260. Arbor in Indiae occ. noua Hiſpania et Mexico.

Color reſinae quodammodo pellucidae, ex flauo rufus; ſapor aromaticus leuiter amarus, odor non ingratus; virtus roborans, reſoluens, et ſiccans; vſus praecipuus in ſuffitu ad dolores rheumaticos, odontalgias et otalgias mitigandos; et in emplaſtro ad cephalalgiam et vertiginem, vbi capiti, et ad vomitum, inflationem ventriculi, colicam, diarrhoeam, vbi ventriculo et regioni hypogaſtricae ſuperhabetur.

II. IN-

II. INFREQVENTES.

Abietis reſina.

Abies, vulgo rubra dicta, eam ſtillat, et in Heluetia inprimis copioſe colligitur bis in anno, *du* HAMEL *des arbr.* I. p. 8. 11. In decocto ad ſcorbutum et arthritidem prodeſt. Norlandi ſaepius maſticant, LINN. *Fl. Lappon.* p. 278.

Kikekunemalo.

Ex arbore americana deſumitur, quae vero nondum deſcripta eſt. Habetur pro ſpecie Copalis, et puritate atque elegantia ipſi adhuc praecellit. In ſuffimigiis ad affectus eryſipelaceos et arthriticos laudatur.

Pini reſina.

Ad eadem facit ac abietis. De collectione eius atque praeparatione optime ſcripſit *du* HAMEL *l. c.* II. p. 141.

III. EXSOLETAE.

Copal.

Rhus obſoniorum ſimilis americana, non ſerrata, foliorum rachi medio alata, PLVKN. *Phyt.* 56. f. 1. Rhus foliis pinnatis, petiolo membranaceo articulato, ROY, *Lugdb.* 244. Rhus elatior, foliis impari pinnatis, petiolis membranaceis articulatis, GRON. *Virg.* 149. in America ſeptentrionali.

Reſina ſuccinei coloris et duritiei, pellucida et bene odorata. In frigidis catarrhalibus affectibus ſuffitibus additur, et aeque efficax ac olibanum et anime cenſetur, reſoluendo ac diſcutiendo ſpiſſos humores, partesque debilitatas roborando. Praecipue vero vernici conficiendae ſolidae et nitidiſſimae adhibetur.

Ver-

Vernix.

Arbor americana, alatis foliis, ſucco lacteo venenata, PLVKN. *almag.* 45. t. 145. f. 1. Toxicodendron foliis alatis, fructu rhomboide, DILLEN. *H. Elth.* 390. t. 292. f. 377. Rhus foliis pinnatis integerrimis, petiolo integro, LINN. *mat. med.* 151. Arbor Poyſon wood-Tree, *Phil. Trans. n.* 367. p. 145. Sitz ſ. Sitz dſiu, KAEMPF. *amoen.* 791. t. 792. in America ſeptentrionali et Iaponia.

Venenata ipſi qualitas eſt, qua tamen ad haemorrhoidum dolores compeſcendos valet. Ceterum in truncis *Cedri* arboris diſ-iſſae ſubinde etiam reſina reperitur, quam hoc nomine inſigniunt. *du* HAMEL *des arbr.* I. p. 141.

CLAS-

CLASSIS XI.

G V M M I.

I. VSITATA.

Arabicum gummi ſ. *Senegal.*

Acacia, C. B. *Pin.* 392. Mimoſa ſpinis geminatis diſtinctis, foliis duplicato-pinnatis, particularibus vtrinque quinis, pluribus, LINN. *H. Cliff.* 209. Mimoſa ſpinis ternis, intermedio reflexo, foliis bipinnatis, floribus ſpicatis, ID. *ſpec. pl.* p. 521. in Arabia.

Gummi ex albo flaueſcens, pellucidum, ſaporis glutinoſi. Tenues humores incraſſat, acres inuoluit; proptereaque efficax in tuſſi, raucedine, lippitudine, ardore vrinae (BOYL. *vtil. ſimpl. med.* p. 119. DANIEL *med. Beytr.* P. III. p. 118.) et dyſenteria, abſente feruore, ad drachmam (HEIST. *comp. pract.* p. 342.), Ad fiſſuras mammarum etiam optime conducit inſperſum. ID. *Wahrnehm.* p. 267. Haemorrhagiis quoque ſiſtendis vtile eſt, et in ambuſtis cum albumine oui applicatum, puſtulas praecauet, et dolorem mitigat. Ceterum praeſens colicae remedium audit, quando lacte calido ſolutum, quoad eius fieri poteſt, dum calet adhuc, hauriendo conſumitur. *Voyag. de* MARCHAIS III. p. 142.

Tra-

Tragacantha.

Aſtragalus aculeatus fruticoſus Maſſilienſis, PLVKN. *alm.* 60. Tragacantha, C. B. *Pin.* 388. Aſtragalus caudice arboreſcente, petiolis ſpineſcentibus, LINN. *Sp. pl.* p. 762. circa Alepum, in Candia, et monte Ida. Icon eſt apud *du* HAMEL II. p. 346.

Inſtar vermiculorum contortam figuram refert, coloris albi vel lutei, quarum haec impura *communis* audit, illa vero *ſelecta*. Vſus idem eſt ac gummi arabici. Non ex radice vulnerata profluit, vti vulgaris opinio eſt, ſed ex caudice et ramis, teſte *du* HAMEL *l. c.*

II. MINVS VSITATA.

Olampi.

Ex America adfertur pellucidum, pallidi coloris, ſaporis ſubdulcis, parum adſtringentis. Cum arabico gummi conuenire videtur.

III. OBSOLETA.

Ceraſorum gummi.

Rubellum, paria praeſtat cum prioribus. In aceto coctum et calide cum linteis applicatum ad dolores arthriticos laudat TIMAEVS *Epiſt. l.* 5. *ep.* 1. p. 341.

CLAS-

CLASSIS XII.

GVMMI-RESINAE.

I. VSITATAE.

Ammoniacum.

Ex ferulacea planta, nondum bene cognita, exſtillat, et tam ex India orientali, quam ex Lybia adfertur. Odor grauis et nauſeoſus, fere alliaceus, ſapor amaricans. Virtus reſoluendi ſpiſſos et tenaces humores admodum potens, vt in ſcirrhis nondum confirmatis nihil efficacius dari poſſit. Solutum vino aut extractis ſubactum commode ſumitur. Maiori paullo doſi aluum mouet. In emplaſtris frequens vſus eſt in tumoribus glanduloſis et mammarum a lacte coagulato et poſt ablactationem, ipſorumque viſcerum indurationibus diſſoluendis.

Aſa foetida.

Aſſa foetida Diſgunenſis, vmbellifera, leuiſtico affinis, KAEMPF. *amoen.* 535. t. 536. Ferula foliis alternatim ſinuatis obtuſis, LINN. *mat. med.* 118. Icon habetur in WEINM. *Phyt.* t. 181. Frutex in Perſia creſcit.

Odor admodum nauſeoſus et foetidus, ſapor acris et mordax. Ad conuulſiuos motus valde efficax eſt; deinde ad colicam, et ad vermes a duobus granis vsque ad quatuor. In ſopore ex apoplexia relicto valde laudat RENDTL. *Warſau.* p. 219. Indi ipſa quotidie vtuntur ſic, vt orbem, dum carnes edunt, illa

illinant. Externe cutim rubefacit, et veſicas excitat, et verrucas tollit. In aceto ſoluta ozaenae et paronychiae vtiliter admouetur.

Bdellium.

Arbor hanc lacrymam plorans nondum innotuit. Accipimus vero eam ex Arabia et India. Color eſt fuſcus, quodammodo ruffeſcens, ſapor ſubamarus, color gratus, inprimis ſi accenditur. Externe reſoluit et diſcutit, vnde in emplaſtris ad tumores expediendos, et maturandos abſceſſus adhibetur. Interne laudatur ad vlcera pulmonum, et nimium fluxum menſium atque haemorrhoidum. HOFFM. *med. ſyſt. IV.* P. 2. p. 94.

Caranna.

Flahueliloca Qhauitl, HERNAND. *Mex.* Arbor mexicana. Thus redolet, saporem habet amaricantem, colorem ex fuſco luteum. Externo vſu bdellio aequiparatur, et ſimul traumatica eſt. Internum ſpecialem nullum noui.

Hederae gummi.

Eſt lacryma hederae arboreae, in India, Italia, Prouincia et Languedocia inciſione prolecta, ex nigro fuſca, ſaporis quodammodo aromatici, odoris grati, cum frangitur, ſplendens. Roborat, et in atoniis viſcerum, imi inprimis ventris, hodie adhibetur.

Olibanum.

Cedrus hiſpanica procerior, fructu maximo nigro, TOVRNEF. *inſt.* 588. Iuniperus foliis quadrifariam imbricatis acutis, ROY. *Lugdb.* 90. in Hiſpania et Arabia.

Plus minus purum et diaphanum, odoris et ſaporis aromatici, modice adſtringentis. Roborat, digerit, calefacit, balſamicum et traumaticum eſt: quare interne in atonia viſcerum, in tuſſi humorali, diarrhoea, dy-

dyſenteria, et diabete adhibetur; externe in ſuffitibus contra catarrhos et rheumaticos dolores, in linimentis vero et balſamis vulnerariis vt digerens, maturans et conſolidans applicatur; emplaſtris neruinis, roborantibus et diſcutientibus etiam addi ſolet. Chirurgis denique in pulueribus contra eryſipelata et in formentis ad gangraenas et alias inflammationes familiare eſſe conſueuit.

Scammoneum.

Conuoluulus ſtyriacus, MORIS. *Hiſt.* II. p. 12. Conuoluulus foliis ſagittatis poſtice truncatis, pedunculis ramoſis bifloris, ROY. *Lugdb.* 427. in Syria, Myſia, Cappadocia. Icon eſt in *obſeruat. by a Societ. of phyſic at London I.* n. 3. In Anglia nuper ex ſemine Cl. COLLINSON plantam educauit.

Radix plantae inciſa certo anni tempore hanc lacrymam plorat, cuius quinque partes reſinoſae ſunt, ſexta tantum gummoſa. *Commerc. Nor.* 1733. p. 60. Color ex nigro cinereus eſt, ſapor et odor acris et nauſeoſus: dum maſticatur, lacteſcit. Humores per inferiora citra tormina purgat a granis ſex vsque quindecim datum, optimeque ex aqua tritum ſub emulſionis forma ad mentem SYLVII. Imbecillis etiam pharmacis eius nonnihil vtiliter permiſcetur, vt eorum aut tardiorem vim acceleret, aut ſopitam exſtimulet. Foetidiſſima excrementa reddit, ob id, quoniam celerrime ſanguinem diſſoluit, et in ſerum commutat. *van* SWIETEN. Olim ſulphuris fumo corrigere ſoliti ſunt, tumque *Diagrydium* vocarunt. Hoc ſaeculo vero BOVLDVC cum ſucco liquiritiae non minus depurare docuit, quam in aqua ſaltem ſale tartari impraegnata ſoluere, iterumque lente exſiccare, cuius nunc quatuor viginti grana vsque octo et quadraginta dantur. *Mem. de l'Ac. de Par.* 1702. p. 87. Verum omnes eiusmodi praeparationes in pharmaco prorſus non violento ſuperuacuae ſunt. Ceterum virtutem febrifugam nonnulli in eo quaerunt. BLEGNY *Zodiac. med. ann. I. M. Oct. obſ.* 2.

Styrax Calamita.

Styrax folio mali cotonei C. B. *Pin.* 452. Styrax, LINN. *H. Cliff.* 187. Arbor manſueta in Italia, Creta, Syria, Palaeſtina.

Subſtantia pinguis, cum tenacitate fragilis, in informes maſſas coacta, odoris ſuauiſſimi, ſaporis ſubacris cum aliqua dulcedine, coloris e flauo rufeſcentis. Calefacit, roborat, ſiccat, anodyna eſt. Tuſſim lenit a feroſa colluuie ortam. In cucuphis et ſuffitibus capitis doloribus et imbecillitati medetur. Inſeruit etiam ſuffimentis pro conclauibus.

II. INFREQVENTES.

Euphorbium.

Euphorbium cerei effigie, caulibus craſſioribus ſpinis validioribus armatum, COMM. *hort.* I. p. 21. SEB. *theſ.* I. p. 29. t. 19. f. 2. Euphorbium polygonum ſpinoſum, cerei effigie, ISNARD *act.* 1720. p. 500. t. 10. Euphorbia aculeata nuda multangularis, aculeis geminatis, LINN. diff. 3. * in Aethiopia et Africa habitat.

Vis ei cathartica valentiſſima eſt, ob vrentem acrimoniam, quae etiam efficit, vt vehementiſſimas excitet ſternutationes, interdum vix compeſcendas et conuulſiones minitantes. A paucis granis vsque duodecim ad aquas hydropicorum euocandas et in grauioribus obſtructionibus viſcerum, atque paralyſi, amauroſique nonnulli adhibere ſolent, PERRY *account of hyſteric. paſſ.* In cute emplaſtri forma applicatum, phoenigmi et veſicantis effectum exſerit. In carie oſſium denique ceu praeſtantiſſimum medicamentum abs Chirurgis adhibetur.

Gummi Galda.

Elemi odorem et virtutem aemulatur. Coloris eſt ſubgryſei. Arboris, cuius lacryma eſt, notitia adhuc deſideratur.

Gum-

Gummi Guaiacum.

Ex arbore, quae lignum eiusdem nominis largitur, effluit, non confundendum cum *reſina*, quae ex ligno ſpiritus ardentis ope extrahitur. Remedium eſt in affectibus catarrhalibus et impuritatibus humorum, commodeque inter pilulas recipitur ad quatuor, ſex, vel octo grana.

Gummi Gutta.

Coddam-pulli. RHEED. *H. Malab.* I. p. 41. t. 24. Cambogia, LINN. *Fl. Zeyl.* 195. Arbor nondum accurate deſcripta.

Sapor acris et nauſeoſus, color e rubro flaueſcens; quodammodo pellucet. Validum eſt ſurſum et deorſum purgans, et in hydrope inprimis praeſcribitur a granis duobus vsque decem incipiendo a doſi minori, ſenſimque adſcendendo. Optimum eſt, cum ſale medio miſcere, aut extracto ſubigere. Correctio per acetum aut ſulphuris fumum hodie fere exoleuit.

Gummi Look.

Ex Iaponia affertur, et ſicut maſtiche temporibus contra capitis et dentium dolores imponitur. Colore ſuccinum aemulatur. Arbor illud plorans nobis non conſtat.

III. OBSOLETAE.

Opopanax.

Panax coſtinum, C. B. *Pin.* 156. Panax heracleum, MORIS. *hiſt. III.* p. 315. Paſtinaca foliis decompoſitis pinnatis, LINN. *H. Cliff.* 105. in Graecia, Italia, Sicilia, Prouincia.

Amarum eſt, acre, graueolens, extus rufum, intus flaueſcens. Tanquam reſoluens medicamentum in aſthmate pituitoſo, paralyſi et ad menſes mouendos ad-

hibetur. Externe diſcutit et rubefacit. Ad tumores reſoluendos in Chirurgia adhibetur.

Sarcocolla.

Tithymali myrſinitis ſpecie arbuſcula aethiopica, ſubrotundis foliis, e ſtoechadis arabicae ſquamato capitulo duro lacrymam fundens, PLVKN. *Mant.* 183. t. 44. Penaea foliis ouatis planis, LINN. *ſpec. pl.* p. 111. in Perſia et Aethiopia.

Granulata, rufeſcens, ſubdulcis, acris et ingrati ſaporis. Ad glutinanda vulnera vulgo adhibetur, et emplaſtris glutinantibus additur. Vſus quoque eſt in collyriis conſolidantibus et ſiccantibus, at minime cruda, ſed lacte temperata, et cum aliis remediis aptis et albumine oui in linimentum redacta; ſiquidem acrimonia quandoque cauſtica ineſſe et aluum commouere dicitur. Cadere quoque capillos facit.

CLAS-

CLASSIS XIIII.

MIXTA GVMMI-RESINOSO-OLEOSA.

Galbanum.

Aniſum Africanum fruticeſcens, folio aniſi, galbaniferum, PLVKN. *Almag.* 31. t. 12. f. 2. Bubon foliis rhombeis ſerratis glabris, vmbellis paucis, LINN. *H. Cliff.* 96. in Aethiopia.

Odor ei grauis et aduerſus, ſapor leuiter acris et amaricans. Laudatur ex granis ſiccis coalitum, aridum, retinens nonnihil adiecti ſeminis, BERNHARD *Chim. Erfar.* p. 240. 241. Excalefacit, diſcutit potenter, ſphacelum ſiſtit, ſuppurationem promouet, dolores ex inflammatione ſubito ſedat, DIOSC. et BERNH. *l. c.* p. 243. ſeq. vlcera cancroſa purgat et ſanat, ID. p. 273. 267. haecque omnia in eſſentiae formam redacta, et cum linteaminibus applicata. Interne eadem eſſentia ad cochlear dimidium cum aqua per interualla ſumta egregia praeſtat in tuſſi veteri, difficultate ſpirandi, DIOSC. inflammatione pectoris, BERNH. *l. c.* p. 256. vbi etiam externe imponitur, ID. et DIOSC. melancholia, BERNH. p. 264. hyſterica affectione, DIOSC. et variolis tum interno vſu ad 30. guttulas, tum externo. BERNH. p. 263.

Ladanum.

Ladanum creticum, ALPIN. *exot.* 88. Ciſtus ladanifera cretica, flore purpureo, TOVRNEF. *coroll.* 19. 29. Arbuſcula fera in inſulis maris Aegei et Creta.

In ſpiras contortum eſt, coloris e fuſco nigri, ſaporis amaricantis, odoris grati. Reſoluit, diſcutit, roborat, et ſedatiuum eſt. In emplaſtris et ſuffitibus adhibetur. Interne quoque ad dyſenteriam laudatur.

Myrrha.

Colligitur ex arbore Africana, de qua nihil certi adhuc nobis conſtat. Amara, acris, et odorata eſt; ſed puritate differt, ſic vt in electam et communem hodie diuidatur, ab antiquis vero in plures ſpecies. DIOSC. Calefacit, roborat, ad veterem tuſſim (DIOSC. HOFFM. LOESEKE), orthopnoeam, in laterum pectorisque doloribus, in alui profluuio et dyſenteria vtiliter deuoratur, DIOSC. vel eſſentiae forma aut olei per deliquium aſſumitur. In tuſſi etiam manditur, vel oleum eius diſtillatum cum ſaccharo lactis aut vulgari deuoratur. Menſes et lochia et partum expellit, putredinem arcet, alexipharmaca eſt (PRINGLE), vermes necat, vulnera et abſceſſus expurgat et glutinat, *A. N. C. vol. VI. obſ.* 29. ventriculi flacciditati ſuccurrit: in ſuffitu paralyſi medetur, ERNDTL. *Warſau.* contra aeris miaſmata putrida ore maſticatur; etiam contra grauem oris halitum. In cereuiſia ſaturata ſoluta, et cochleatim bis die ſumta, varos, ſcabiem, tineam ſanat. BERNH. *Chim. Erf.* p. 284. ſeq.

Sagapenum.

Affertur ex Alexandria et Perſia, vbi planta nondum cognita illud ſtillat. Color ex flauo rufus eſt, intermixtis ſubinde particulis albicantibus; ſapor acris, odor aduerſus alliaceus. Craſſos humores pituitoſos diſſoluit, calefacit, diſcutit, per aluum purgat, menſium obſtructiones ſoluit, in aſthmate humorali vtiliſſimum eſt. Externe emplaſtris reſoluentibus et maturantibus additur. In ſuffocatione vterina aeque ac aſa foetida naribus ſubmouetur.

CLAS-

CLASSIS XIV.

SVCCI EXPRESSI ET INSPISSATI.

I. VSITATI.

Aloe.

Aloe foliis ſpinoſis confertis dentatis vaginantibus planis maculatis, LINN. *H. Cliff.* 131.

α) caballina.

Aloe Guineenſis caballina vulgari ſimilis tota maculata, COMM. *prael.* 40.

β) hepatica.

Aloe vulgaris, C. B. *Pin.* 386. Kadanaku, RHEED. *H. Mal. II.* p. 7. t. 3. in China et Barbados Americae Inſula. Icon eſt in *Act. Vratisl.* 1728. M. Aug. p. 1274. et *A. N. C. vol.* 3. *obſ.* 14.

γ) ſuccotrina ſ. lucida.

Aloe americana, ananae floribus ſuaue rubentibus, PLVKN. *Almag.* 19. t. 240. f. 4. Aloe ſuccotrina anguſtifolia ſpinoſa, flore purpureo, COMMEL. *hort.* *I.* p. 91. t. 48. in inſula Succotora.

Diu in ea opinione fuerunt auctores, haſce tres ſpecies officinales ex vna eademque planta colligi, atque ſaltem puritate inter ſe differre; verum res aliter nunc deprehenſa eſt. Hepatica quidem et ſuccotrina ex eadem ſpecie elici poſſunt, et ratione patriae tan-

tum differunt; caballina vero peculiari ſpecie colligitur. Haec omnium maxime nigreſcit et impura eſt; purior eſt hepatica; puriſſima vero omnium, non ideo tamen hepatica praeſtantior, ſuccotrina. Sapor ſingulorum amariſſimus, odor nauſeoſus. Pulcherrimum et innoxium purgans conſtituit, ad duo grana ſaltem cum ſale medio deglutita. Ventriculum roborat, eoque fine veteres omnibus catharticis, ne illis ſtomachus laederetur, admiſcuerunt. CELS. *L.* 2. *c.* 12. p. m. 95. Porro viſcerum obſtructiones ſoluit, et crebriori vſu, in diſpoſitis, ani venas; vermes etiam expellit. Externe balſamicam et traumaticam virtutem in vulneribus et vlceribus exſerit, in puluere aut eſſentia ipſis applicata: haemorrhagias etiam ſiſtit: oculis epiphora laborantibus vtiliter inſufflatur. In pollingendis cadaueribus optimum balſamum conſtituit. Ad vitam longam conferre primaeui Medici crediderunt. Caballina ob impuritatem veterinariis tantum in vſum cedit. Pro ſcopo purgandi nonnulli ſuccotrinam hepaticae praeferunt, BOVLDVC *Mem. de Par.* 1708. contrarium vero ſtatuit FISCHERVS *Tr. de Senio* p. 175. In gummoſa parte vis purgandi maxima reſidet, quam proinde a reſinoſa variis menſtruis, aqua frigida, ſuccis variarum plantarum, vel alio quocunque modo, ſeparare conſueuerunt. Atque talem gummoſam aloen maxime expeti et laudari videmus a STAHLIO, multisque aliis ab eo deductis viris. Plebeii et ruſtici purgandi ſcopo aloen crudam ad dimidiam drachmam deuorant.

Betulae ſuccus.

Betula, C. B. *Pin.* 477. Betula foliis acuminatis ſerratis, LINN. *Fl. Suec.* 776. Arbor vulgaris.

Is ſuccus vere ex arbore, inciſo cortice, copioſe fluit. Tenuis eſt, et limpidus, ſaporis non ingrati et aciduli. Contra calculum tum praeſeruatiue tum curatiue commendatur ab HELMONTIO *Tr. de lithias. c.* 8. §. 24. Adeoque diureticus eſt, vt diabeten

fe-

fecerit, SPIES *de herb. antinephr.* Sed primo tantum vere vtilis eſt: poſtquam enim arbor folia iam protruſit, ingratus ſtillat. Porro vero is ſuccus ſcabiem ſanat, ſi ſingulo mane ad libram dimidiam potatur, quod experimento confirmat BASS *dec.* 4. *obſ.* 10. p. 322. et ſimiliter quoque ad ſcorbutum et icterum prodeſt. Saccharum inde parari poſſe, habet LINN. *Fl. Suec.* p. 776. cum ſaccharo ipſo vero fermentatus in vinum tranſit, muſcati ſapore, BLAIR *Pharm. bot.* p. 160. Ad ſiceram cum prunis aut groſſularia aptiſſimus eſt, idque poſterius Curonis eſt familiare, BRESLAV. 1725. M. Nov. itemque ad cereuiſiam parandam. *E. N. C. dec. I. an. IV. obſ.* 281. et *Act. Hafn. an. I. obſ.* 19. et *Phil. Trans. n.* 68.

Catechu ſ. Terra iaponica.

Areca frondibus pinnatis, foliolis oppoſitis lanceolatis plicatis, LINN. *H. Cliff.* 392. Caunga, RHEED. *H. Mal. I.* p. 5. t. 5-8. Arbor in Malabaria, Zeylona et Mombaim creſcens.

Succus exprimitur e fructu huius arboris, tumque ſolis calore ad ſolidam et compactam maſſam caſtanei coloris inodoram, ſubamaram, poſteaque dulciorem inſpiſſatur. Virtus ei roborans et adſtringens eſt: vnde interne in alui fluxibus, gonorrhoea, mictu ac vomitu cruento adhibetur a ſcrupulo vno vsque drachmam dimidiam, vel in eſſentia; externe vero ad laxitatem et vlcera gingiuarum. Cl. DEIDIER ad conſolidandum vlcus ventriculi etiam illo vſus eſt, *Conſult. II.*

Manna.

Fraxinus humilior ſ. altera Theophraſti, C. B. *Pin.* 416. Fraxinus floribus completis, LINN. *H. Cliff.* 470. Arbor manſueta in Sicilia, Calabri a regno Neapolitano.

Subſtantia grumoſa, viſcoſa, ex albo flaueſcens, ſaporis dulcis, ſubacris et nauſeoſi, ex dicta arbore vel

ſpon-

ſponte vel ex vulnere, quod M. Auguſti faciunt, ſucci liquidi forma ſudans, et ſolis calore in conſiſtentiam ſolidam ſiccata: qualem colligendi modum optime deſcribunt BOCCONE in *Oſſervaz.* TARGIONI in *Viaggi T. V.* et MORE in *Phil. Trans. n.* 495. p. 470. Colore et forma diuerſae occurrunt ſpecies, quae etiam puritate et impuritate diſtinguuntur. Albiſſima optima iudicatur, cui ſuccedit flaueſcens; ratione formae in minoribus granulis occurrens granulata; in maioribus grumis maſtichina; cannarum excavata figura cannulata; in glebas vero maiores compacta luteo fuſci coloris ignobilior habetur. Aluum blande et ſine torminibus, at non ſine inflatione, expurgat. Infantibus bimulis aut etiam iunioribus dari poteſt duarum triumue drachmarum pondere, aqua communi, hordei aut pulli iuſculo diluta; adultis vero et aetate florentibus ad duas vel tres vncias. Inprimis vero manna in thoracis affectibus pituitoſis prae aliis euacuantibus commodiſſime datur, HOFFM. *diſſ.* deinde quoque hypochondriacis, ID. et melancholicis, BACHOT. *qu. med.* denique in variolis confluentibus, HEISTER *diſſ.*

Ceterum notari meretur, et *Laricem Brigandinam* mannae grana menſibus Maii et Iunii exſudare, *Mem. de Par.* eaque a Brigandinis etiam colligi et vſurpari, quamuis haec manna duplo debilior ſit calabrina, SAVRIN apud CHOMEL *Suppl.* p. 19. et *Hedyſarum* quoddam in Perſia, quod vulgo *Alhagi* vocant, LINN. *Spec. pl.* p. 745. qualem mannam vidit Cl. FOTHERGILL *Phil. Trans. n.* 472. art. 14.

Opium.

Eſt ſuccus inſpiſſatus ex inciſis capitibus papaueris ſatiui in Aſia paratus, ſaporis acris et amaricantis, odoris grauis narcotici. Inter ſtupefactiua ſummum locum obtinet. Irritabilitatem atque ſenſibilitatem fibrarum ſubito deſtruit, HALLER *Comm. Goett.* II.

p.

p. 157. WHYTT *new obſerv. by a Soc. of Edinb.* II. *n.* 20. etiam in anum ſaltem per clyſterem immiſſum aut in vulnus, ID. *l. c.* et LORRY; praeterea vero ſimul eas partes, quibus applicatur, adurit et inflammat. Sanguini admiſtum, eum diſſoluit, SCHWENKE *Haematol.* p. 188. maioremque ſeri copiam, quam a ſanguine ſibi relictam, ſeparat, eamque dein pene totam in gelatinam conuertit. *Comment. Bonon.* I. p. 159. Hi ſunt primarii opii effectus: ſecundarii vero ſunt, excretiones alui, vteri, pectoris, ſiſtere, haemorrhagias coercere, dolores quoscunque ſedare, ſepticorum virtutem, ſi admiſtum ipſis fuerit, infringere. IOVNG *Treat. of Opium.* Maniacis etiam profuiſſe, habent WEPFER *de apopl. app.* p. 687. et CHISI in *letter. medich.* p. 27. Quamquam contrarium horum effectuum in nonnullis obſeruatum legimus, peruigilium nempe a STENZELIO *Tr. de Somno* p. 150. 151. excretiones per pectus et aluum auctas a BAVERO in *A. N. C. vol. II. obſ.* 94. furorem in maniacis auctum a MEADIO et LORRY. Et de Turcis conſtat, quod pro concitanda venere et concilianda animoſitate illud deuorant; hancque virtutem etiam in aliis probant. *E. N. C. Dec.* I. et VI. *obſ.* 69. et *A. N. C. vol.* II. *obſ.* 94. Narcotica virtus maxime in principio ſulphureo valde ſubtili quaerenda eſt, quod ex viroſo partim odore colligimus, et imminutione huius virtutis per coctionem, partim vero ex ſumma eius velocitate, qua antequam in ſanguinem transfertur, lethalem iam ſomnum inducit, quod experimento in cane inſtituto BOERHAAVIVS probauit *Prael. T.* VI. p. 246. Oleoſis empyreumaticis partibus omnem effectum quidem, adiuuante ipſum nonnihil ſale volatili. STANCKARIVS adſcribit, *Comm. Bonon.* I. p. 161. verum in opio crudo tales non adſunt: licet non negem, quod idem Cl. V. contendit, oleum empyreumaticum animalibus datum, ipſa interficere, idque citius, ſi ex ſale volatili aliquantum ipſi adiiciatur. Ob virulentiam vix crudum in vſum venit, ſed di-

diuerſis modis depuratum et correctum. Crudi doſis eſt granum vnum, vel ad ſummum duo; correcti paullo maior, ſed diuerſa, prout nempe plus minus inde ipſius virtus cicurata fuit. Ex papauere Europaeo ſimilem ſuccum viroſum parari poſſe, haud pauci annotarunt. In Anglia ſola inciſione capitum perfectum opium obtineri, confirmat ALLEYNE *Diſpenſatory* p. 58. etſi in Germania id non perinde ſucceſſiſſe, in *E. N. C.* legamus. In Heluetia parauit CONST. *de* REBEQVE ex capitibus extractum vinoſum, opio paullo debilius, cuius doſis a grano vno ad quinque eſſet, *Medic. Heluet.* p. 152. 153. vulneratorum vero lacryma ad vnum granum ſufficit. DILLEN. *E. N. C. cent.* IX. *obſ.* 43. In Gallia denique BOVLDVCCIVS extractum parauit, quod ad duo, tria, quatuor grana eundem effectum ederet; apud nos vero Ill. HALLERVS *enum. plant. Hort. reg.* p. 88.

Saccharum.

Arundo ſaccharifera, C. B. *Pin.* 18. SLOAN. *Iam.* I. p. 108. t. 66. in humidis vtriusque Indiae.

Succus eſt dulciſſimus, lixiuii alcalini acceſſione in ſiccam conſiſtentiam redactus. Vſum oeconomicum non attingo. Medicus potiſſimum externus eſt. Clyſteribus additum ſtimuli loco inſeruit. Vlceribus inſperſum, ea mundificat et detergit, magis tamen album et nobilius, ob maiorem vim calcarearum partium, quas ex lixiuio calcis viuae habet, quam ignobilius. SHORT. Oculis inſufflatum ſordes abſtergit, et nubeculas ac pannos delet. Naribus immiſſum pituitam prolicit. Aphthis infantum infricatum, eas detergit. Vſus in ſuffimigiis notus. Liberalius interne ſumtum pinguedinis generationem impedire dicitur, hinc macilentis nocere, BOERH. *Chem.* II. p. 159. CARTHEVSER *Mat. med.* I. p. 462. at ſine certo, quod ſciam, experimento. Variis medicamentis non ſolum ad gratiam conciliandam, ſed conſeruandam quoque virtutem additur. Saccharum enim a putredi-

ne

ne plantas et animalium partes valide omnino praeſervat. Denique ſaccharum quoque antidotum eſſe acerrimi illius veneni vegetabilis, quo Americani tela ſua imbuunt, quibus animalia ſubito interficiunt, ſi protinus gallinis in ingluuiem intrudatur, itinerum ſcriptores fidem faciunt.

Addimus nunc, ſaccharum non ſolum parari ex arundine ſaccharifera, verum etiam ex Acere americano, DIEREVILLE *Voy. d'Acad.* 109. KALM. *Act. Suec.* 1751. Europaeo, DAHLMANN *libr. cit.* 1754. alga Islandica, BARTHOL. *act. Hafn.* I. BIORNO PAVLI *diſſ.* aloe quadam americana, MARGGRAF *Hiſt. Braſ. L.* 1. *c.* 18. apocyni ſpecie, SARRAZIN *Mem. de Par.* 1703. Palma coccifera, MARGGR. *l. c.* p. 140. et pluribus radicibus indigenis, betae albae, rubrae, ſiſari, dauci, vnde elegantiſſimum obtinuit MARGGRAF. *Hiſt. de l'ac. de Berl.* 1747. p. 49.

II. EXSOLETI.

Acaciae verae ſuccus.

Ex ſiliquis immaturis arboris, quae gummi arabicum ſuppeditat, exprimitur, inſpiſſatur, et in glebas aliquot vnciarum pondere cogitur, quae veſicis inuolutae ad exteros poſtea transmittuntur. Color eſt nigricans, ſapor primo ſubdulcis, dein auſterus non ingratus: hinc virtus adſtringens et incraſſans, ob quam in ventriculi imbecillitate, vomitu, et profluuiis qualibusque adhibetur a ſcrupulo dimidio ad vnum, et commodiſſime quidem in pilulis, electuariis, vel bolis. In angina gargariſmatibus additur. Aegyptii ad oculos roborandos et ab inflammatione defendendos vtuntur. ALPIN. Apud nos ſuccus fructuum pruni ſylueſtris ſubſtituitur, cuius vero vſus, inprimis internus, aeque parum tutus eſt. Eo quotidie exhibito, CARRICHTERVS Ferdinandum I. ex pectore laborantem necaſſe, ſcribit CRATO in *ep.*

Hy-

Hypociſtidis ſuccus.

Hypociſtis omnino lutea ſ. ochrae colore, CLVS. *hiſp.* 143. Aſarum foliis ſeſſilibus imbricatis, floribus quadrifidis, LINN. *Mat. med.* 220. Planta paraſitica ſuper radices Ciſti in Turcia, Creta, Gallo-Prouincia, et Gallia Narbonenſi; cuius iconem vide apud *du*HAMEL *des arbr.* I. p. 170. t. 68.

Is ſuccus e fructibus recentibus exprimitur, et paria praeſtat cum ſucco acaciae.

CLAS-

CLASSIS XV.

CORPORA SVBMARINA PLANTIS ANALOGA.

Corallia. α) *alba.*

Corallium album oculatum officinarum, I. B. *hiſt.* III. p. 577. Madrepora ſimplex ramoſa, ramis teretibus laeuibus tubuloſis, lamellis integris, LINN. *H. Cliff.* 481.

β) *rubra.*

Corallium rubrum, C. B. *Pin.* 366. Millepora rubra, ſtriis obſoletis flexuoſis, LINN. *Mat. med. regn. anim.* 66. in mare mediterraneo, Baltico, ſeptentrionali, etc.

Fruticem aſpectu aemulantur, ſed qui foliis deſtitutus eſt. Lapideam naturam habent, et cruſta tartarea recta ſunt, quae quamdiu ſubter aqua haeret, mollis et mucoſa eſt, poſt vero induratur. Inter plantas revera numeranda eſſent, ſi, quos MARSIGLIVS *Hiſt. de la Mer*, et nouiſſime quoque HILLIVS *eſſ. on nat. hiſt.* et TARGIONI *viagg. in Toſcan* II. vidit, flores haberent. At cum alii ex toto reclamant, polypos eſſe contendentes, qui flores illos imitentur, dum ſe explicent, inter quos Cel. PEYSSONEL *Act. Par.* 1727. IVSSIEV *ib.* 1742. et ELLIS *nat. hiſt. of the Corallin.* vt plures taceam, numerandi ſunt, qui adeoque domicilia eſſe polyporum, et ab his fabricata, contendunt; contra vero alii, vt Cl. GI-

NANNI *Opere poſthume*, et Equ. *de* BAILLOV *Memor. dell. Soc. Colomb.* I. *n.* 7. id rurſus negant, adeo nec polypos vnquam ibi videre potuerint: hinc tota quaeſtio de coralliorum ortu ſuſpendenda eſt, donec plures obſeruationes hanc vel illam ſententiam vel plus vel minus ſtabiliant. Adhaerent autem corallia baſi teneriori variis corporibus ſolidis ſubmarinis, lapidibus, conchyliis, animalium oſſibus, fictilibus etiam, aliisque rebus, quae forte in mare deciderunt, vt in aedibus Inſtituti Bononienſis marchaſita aſſeruetur, cui corallium adhaeret, *Comm. Bon.* T. II. P. I. p. 75. Ruber etiam et albus ramulus interdum ex vno trunco prouenit. MARSIGL. Leuem abſorbentem virtutem habent, praetereaque nil veri praeſtant. In rubris aliquid martialis eſt. GEOFR. *Mem. Par.* 1708. Vtraque vſta in calcem mutantur, quam nonnunquam etiam Gothlandi inde parant. LINN. *Cor. Balt.*

Spongia.

Spongia ad vſum praeſtantiſſima, foraminibus exiguis peruia, TOVRN. *inſt.* 575. Spongia tenax ſubramoſa, ramis difformibus perforatis, ROYEN. *Lugd. Bat.* 521. in mari.

Sanguinis profluuium ſiſtit, DIOSC, vlcera exſiccat, et vulnera conglutinat, ID. extus quidem impoſita; immiſſa enim dilatat ea. Combuſta inter pulueres aduerſus ſtrumas recipitur.

REGNVM

REGNUM ANIMALE.

CLASSIS. I.

ANIMALIA INTEGRA.

I. VSITATA.

Cancer fluuiatilis.

Aſtacus fluuiatilis, RONDEL. *Piſc.* 2. p. 210. Cancer macrourus, roſtro ſupra ſerrato, baſi vtrinque dente ſimplici, LINN. *Faun. Su.* 1249. inſectum.

Cancri et caro et ſuccus expreſſus, quia refrigerant et humectant, tabidis et hecticis proſunt; item ſcorbuticis, hypochondriacis, et arthriticis, imo etiam melancholicis; ſiquidem frequenti eſu gammarorum mulierem melancholicam, cum medicamenta deteſtaretur, vnice reſtitutam fuiſſe, RIVINVS teſtatur *diſſ. medic.* p. 142. SCHVLZIVS autem virum nouit, qui diaetae huius quotannis vſae beneficio ſcorbutica, quibus vexabatur, pathemata feliciter propulſauit, *diſſ. de Viper. vſu med.* §. 38. Succus cancrorum expreſſus laudatur inſuper in inteſtinorum inflammatorum et acrimonia corruptae materiae arroſorum vitiis, quale

quid in dyſenteria, itemque nimia purgatione, aut a venenis, induci ſolet. Additur talis ſuccus clyſteribus, indeque non ſolum aeſtus nimii contemperatio, verum etiam doloris mitigatio, tandemque conſolidatio conſequitur. Cinerem combuſti cancri antiquitas iuuare illos credidit, qui a cane rabido demorſi ſunt; ſed vereor, ne tanto malo impar athleta obiiciatur.

Cantharis.

Cantharis vulgaris officinarum, RAI. *inſect.* 276. Cantharis coeruleo viridis, thorace teretiuſculo, LINN. *mat. med. regn. anim.* 45. Inſectum foetidum calidiorum Europae regionum, quod aeſtiuo tempore turmatim accedit, at vix mora trium vel quatuor dierum apud nos facta, iterum abit, nec apud nos nidulatur vel oua ponit. Amat inprimis liguſtrum, barbam caprinam, ſyringam coeruleam, triticum et fraxinum.

Toti inſecto vis acris et vrens ineſt, qua, vbi aut intus ſumitur, aut cuti applicatur, corpori alienum fieri poteſt; hinc venenorum claſſi ab antiquis, et nonnullis quoque doctis viris recentioris aeui, v. c. VALISNERIO *Opp.* III. et IAN. PLANCO *diſſ. de Veſicant.* adſcriptum. Siquidem canales potiſſimum vrinarios ingenti ſtimulo contorquet, ipſumque non infrequenter ſanguinem ex hiſce tubulis cum ardore et inflammatione partium educit; idque non ſolum interno vſu contuſi pulueris, ſed et confricatae cutis contactu, ipſisque manu diutius detentis cantharidum carnibus, teſte BROGIANO *de Venen.* p. 66. Sed haec venefica qualitas non impediuit tamen Medicos nec primaeuos, nec recentiores, vt ipſorum vſum negligerent. HIPPOCRATES, venenum ſaltem in capite, alis, et pedibus quaerens, has partes abſtulit, et trunco vſus eſt, *de vict. acut.* §. 66. interne quidem ad potionem hydropicam, vt vrinam cieret, *l. c.* externe in peſſario ad pellendum ſanguinem vterinum, *L. I. de morb. mul.* §. 108. CELSVS ſumſit ad compoſi-

poſitionem pro putri carne continenda et leniter exedenda, p. 291. Ad hydropem vſi etiam ſunt puluere a duobus ad ſex grana recentiores Medici, vt IAC. GRAINGER, qui cum ſale alcalino dedit, *Hiſt. febr. anom.* Edinb. 1753. alii in iſchuria ad granum vnum, vt HELMONT, *de lithias. c.* 5. §. 14. et Ill. WERLHOFIVS in emulſione, *Commerc. Nor.* 1733. p. 356. Permultos interno vſu infuſi vinoſi a gonorrhoea maligna ſanaſſe, refert Medicum quemdam Lugdunenſem MATTHIADES *L. de Superfoet.* p. 660. et dedit etiam in dicto morbo laudatus WERLHOFIVS cum oſſibus ſepiae, *l. c.* Ad vlcera renum et veſicae, ad calculum et podagram laudauit maximus ipſorum patronus et defenſor, IO. GREENFIELD, *Treat. of the ſafe internal Vſe of Canthar.* Lond. 1706. qui camphoram ipſis ſemper admiſcuit, vnde mitigationem veneris expectaret. Vtcunque vero parcus et moderatus vſus internus prodeſt, immoderatus tamen valde nociuus eſt, imo adeo letalis. Sub hoc enim exempla laeſionum gulae, ventriculi, et inteſtinorum notata ſunt, dum ſcopo aphrodiſiaco ſumtae fuiſſent, *ab* ERASTO *de pharmacor. occult. pot. c.* 36. mictus cruentus et cum ipſo dolorifica tenſio colis et ſtranguria a SALMVTH. *L.* I. *obſ.* 81. III. 23. HENR. *ab* HEERS *obſ.* 9. inflammatio renum, veſicae, et colis in ſphacelum letalem tranſiens a LANZON. *animad.* III. 28. BARRERE *obſ. anat.* libido immoderata cum ſanguinis mictu a FOREST. *L.* 24. *obſ.* 7. inſatiabile item coeundi deſiderium, cui tumor ſcroti, et deficiente ſemine ſanguinis profuſio, et vndecimo die mors acceſſit. *M. N. C. Dec.* I. *ann.* 9. & 10. p. 323. Omnes iſti homines ſumſerunt ad nefandam libidinem excitandam cantharides ad vnam vel duas drachmas. Externe applicatae cum fermento panis aut emplaſtro ad quindecim aut viginti grana, corpori viuo veſiculas inducunt, et pro hoc ſcopo in apoplexia, cephalalgia, vertigine, malignis febribus, et rheumaticis arthriticisque affectibus adhibentur, vbique ſatis tuto

quidem, vt tamen omnino quoque mictionem dolorificam interdum efficiant, quin etiam ſanguinis mictum, febrem et ſimilia mala, ſi iuſto diutius ſuperhabeantur, aut vlceratae cuti denuo applicentur. ARETAEVS autem primus poſt ARCHIGENEM cantharidibus pro veſicatorio vſus eſt, ad capitis dolorem quidem, atque morbum comitialem: at is ipſe iam ab externo tali vſu internas noxas obſeruaſſe videtur, ſiquidem tribus diebus ante lac bibendum ſuadet, vt ne veſica offendatur, *de curat. morb. diut. L. I. c.* 4.

Coccinella.

Inſectum eſt. et ſpeciatim Pro-gallo-inſectum ad mentem REAVMVRII *Hiſt. des Inſect.* IV. *P. I.* p. 116. ouatum, hinc planum, hinc compreſſum, ſtriis transuerſis rugoſum, lentis minoris craſſitie, e gryſeo coeruleum, hexapodum, proboſcide inſtructum, viviparum, quod tritura puluerem purpureum largitur. In regno Mexicano et Peruano habitat, et nutritur inprimis Opuntia, cui copioſe inhaeret.

Reſoluentem et diureticam inprimis virtutem obtinet, vt in iſchuria feliciſſime eam adhibuerit LISTER *de morb. chron.* p. 176. in cachecticis morbis DELIVS *diſſ.* p. 23. 24. in incontinentia vrinae vero tincturam STRVVIVS, *Commerc. Nor.* 1732. p. 43. Pro lithontriptico etiam habetur, STISSER *act. lab. chem. Specim.* II. *c.* 6. licet non ſatis firmo experimento. Ad abortum et diarrhoeas laudat LEMERY *diction.* in febribus exanthematicis vt alexipharmacum DALE *Pharmac.* Alii vero tinctoribus relinquendam eſſe malunt, vt IVNKER *therap. gen.* p. 478. imo viroſum aliquid in ipſa ſuſpicatur, AMMANN. *manud. ad mat. med.* et pro infido medicamento habet. Datur a duobus ad quatuor vel ſex grana.

Formica.

Formica.

Formica media rubra, RAI. *Inſect.* 69. Formica rufa, LINN. *Faun. Suec.* 1020. inſectum, in ſyluis Europae.

Odorem penetrantem acidum ſpirat; oleum aethereum ſimul vehit, NEVMANN *A. N. C. vol.* II. *obſ.* 136. et vnguinoſum, MARGGRAF *Mem. de Berl.* Integrae cum aceruis ſuis diſtillantur cum ſpiritu vini, cui interne aphrodiſiaca et analeptica virtus adſcribitur; externe applicatus contra atrophias et paralyſes remedium praebet: vel pro balneo etiam decoquendae aſſumuntur in arthriticis morbis et pro membris atrophia correptis. Oua formicarum contrita, ſi ſuccum expreſſum auribus indas, corrigunt obauditionem et tinnitum aurium. SCHVLZ.

Kermes.

Coccus Querci Ilicis, LINN. *ſyſt. nat.* p. 61. Coccus Baphica, DIOSC. inſectum Hiſpaniae, Luſitaniae et Galliae inquilinum, folliculo incluſum, numero millenarium ſuperante, e quibus vnum pater eſt, duabus alis inſtructum, alterum mater ſine alis, cetera progenies parentum. HILL.

Recens coccus ſucco turget coloris coccinei, ſubamaricante, parum adſtringente, qui baſis eſt confectionis Alkermes, Monſpelii et Lugduni Galliae peculiari ſtudio paratae, ac vndiquaque transmiſſae. In ſucco, qui vero raro apud nos genuinus habetur, latet virtus roborans et analeptica, quam etiam ſiccatus coccus, ſed paulo debiliorem obtinet, cuius tamen tonica virtus extollitur in diarrhoea, dyſenteria, haemoptyſi, nimio menſium fluxu, et ad abortum praecauendum. Succo quotidie mane ad aliquot cochlearia parua epoto ſanata eſt debilitas memoriae, *Vermiſcht. Schr. aus der Natürl. Chim. und Arzeneyw.* I. *ſt. p.* 29. puluere et ipſo ſucco epilepſia idiopathica, *ib.* p. 32. 33. item profluuia ſanguinis et debilitates inde ortae, *ib.* p. 34.

Spiritus nitri dulcis extrahit tincturam egregiam in omnibus illis morbis proficuam.

Lumbricus terreſtris.

Lumbricus terreſtris maior, RAI. *Inſ.* 1. Lumbricus laeuis. LINN. *Faun. Suec.* 1271. Vermis reptilis, in terra abdita ſpongioſa vbique.

Recens lotus, a ſordibus purgatus, et praeparatus, anodynam virtutem, et diureticam et diaphoreticam poſſidere dicitur, ſpecialiterque prodeſſe in motibus conuulſiuis, arthritide, rheumatiſmis, et vrinae difficultate. At qui talem virtutem de lumbrico praedicant, nunquam eam indubio experimento, quo ſolo illo dato tales morbos ſuperaſſent, comprobarunt.

Millepes.

Aſellus aſininus ſ. vulgaris, RAI. *Inſ.* 41. Oniſcus cauda obtuſa bifurca, LINN. *Faun. Suec.* 1257. inſectum apterum, cui pedes ſunt 14. vel 16. et corpus ouale: in cellis, et ad muros antiquos reperitur.

Integra animalcula in vino ſuffocata, aut ſuccus eorumdem expreſſus, medicamentum conſtituunt ſtimulans atque diureticum, et quod obſtructiones viſcerum, indeque ortum icterum (DIOSC.) et hydropem ſanat, imo etiam ad acuendum viſum prodeſt, ROYLE *nat. phil.* p. 154. vt vtilia, ſi firma, teſtimonia habeat incipientis cataractae vſu millepedum ſanatae, ANT. *le* MOINE in Qu. med. *Ergo deprimendae cataractae non expectanda maturatio.* Par. 1728. In vrinae ſuppreſſione praeſentaneum remedium eſt, DIOSCOR. et BAGLIV. p. 116. immo etiam in frangendis calculis, *ib.* quo forte reſpicit illud HORAT. AVGENII experimentum, qui duos aegros ſiſtit, quibus calculus per remedium comminutus fuit, cuius maximum ingrediens erant millepedes in furno exſiccati, et aliquoties chalcanthi oleo imbuti; quoque etiam PETR. LAVREMBERGIVS in proprio cor-

corpore veſicae calculum diſſolutum expulit, v. El. *epiſt. diſſ. curationem calculi veſicae continens*. L. B. 1629.
8. Ad expreſſionem adhibentur numero quinque ad ſexaginta, ipſaque expreſſio ſit adfuſo pauxillo vini, quo in mortario contunduntur. Sicci et puluerifati dantur a drachma dimidia ad duas.

II. INFREQVENTIA.

Bufo.

Bufo, RONDEL. *aquat.* 2. p. 221. Rana manibus tetradactylis fiſſis, plantis hexadactylis palmatis, pollice breuiore, LINN. *Faun. Suec.* 253. amphibium.

Tribuitur ipſi virtus antiloimica, ſi in aëre libero aut furno piſtorio ſiccatus, poſteaque linteo inuolutus axillis et cruribus applicatur, vbi venenum attrahit et intumeſcit, ex obſeruatione multorum in peſte Viennenſi 1712. (*Commerc. Nor.* 1735. p 297.) Puluerem etiam ex bufone calcinato efficaciſſimum fuiſſe dicit in peſte Anglica WILLISIVS *Tr. de febr. peſtil. & epid. angl. a.* 1643. p. 68. Et MVSITANVS commendat cataplaſma ex bufone ſiccato, farina hordeacea et vrina humana bubonibus peſtilentialibus applicandum, et affirmat, intra 24. horas eos inde ſuppurari ſub maximis doloribus, *Opp.* II. c. 53. id quod ſua experientia quoque confirmat KRAMERVS *Commerc. Nor.* 1735. p. 299. In Pharmacopoea Leidenſi puluis bufonis vſti vt ſpecificum contra variolas commendatur, titulo *aethiopis animalis.* Idem puluis diureſin valde mouet, et a DOLAEO commendatus eſt ad hydropem, OPP. quem etiam bis eo curauit KRAMERVS, adiecta tamen ſale abſinthii, quod experientiam dubiam reddit, *l. c.* Porro vero is puluis a granis decem vsque viginti aſſumtus mirum in modum lenit dolores podagrae et praecipue vulnerum, teſte CARL. *in Commerc. Nor.* 1733. p. 210. et 1736. p. 284. Vlceribus ſordidis et cancroſis applicatus, ea mundificat, TEICHMEYER. *Chem.* p. 161. Sac-

culo

culo incluſum et in collo geſtatum aduerſus mictum inuoluntarium valdopere laudat *ab* HEERS *obſ.* 14. ſed experimentum WEDELIO non ſucceſſit, *Prax. clin. L.* 4. *c.* 32. bene vero ſemel SCHVLZIO, *A. N. C. vol.* I. *obſ.* 227. Pilulas ex bufone ſiccato in aſthmate conuulſiuo laudat DOVER *Legs.* p. 47. Denique ſub alis detentum bufonem ſiccum multi commendant in haemorrhagiis grauioribus (STAHL. *colleg. caſ. min. caſ.* 12. p. 95.), ſed parum efficere SCHVLZIVS monet, niſi in ſubiectis ſenſibilioribus, *mat. med.* p. 460.

Erinaceus.

Erinaceus auriculatus, LINN. *Faun. Suec.* 16. Echinus terreſtris. Fera quadrupes; in cellis inprimis habitans.

Integrum animal combuſtum, et in puluerem tritum, remedium ad incontinentiam vrinae praebet, doſi vnius drachmae mane et veſperi, licet nondum ſatis confirmato experimento. Poloni a longo inde tempore eius oleo empyreumatico ad aliquot guttas ſumto, cum ipſo puluere cremati, plicam latentem expellunt, experimento non fallente, licet ancipiti ERNDTL. *Warſau.* p. 212. Comedunt quoque hunc in finem erinaceos, *ib.*

Rana.

Rana aquatica ſ. innoxia, GESN. *ouip.* 46. Rana manibus tetradactylis fiſſis, plantis hexadactylis palmatis, pollice longiore, LINN. *Faun. Suec.* 250. amphibium.

Coxendicum ranae carnes tabidis pro ſalutari alimento offerri, vel elixatas vel aſſatas, multi habent. Integra rana combuſta et contrita in puluerem, haemorrhagias ſiſtit externe partibus cruorem fundentibus inſperſa. Intus exhibita ad drachmam vnam, gonorrhoeam et pollutiones nocturnas cohibere dicitur. Sperma eius refrigerat et repellit. SYDEN-

HAMVS

HAMVS laudat pro oris collutione in aphthis et angina. Aquam quoque inde diſtillant coſmeticam, et quae potu febres lentas mitigare, veſicae vlcera conſolidare, et haemorrhagias ſiſtere dicitur. Cor et hepar ranarum exſiccatum laudatur vt antepilepticum. HOFFMANN. *med. ſyſt. T.* IV. *P.* III. *p.* 19.

Vipera.

Vipera, GESN. *Serp.* 124. Coluber ſcutis abdominalibus CXLV. ſquamis caudalibus XXXVI. LINN. *ſyſt. nat.* 34. amphibium, in Italia et alibi.

Vipera exenterata, detracta cute, capiteque caudaque reiectis, ſiccata in officinis ſeruatur; et in puluerem comminuta *Bezoartici animalis* nomine ſalutatur. Antiquiſſimis Medicis in vſu fuit, inprimis in vitiis cutis, elephantiaſi, ſcabie, fauo capitis; et obſtinatiſſimam lepram vino viperino remotam vidit MEAD. *de Venen.* p. 32. ARETAEVS eſum carnis viperinae hoc nomine laudauit, *de cur. diut. L.* 2. *c.* 13. Datum etiam fuit ius, vinum, puluis viperarum, cuius doſis eſt ſcrupulus vnus, in obſtructione neruorum, viſcerum, ictero, ſterilitate. Et viperinis remediis praeſertim arthritidem inferioris maxillae fugauit ADOLPHI, *A. N. C. vol.* II. *obſ.* 158. Non deſunt vero, qui in cutis defoedationibus, ab impuritate maligna ortis, omni vſu viperas deſtitutas eſſe, experientia ſua comprobant. IVL. PALMARIVS primum Medicorum credulitatem acriter perſtrinxit, *de morb. contag. l.* 4. *c.* 9. et HOFFMANNVS ob plurimas obſeruationes ingenue fatetur, nihil ſolidi auxilii in his morbis a viperinis medicamentis expectari poſſe, *med. ſyſt. T.* IV. *P.* V. *c.* 5. §. 18. Vulneri, quod vipera fecit, ſal eiusdem volatile praecipuum medicamentum eſſe, deprehendit CHARAS *nouv. exp. ſur la Viper.* cuius drachma ad ſummum e calido iuſculo ſumitur. Et decoctum viperae, quae momordit, idem praeſtare, LINDERN. *Commerc. Nor.* 1735. p. 84. In aliorum animalium morſibus etiam adhibe-

tur,

tur, LENTIL. *Iatromn.* p. 45. Pinguedo ſi oculis affricatur, claritatem ipſis affert. Inque aliis oculorum vitiis, pterygio, vngue, phlyctaenis, cicatriculis, lippitudine etiam eximium medicamentum eſt, ſi vnica non niſi guttula oculo bis terue in die inſtillatur, aut minuto penicillo illinitur. Magnum viperaecidarum arcanum, quo ſibi ipſis medentur in viperarum morſibus, quos ſibi ſtudio infligi patiuntur, ipſa eſt axungia, quam ſtatim frictione in vulnus impellunt. Hocque ſpecificum MEADIVS ipſe in canibus detexit, quos morderi coegit a viperis, *l. c.* p. 27. Axungiam pectori inungunt Lappones in pleuritide, et ſolutionem inde expectant. Cutem viperarum vt purgans praeſtantiſſimum celebrant, quam ad magnitudinem vnguis probe comminutam in obſtructione alui cum aqua bibunt. In maiori doſi letalis habetur, inprimis puerperis, dum teſte eorum experientia conuulſiuos motus producit, MONTIN. *diſſ.* Ceterum nutrimenti optimi reficientisque vicem praeſtat vipera. Indi adhuc in ſummis deliciis habent, eamque vario modo praeparare ſciunt.

III. EXSOLETA.

Hirundo.

Hirundo ſylueſtris, GESN. *au.* 564. auis manſueta. Integrae hirundini virtus tribuitur analeptica, et ad viſus hebetudinem ſpecifica. Pullum, ſi quis comederit, angina per totum annum non periclitari; ſeruatum e ſale, cum is morbus vrget, combuſtum, carbonemque eius in mulſo contritum et epotum, prodeſſe, refert e Plinio CELSVS.

Scarabaeus maialis.

Melolontha, LINN. *ſyſt. nat.* 149. inſectum ſatis notum, laeue, fuſcum, arboribus et viti adeo nociuum. Vir-

Virtutem diureticam poſſidet, et ſimul, vt multi ſancte teſtantur (DEGNER in *A. N. C. vol.* VI. *obſ.* 42.), ſpecificam quandam energiam ad extingendum et expellendum venenum illud letiferum, quod rabidus canis per morſum corpori inſeruit. Methodus vero vtendi haec eſt: Scarabaei maiales ſuo tempore collecti et melle conditi, numero quinque pro adulto, pro iunioribus vero tres, abſciſſis et abiectis capitibus, in pulpam teneram contuſi exhibentur aegro cum cochleari mellis, in quo extincti ſunt, mane ieiuno ſtomacho, vel prima vice, quacunque diei hora res poſtulat; idque per ſeptem dies, ad minimum tres vel quatuor, repetitur. Sic, vti tempeſtiue ſatis et quamdiu remedio adhuc locus et tempus eſt, adhibueris, haud neglectis ſimul iis, quae vulneri externe conueniunt, nullum a morſu timendum periculum habebis.

Scincus marinus.

Stincus, RONDEL. *Piſc.* 2. p. 231. Lacerta cauda tereti, collo craſſitie capitis, pedibus pentadactylis marginatis, LINN. *mat. med. regn. anim.* 34. in Aegypto; amphibium.

A veteribus alexipharmacis adſcriptus, et in Theriacae compoſitionem receptus fuit; commendatus quoque ad leprae curationem. Hodie vero vt praecipuum laudatur aphrodiſiacum, et hoc ſcopo totum deuoratur. Frequentius tamen ſponte veneri litantes ex officinis petunt, quam vt a Medicis praeſcribatur.

Scorpio.

Scorpio, RAI. *Inſ.* 9. Scorpio pectinum denticulis xxx. LINN. *ſyſt. nat.* 205. inſectum ferum, in Africa, Italia, Heluetia.

A multis retro ſaeculis in ea opinione homines fuerunt, quod ſcorpio, venenatum ſuccum per puncturam inſerens, ipſe ſibi pulcherrimum medicamentum ſit, dum

dum vel contritus protinus cum vino bibatur, aut ſuper vulnus imponatur, CELS. *L.* 5. *c.* 27. vel vulnus oleo, in quo ſcorpiones extincti et cocti fuerunt, invngatur, quod hodie frequens eſt. Ceterum id oleum etiam in vrinae ſuppreſſione adhibetur, illinendo illud lumbis et pubi.

Talpa.

Talpa caudata, LINN. *Faun. Suec.* 27. animal quadrupes, ferum.

Combuſta talpa quotidie per ſeptem vel quatuordecim dies doſi granorum decem vel quindecim exhibita ſpecificum creditur eſſe ad arthritidem vagam remedium. Commendatur etiam in exanthematibus regreſſis *Commerc. Nor.* 733. p. 210. Hepar contra malum hyſtericum laudatur: cor ad epilepſiam. *Act. Hafn.* IV. p. 153.

CLAS-

CLASSIS II.
PARTES ANIMALIVM.

I. VSITATAE.

Canis axungia.

Canis cauda recurua, LINN. *ſyſt. nat.* 8. animal quadrupes cicur.

Axungia emollit et diſcutit externe calide illita partibus tendinoſis et neruoſis contractis et induratis; vnde in contracturis artuum et rigiditate in ſpecie vtiliſſima. Interne in caſu ab alto ad ſanguinem ſtagnantem diſſoluendum et expectorandum, et in phthiſi cum brodio calido cochlearis quantitate a plebe ſumitur.

Caſtoreum.

Caſtor cauda ouata planta, LINN. *Faun. Suec.* 23. animal quadrupes et amphibium, manſuetum, in Laponia; Sibiria; Canada.

Folliculus eſt glanduloſo-membranaceus et pinguedine oleoſa remixtus, grauis admodum odoris, qui dicto animali vtriusque ſexus in regione inguinali ſub cute protuberat. *Comment. Ac. Petrop.* II. p. 414. *Phil. Trans. n.* 430. *Act. Paris.* 1704. p. 48. Demtus iſte folliculus ſolum in camino fumo ſiccatur; ſicque vſui medico aptus redditur. Anodyna et ſedatiua virtute efficax praebet medicamentum, vnde in morbis conuulſiuis, colica, hyſterica paſſione frequentiſſimi vſus eſt a granis duobus ad decem. In conuulſionibus maxillae infantum laudat LENTIL. *Iatromn.* p. 307. in ſingultu TRALLIAN. etiam ſub amuleti ſpecie; *L.* 7. p. 387. ad praecauendum abortum FISCHER *Breslau. tentam.* 5. p. 1610. et GOHLIVS *Act. Berol.* II. *vol.* X. 21. ad paralyſin AETIVS *L.* 6. *c.* 28. in

ſpaſmodicis contractionibus a rigida et pluuioſa tempeſtate SCHVLZ diſſ. *de alterat. moment.* §. 36. Inter tremoris propria remedia numerat FORESTVS *L.* 10. *obſ.* 99. Mirum effectum, quem BARTHOLINVS in vrinatore allegat, qui quod ſecum fuerit caſtoreum, ad abyſſum maris inde pulſus fuerit, et conſequentiam, quam inde elicit, quod caſtoreum ſit remedium pellens, non credimus, *Cent.* II. *obſ.* 17. Neque adhuc certi ſumus, an opii narcoſin caſtoreum corrigat. BAGLIV. p. 100. Ob foetorem e claſſe officinalium proſcribendum voluit RIVINVS diſſ. *cenſur. medic. off. c.* 2. §. 8. et IVNKERVS quoque, cum praeceptore ſuo STAHLIO, odio illud habet, quod caput obnubilet, et anguſtias praecordiorum cum nauſea inducat, *Tab. theor. pract.* XXIX. *caut.* 35. et LXXXV. *caut.* 20. Illud verum eſt, quod nonnullis hyſtericis aduerſum ſit; ſed plurimos tamen ſolatur promte et ſecure, ita vt GOHLIVS ſine caſtoreo in mulierum morbis curandis eſſe noluerit. *Act. Berol. Dec.* II. *vol.* X. 21.

Cerui cornu.

Ceruus cornibus ramoſis teretibus incuruatis, LINN. *Faun. Suec.* 38. Animal quadrupes manſuetum.

Gelatinam continet, quae extracta acres humores temperat, calorem febrilem moderatur, et tabidis ſalubre medicamentum praebet. Propter terreas partes abſorbet, ſed magis vſtum, quam ſine igne praeparatum. Pleuritidem ſolo cornu cerui ſaepius curaſſe ſcribit a MOINICHEN *obſ.* 11. Vim bezoarticam, ab antiquitate effictam, nemo hodie credit.

Cerui ſeuum.

In emplaſtra et vnguenta vt conſolidans, leniens, et digerens recipitur. Linteo exceptum, ad ignem liquatum et gingiuis impoſitum, vermes dentium attrahere et dolores mitigare didicit ab empirico BARTHOLINVS *cent.* III. *obſ.* 96.

Concha.

1. Oſtrea, GESN. *Aquat.* 2. p. 33. Concha teſta ſub-

ſubrotunda rugoſa ſubſtriata, valuis inequalibus cardine obliterato, LINN. *Faun. Suec.* 1338. Oſtreum teſta inferiore elatiore, ARGENW. t. 22. 23.

2. Chama teſtis aequalibus conuexis hiantibus, ARGENW. t. 24. Tegmina Zoophyti Tethys dicti lapidea; in Oceanis.

Teſta puluerifata et ſuper porphyrite praeparata acidum primarum viarum abſorbet, ſiccat, calorem febrilem temperat et ſudorem mouet, doſi drachmae dimidiae. Vſta et duplo pondere imminente paroxyſmo data pro ſpecifico contra tertianas febres commendatur a CROLLIO, *ſpecifici febrilis* titulo. Aqua calci recenti affuſa lithontripticam virtutem inſignem probatam dedit WHYTTIO et ALSTONO, ſi quotidie ad libram vnam epotatur. Ingrediuntur etiam conchae vſtae lithontripticum Anglicanum. Calce oſtrearum e vino ſumta hydrophobiam profligauit *le* COMTE *Mem de l' ac. de Par.* 1749. *hiſt. n.* 4.

Hirci ſanguis.

Caper, ALDROV. *Quadr. biſulc.* 619. Capra cornibus carinatis arcuatis, LINN. *Faun. Suec.* 42. Animal quadrupes cicur.

Exſiccatus ſanguis in clibano, denique in puluerem contritus et ex aceto aut aqua ſumtus ad drachmam dimidiam, tanquam optimum reſolutorium coagulati et ſtagnantis ſanguinis in caſu ab alto et in pleuritide laudatur. HELMONTIVS vero non alium hoc ſcopo voluit admitti, quam qui e teſticulis caſti et nigerrimi hirci praeſectis efflueret, Tr. *pleur. furens.* Nihil vero quicquam nec hunc, nec priorem praeſtare in hoc morbo, TRILLERVS multoties in praxi obſeruauit, *de Pleur.* p. 48. Plebeii etiam ex aceto potant in ſubluxationibus dorſi. Alii olim ad dyſenterias et contra calculum commendarunt, et ob inſignem vbique efficaciam *Dei manum* vocarunt. MERCVRIAL. *conſult. & reſpons.* IV. p. 14.

Hirci ſeuum.

Diſcutit, lenit, et haemorrhoidum dolores ſedat. Rhagades etiam, et excoriationes conſolidat.

Hirudo.

Hirudo depreſſa fuſca, margine laterali flauo, LINN. *Faun. Suec.* 1272. Vermis aquatilis in aquis ſtagnantibus habitans.

Huius vermis, quem claſſe prima memorare oportuiſſet, vſus eſt externus in haemorrhoidum doloribus et haemorrhoidibus coecis, vbi ipſis illis varicibus, et in odontalgia, vbi temporibus applicatur: quod vero, quomodo fieri debeat, Chirurgia docet.

Mater perlarum.

Concha margaritifera, BELLON. *Aquat.* 402. Concha valuis aequalibus inaequaliter, mediocriter, et leuiter vmbonata, LANG. *teſt.* 69. Teſta vermis marini Indici; quae ſplendore et interna laeuitate margaritas aemulatur.

Acidum abſorbet, et feruorem febrilem leniter temperat. In officinis ſuper porphyrite laeuigatur, et in cannulas formata tum a Medicis cognomine *praeparatae* praeſcribitur.

Moſchus.

Animal moſchiferum, RAI. *Quadr.* 127. GMELIN. *diſſ.* Moſchus, LINN. *S. N.* 30. in China et Tartaria. Icon eius eſt in *Commerc. Nor.* 1736. p. 320.

Subſtantia eſt atro-fuſca, granulata, fragrantiſſimi odoris, ſaporis ſubacris et amaricantis, folliculo coriaceo piloſo incluſa, qui animali a ventre inter vmbilicum et genitalia protuberat. Per totum corpus mirabili vi penetrat, et egregiam opem praeſtat in morbis conuulſiuis, vbi eius virtutem experti ſunt IO. WALL. *Phil. Trans. n.* 474. FR. HOFFMANNVS *Med. ſyſt. T.* IV. *P.* III. p. 25. DOM. GVSM. GALEATI *Commerc. Bonon. III.* III. v. SWIETEN *Comment. III.* qui cum octenni puellae epilepticae moſchi decem grana repetitis vicibus per plures dies pulcro cum ſucceſſu dediſſet, ſaliuam, ſudorem et vrinam moſchum redolere obſeruauit, ita vt nimia fragrantia non aſſuetis moleſta redderetur haec aegrota, p. 437. Qualem vero effectum mihi videre non contigit, li-

cet

cet per plures dies doſi duodecim granorum adhibuerim. Efficaciſſimum etiam praeſidium eſt in conuulſionibus, quae febribus acutis accedunt, MEAD. *Monit. et praec. med.* p. 21. et in mania, vbi laetos effectus viderunt GALEATI *l. c.* et *van* SWIETEN *l. c.* p. 524. nec non in malo hyſterico tam externe LOWER, *Arzeneybüchl.* p. 57. quam interne HORAT. AVGEN. *epiſt. L.* 12. REIN. SOLENAND. et hydrophobia MORANDO, qui ter feliciter eo vſus eſt; et grauiſſima cardialgia PRINGLE, *Neuer Verſ. einer Geſellſch. in Edinb. II. n.* 12. in cephalalgia GALEATI. Memorabile etiam eſt, quod vſu eius interno a variolis praemuniri poſſint homines, ceu obſeruauit Ill. ROSENIVS *diſſ. de variol. cur.* Flatus eum excitaſſe aliquando, et maiora damna maiori doſi ad grana duodecim, obſeruauit GALEATI *l. c.* Puluis ille Tunquinenſis maximam ſuam virtutem, qua in effectibus morſus canis rabidi, in febribus malignis, et inflammatoriis, inque maniacis melancholicisque affectibus valet, moſcho debet. Solum moſchi odorem menſes prouocaſſe, annotauit TH. BARTHOLINVS *cent.* II. *hiſt.* 87. Et BRASSAVOLVS aſſerit, quod, ſi moſchus cum oleo quodam componeretur, eoque virile membrum vngeretur, mulieres adeo in venerem proritet, vt variis et inuſitatis motibus clunes moueant. Eius etiam odore, pergit, vterum mire trahi, proptereaque eius vſum in peſſariis maximum eſſe, praeſertim in vteri ſtrangulatu, *Exam. Symp. p.* 32.

Porci axungia.

Sus dorſo antice ſetoſo, cauda piloſa, LINN. *Faun. Suec.* 36. Animal quadrupes cicur.

Emollit, lenit, et baſin plurium vnguentorum et linimentorum conſtituit.

Sepiae os.

Sepia (corpore oblongo, depreſſo), LINN. *Faun. Suec.* 1281. Vermis zoophytus, marinus.

Os dictum in dorſo tamquam ſcutum gerit vermis, quod ouale eſt, candidum, leue, vtrinque conuexum,

 ſapo-

ſaporis terreo - ſalſi. Inſigniter acidum abſorbet, ſiccat, et adſtringit: ſpecialiter in fluore albo, gonorrhoea, et nimia vrinae acrimonia efficax eſt, doſi ſcrupuli vnius vel drachmae dimidiae. Ad pulueres etiam dentifricios aſſumitur. Vſtum contra ſtrumas valet interne; externe vero ad vngues oculorum, et palpebrarum aſpritudinem, ad quam veteres vſi ſunt (DIOSC. TRALLIAN. *L.* 2. *c.* 6.).

Tauri fel.

Bos cornibus teretibus flexis, LINN. *Faun. Suec.* 44. Animal quadrupes cicur.

Liquor ſaponaceus amarus, qui ſtimulat, abſtergit, et reſoluit, adeoque tam atoniae partium ſolidarum, quam morbis ex pituita medetur, et his, qui ab inertia bilis oriuntur, vt ſunt febres intermittentes, affectio hyſterica, icterus, hydrops. Oportet autem bilem inſpiſſare, eamque nunc iterum aqua aut ſpiritu vini ſolutam dare, vel in minima catapotia redigere. Aluum etiam ſoluit, et vermes pellit. Externe in linimentum cum ſapone veneto redacta, tumores frigidos reſoluit, HVFELAND diſſ. *de bilis interno & externo vſu medico* p. 38. et in paralyſi artuum prodeſt, *ib.* p. 39. pannos oculorum et maculas in cornea detergit, in ſurditate conducit.

Lucii piſcis, carpionis, anguillae, et apri fel idem praeſtant, et commode priori ſubſtitui poſſunt.

Vaccinum lac.

Nutrit, lenit, atque demulcet. Vtiliſſimum eſt antidotum venenorum erodentium, quae non coagulant.

Vulpis pulmo.

Canis cauda recta, extremitate alba, GMEL. Vulpes vulgaris. Fera quadrupes.

Exſiccatus pulmo et intra aniſi ſemen ſeruatus, ſi devoratur, ſuſpirioſos iuuat, DIOSC. minus autem phthiſicos, vti vulgaris opinio eſt, etiamſi combuſtus bibatur.

Zibethum.

Animal Zibeticum, RAI. *Quadrup.* 178. Meles vngui-

vnguibus vniformibus, cinerea, LINN. *Syſt. Nat.* p. 6. Animal ferum, quadrupes: Indiam orientalem et occidentalem patriam habet. SARRAZINVS deſcripſit in *Act. Paris.* 1725.

Zibethum eſt ſubſtantia mollis, pinguis, ex luteo fuſca, ſaporis ſebacei, in receſſu acris, odoris ambroſiaci, folliculo glanduloſo membranaceo piloſo incluſa, quem animal vtriusque ſexus inter genitalia et anum gerit. Aeſtiuo tempore alternis, hyemali quaternis diebus cochleari quodam paruo, huic operi adaptato, eximitur. Vſus duplex eſt: vel enim odoramentis ſolum atque balſamis additur, vel medicis intentionibus interne et externe inſeruit. Interne quidem vnius vel duorum granorum pondere vt confortans exhibetur; externe vero in hyſterica paſſione grauiore cum goſſypio genitalibus immittitur; in colica vmbilico et ventri imponitur. Nonnulli expulſionem variolarum et morbillorum eo promouent. Impotentiae quoque virili ſuccurrit, ſi coles ante congreſſum illinitur; foeminis vero maximam iucunditatem gignere, obſervauit BORELLVS.

II. INFREQVENTES.

Alcis cornu & vngula.

Ceruus cornibus a caulibus palmatis, LINN. *Faun. Suec.* 37. Alce, Lithuaniae et Moſcouiae et Sueciae borealis ſyluas inhabitat.

In cornu quaerunt abſorbentem, diaphoreticam, et antepilepticam virtutem; hanc vero maxime in vngula, ſiue deuorata ad ſcrupulum, ſiue appenſa. Tota autem virtus innititur mendaci relatione de epilepſia, qua ipſum animal ſaepe tentatum, ſibi ipſi vngula opem ferret, fricando ea auriculam. SWIETEN III. p. 494.

Anguillae hepar.

Anguilla, LINN. *Faun. Suec.* 390. Piſcis malacopterygius.

In partu difficili tanquam ſpecificum commendatur a multis (HELMONT. *Tr. aſtra non inclinant.* §. 46.), doſi drachmae dimidiae vel integrae in vino vel iuſculo exhibitum.

Anſeris axungia.

Anſer domeſticus, GESNER. *Au.* 141. Anas roſtro ſemicylindrico, corpore ſupra cinereo, ſubtus albido, rectricibus margine albis, LINN. *Faun. Suec.* 90. Auis cicur.

Emollit, laxat, lubricat; contracturis medetur; fiſſuras labiorum, papillarum, et ani ſanat; infantum ventribus illita tormina lenit, et aluum obſtructam reſerat. SEB. ROTARIO pro remedio euporiſto in moleſtiis catarrhalibus habet, ſi cum mercurio viuo digeratur, et pectori illinatur, *Rimed. alle catarrali moleſtie.*

Apri dens.

Sus agreſtis ſ. Aper, RAI. *Quadr.* 96.

Abſorbens medicamentum is conſtituit, ſed longe minus efficax quam oſtracea. Specificam virtutem in pleuritide et angina, quam multi ipſi adſcripſerunt, hodie negant omnes. Sed dentes ſaltem acuti, recurvi, et extra os prominentes hic intelliguntur.

Cancrorum chelae.

Cancer brachyurus, manuum digitis atris, LINN. *Faun. Suec.* Inſectum apterum marinum.

Abſorbendi virtute pollent praeparatae, ad drachmam dimidiam ſumtae.

Cerui Priapus.

Specificum eſſe creditur in dyſenteria. Commendatur etiam in dyſuria, pleuritide, colica conuulſiua, et ſcopo aphrodiſiaco. Doſis eſt ſcrupulus vnus. Limatione et trituratione in pollinem redigitur.

Cochleae teſtae.

Cochlea Pomatia edulis Geſneri, LISTER. *Exerc. anat. I.* p. 162. Cochlea teſta ouata quinque ſpirarum, Pomatica dicta, LINN. *Faun. Suec.* 1293. in hortis aeſtate frequens; vermis zoophytus, quem teſta tegit, Limax eſt.

Natura et viribus cum chelis cancrorum conueniunt.

Ebur.

Elephas, RAI. *Quadr.* 123. Animal quadrupes Indiam et Zeylonam inhabitans.

Duo

Duo dentes prominentes et reflexi, in maxilla ſuperiore Elephantis poſiti, Eboris nomine inſigniuntur. Cuius virtus in puluere dati eſt abſorbens, in decocto, ob extractam gelatinam, demulcens et temperans. Ad albedinem calcinatum *Spodium* dicitur, quod fortius abſorbet et adſtringit, et in fluxibus alui, praemiſſis abſtergentibus, datur.

Equi teſticulus.

Equus cauda vndique ſetoſa, LINN. *Syſt. Nat.* p. 11. Iumentum ſatis notum.

In partu difficili tanquam remedium euporiſton laudatur, *ab* HEERS *obſ.* 14. an vere?

Leporis axungia & talus.

Lepus cauda abrupta, pupillis atris, LINN. *Faun. Suec.* 19. Animal quadrupes manſuetum Europae.

Axungia ad rumpendos abſceſſus laudatur, LVDOVIC. *Pharm.* p. 287. et ad feſtucas infixas extrahendas, *A. N. C. vol. X. obſ.* 48. Talus in puluerem redactus contra epilepſiam, difficultatem partus, calculi dolores et dyſuriam valere dicitur. Antiqui etiam veſicam leporis vna cum vrina adhibuerunt, tanquam medicamentum lithontripticum, eamque antea in vaſe fictili lutato combuſſerunt: immobilem calculum in vrethra haerentem, mobilem quoque inde reddi per externam applicationem crediderunt. *E. N. C. dec. II. an. III.* p. 160.

Lucii mandibula.

Eſox roſtro plagioplateo, ARTED. *Spec.* 53. Lucius.

Nil praeſtat, niſi quod abſorbet et acrimoniam parum obtundit. Virtus ſpecifica in pleuritide ipſi hodie denegatur. Calcinata et in puluerem redacta ſtrumas diſſoluit, pondere duorum ſcrupulorum ſaepe deuorata.

Muris alpini axungia.

Mus alpinus, RAI. *Quadr.* 221. Mus cauda elongata nuta, corpore rufo, LINN. *S. N.* p. 10. Marmota. Ex glirium familia.

Pinguedo ad membra contracta et partes induratas emolliendas et relaxandas adhibetur.

Perdicis plumae.

Perdix cinerea, IONST. *Au.* 68. t. 27. f. 1. Tetrao macula nuda coccinea pone oculos, rectricibus ferrugineis, LINN. *Faun. Suec.* 172. Auis manſueta.

Accenſis plumis ſolent epilepticos, ſyncopticos, et hyſtericas foeminas excitare, dum eas naribus ſubmovent.

Vulpis lingua.

Exſiccata abs Chirurgis adhibetur ad ſinus vulnerum, praeſertim ſclopeto inflictorum, ampliandos, vt extrahi commodius globi queant.

Vrſi fel et pinguedo.

Vrſus cauda abrupta, LINN. *Syſt. Nat.* p. 4. Fera manſueta, in Europa boreali.

Fel inſpiſſatum commendatur in anorexia; et Lappones Lulenſes membris dolentibus illud inungunt. MONTIN *diſſ.* Pinguedo externe ad paralyſes et atrophiam artuum et contracturas vtilis eſt.

III. OBSOLETAE.

Album Graecum.

Eſt ſtercus canis album, quod tanquam ſpecificum in gargariſmatibus et cataplaſmatibus ad anginam commendatur.

Aſini ſanguis.

Equus cauda extrema ſetoſa, LINN. *Faun. Suec.* 35. Aſinus. Iumentum Europaeum.

Ex aqua meliſſae et aceto vini decoctus ſanguis haud infelici ſucceſſu datus eſt maniacis, HOFFM. *Med. ſyſt. T. IV. P. IV.* p. 218. inprimis his, qui ex morbo praegreſſo tales facti ſunt. *A. N. C. vol. VIII. app.* p. 1.

Carpionis lapis.

Cyprinus, ROND. *Piſc.* 2. p. 150. Cyprinus cirrhis quatuor, oſſiculo tertio pinnarum dorſi anique vncinatis, ARTED. *Syn.* 3. Piſcis cicur in piſcinis Europae.

Oſſiculum triangulare in capite reperibile, quod leniter demulcet et abſorbet, et colicos, pleuriticos, ac a calculo excitatos dolores lenire, et epilepſiae mederi laudatur.

Cati

Cati ſylueſtris axungia.

Felis cauda elongata, auribus aequalibus, LINN. *Syſt. Nat.* p. 4. Quadrupes cicur.

Eundem vſum praeſtat, ac ceterae pinguitudines, quas iam paſſim memoraui.

Ceti priapus.

Balaena vulgo dicta, GESNER. *Aquat.* 114. Balaena fiſtula in medio capite, dorſo caudam verſus acuminato, ARTED. *Gen.* 76. In Groenlandia reperitur; piſcis ferus marinus.

Pro ſpecifico ad impotentiam virilem et dyſenteriam commendatur.

Dentaliorum teſtae.

Dentale laeue album, altera extremitate rufeſcens, LIST. *Hiſt.* 4. f. 2. n. 2. Dentalium teſta ſubcylindracea laeui arcuata, hinc anguſtiore, LINN. *Mat. med. regn. an.* 62. Vermis in oceano ſeptentrionali reperibilis.

Ob terream indolem abſorbendi facultate pollent.

Gallinae tunica interior ventriculi.

Gallina domeſtica. Gallus caude compreſſa adſcendente LINN. *Faun. Suec.* 165. Auis cicur.

Purgata, et ſiccata, et pulueriſata ad dolores nephriticos et dyſuriam leniendam commendatur, mictuique inuoluntario mederi dicitur.

Hippopotami dens.

Hippopotamus, RAI. *Quadrup.* 123. Animal amphibium; in Nilo habitat.

Id animal dentes binos recuruos ex ore protenſos gerit, quorum virtus laudatur antepileptica et ad profluuia ſanguinis, inprimis ex vteri et ani venis. Partum quoque promouere dicuntur.

Hominis axungia, corium, cranium, lac, ſaliua, ſanguis, vrina.

Axungia hominis non differt vſu a ceteris, quas paſſim memoraui. Ex *corio* cingula conficiuntur et lora, quibus per medium diſcinctae puerperae foetum felici-

feliciter eniti creduntur. Eadem ad hyſtericas paſſiones facere, non ſemel ſe expertum eſſe ſcribit BARTHOLINVS *Cent. III. obſ.* 87. niſi fallacia ſubeſt: etiam in ſpaſmis manuum pedumque ex eodem corio auxilium peti, *ib.* et HILDAN. *cent.* 3. *obſ.* 9. In viro ſexagenario epilepſiae paroxyſmum ſedatum eſſe corio, quo collum cinxerat, meminit BECCHER. *Microc. Med. L.* 2. *c.* 1. Chirothecas inde factas ariduras et contracturas ſanare, refert SCHROEDER *Pharm. L.* 5. *cl.* 1. In *cranio* hominis violenta morte extincti limatione et trituratione in tenuiſſimum puluerem praeparato, ſpecificum quaerunt ad epilepſiam et conuulſiones. *Lac* foemellarum ex ipſis mammis calide ſuctum tabidis confert, et oculis inſtillatum, lippitudini medetur, RIEDL. *Lin. med.* 1695. p. 64. *Saliua*, praecipue ieiuni, eſt optimum remedium ad ardorem puſtularum, quacunque corporis parte exortarum, quin earum nonnullas diſcutit; praecipue illis, qui gonorrhoea virulenta vexantur, bona eſt, vbi praeputium inflari et ſuffuſa aqua turgere incipit: vbi omnia remedia ſuperat, ſi crebro illinatur (SCHVLZ.). *Sanguis* ex homine ſano decollato hauſtus epilepſiae praeſens remedium audit; immo ſanguis ipſius epileptici e veno brachii emiſſus et potus inter ſecreta habetur, AETIVS *Tetrab.* 2. *Serm.* 2. *c.* 15. aut ſaltem ſiccatus ſanguis hominis ſani, HOFFM. *M. S. T. IV. P. III. p.* 18. Menſtruo ſanguine mammillae fiſſurae vnctae curatae fuerunt. *A. N. C. vol.* II. *obſ.* 195. *Vrina* propria epota phthiſici opem ſibi ferre credunt: eadem affectum hyſtericum et ſuppreſſionem menſium curatam lego in *A. N. C. vol. I. obſ.* 91. Danos vrinam propriam melle ſubactam ſummo mane continuis tribus diebus aſſumere, et exinde tutos ſe ab eryſipelate per vitam ſcire, idque populare remedium nunquam fallere, habet BARTHOL. *cent.* VI. *hiſt.* 72. Ophthalmiam fotu vrinae curatam lego in *A. N. C. vol.* I. *obſ.* 65. et apud SCHVLZ. et aduerſus omnes mammarum affectus in puerperio, vrinam puerperae linteis applicatam valere, *ib. vol.* II. *obſ.* 195. Lotionem

cum

çum propria vrina indubitatum eſſe remedium ad tremorem, teſtatur FORESTVS *L. 7. obſ.* 5. Vexatis vtiliter eandem applicari, in vulgus notum. Multa ex his remediis, inprimis ſanguinis et vrinae potum, proſcribenda nonnulli Medici voluerunt (PAVLLI diſſ. *de medic. e C. H. deſumt. merito negligendis.*), neque reclamo, ſi quisquam eſt, qui ſe auerſari talia, omnino nauſeoſa, profitetur.

Lupi caro, dens, hepar.

Lupus, ALDROV. *Quadr.* 144. Canis cauda incurua, LINN. *Syſt. nat.* p. 5. Animal Europaeum.

Carnem et hepar comeſta epilepſiae vterinae mederi dicunt, et partum quoque facilitare, PAVLLIN. *Lycogr. A. N. C. vol. I. obſ.* 48. Dens inter abſorbentia referendus: de collo puerorum ad eruptionem dentium promouendam ſuſpendi ſolet.

Manati lapis.

Manatus, ARTED. *Synon.* 107. Trichecus, LINN. *Syſt. Nat.* p. 39. Vacca marina. Animal quadrupes marinum, et ſimul piſcis.

Eſt maſſa admodum dura et alba, quae manato dentium loco data eſt, quarum altera palato, altera maxillae inferiori per articulum ſingularem iuncta eſt. STELLER in *Nou. Comment. Ac. Petrop.* II. p. 296. Vires generales cum dente Hippopotami vel ebore communes habet; ſpeciales vero, licet ipſi tribuuntur, nullas.

Os de corde cerui.

Eſt pars aortae prope cor in duritiem oſſeam mutata, irregularis figurae, crucem tamen ſubinde referens, vnde *Hirſchcreuz* dicitur. Virtutes a veteribus tribuuntur analepticae, antepilepticae, bezoarticae, et ad palpitationem cordis; hodie vero nullam fidem haec ſententia inuenit.

Pauonis ſtercus.

Pauo cauda longa, LINN. *Faun. Suec.* 163. Auis cicur Zeylonae et Indiae orientalis frequens.

Spe-

Specificum remedium eſſe dicitur ad vertiginem, et epilepſiae etiam prodeſſe.

Percarum lapides.

Perca pinnis dorſalibus diſtinctis, ſecunda radiis ſedecim, LINN. *Faun. Suec.* 284. Piſcis manſuetus fluuiatilis vulgaris.

Oſſiculum lentis magnitudine, album, ſtriatum, et fere triangulare in capite piſcis reperitur, cui aperitiua, diureticaque virtus tribuitur, itemque ad pleuritidem.

Rhinocerotis cornu.

Rhinoceros cornu vnico conico, LINN. *Syſt. Nat.* p. 11. Belua vtriusque Indiae. Cornu, quod pone nares animali naſcitur, raſpatione et trituratione parato, tribuitur virtus alexipharmaca et antepileptica. AMAT. LVSITANVS ſcrupulum ſcobis in oleo contra epotum arſenicum dedit, vnde vomitus et aegri reſtitutio, *Comm. in L. I. Dioſc.* p. 205. Sed haec vero potius oleo adſcribenda?

Scarabaei cornu.

Taurus volans, OLEAR. *Muſ.* 27. t. 16. f. 5. Scarabaeus cornibus duobus mobilibus aequalibus, apice bifurcis, introrſum ramo denticulisque inſtructis, LINN. *Faun. Suec.* 337. Inſectum vulgare.

In partu difficili abs mulierculis commendatur, ſine vllo vero experimento.

Secundina humana.

Nauſeoſa res, licet non Sibiriacis, qui inter gulae blandimenta referunt, GMELIN. *Iter.* neſcio, qua fide, ad epilepſiam valde commendatur, in puluere deuoranda; nec non ad partum, et ad ipſam ſecundinam pellendam, at fallaci experimento, quum ſal volatile ſuccini iungunt. RIEDLIN. *Lin. med.* an. 1695. p. 112.

Tauri priapus.

Ad diarrhoeam et dyſenteriam, tanquam obſtipans reme-

remedium, prodeſſe creditur, in puluere datus ad drachmam dimidiam.

Taxi axungia.

Ad eadem vtilis, ac ceterae pinguedines.

Vaccae vrina.

Hanc recenter exceptam, et loco aquarum mineralium per menſem et vltra ſingulis diebus mane ad menſuram dimidiam vel vnam potam, Galli celebrant ſub nomine *Eau de mille fleurs* tanquam euporiſton medicamentum in morbis cachecticis. Et talem curationem quondam a femina Gallica non ſemel quoque cum felici ſucceſſu inſtitutam refert HOFFMANN *Med. ſyſt. T.*IV. *P.*IV. *c.*13. *obſ.*8.

Vnicornu.

Balaena Naruhal, SCHONEV. *Ichth.* 28. Monodon, ARTED. *gen.*78. Piſcis praegrandis in Groenlandia et Oceano americano.

Vnicornu dens eſt e mandibula ſuperiore piſcis recta horizontaliter protenſus, albicans, politus, teres, elatiori baſi in acutum mucronem deſinens, et ſpirali ductu ſtriatus. Huic adſcripſerunt plures olim alexipharmacam, antiſpaſmodicam, et antepilepticam virtutem, noſtris vero temporibus vix aliqua ei praerogatiua prae ebore et cornu cerui conceditur. Ill.tamen WERLHOFIVS cum BARTHOLINO expertus eſt, in febribus facilioribus intermittentibus haud raro feciſſe ſatis, *obſ. de febr.* p. 121. not. e.

CLAS-

CLASSIS III.
PRODVCTA ANIMALIVM.

I. VSITATA.

Cancrorum lapides, vulgo *Oculi cancrorum*.

Lapilli orbiculati, altera parte conuexi, altera compreſſi et ſinuati, glabri, cruſtacei, albicantes, duri, magnitudine piſum per dimidium diſſectum aequantes, extrinſecus ventriculo cancrorum menſibus aeſtiuis adhaerentes. Alcalinam naturam habent, et potenter acidum abſorbent praeparati, vrinam etiam et ſudorem mouent ſub debito regimine; vnde forte factum, quod inter bezoartica recepta fuerint, et abs ROLFINCKIO *contrayeruae animalium* titulo inſignita *meth. medend.* Cum ſucco citri vel aceto vini ſaturati aeſtum febrilem ſedant, et ſanguinem quoque ſtagnantem diſſoluunt. Calcinatos ad tuſſim ſiccam commendat BAGLIV. p. 115. In Belgio abs fraudulentis arte parantur; de quibus eorumque notis vid. *M. N. C. dec.* III. *an.* III. *p.* 26. 268.

Cera et Propolis.

Apis gregaria, LINN. *Faun. Suec.* 1003. Inſectum, Poloniae inprimis frequens.

Cera eſt ſubſtantia ſui generis, CARTHEVS. *de princ. plant. negl.* p. 30. in corporibus apum digeſta et in apiariis in fauos conſtructa: nam pro mero ſtercore eam habere praeter Cl. DOBBS *Phil. Trans. n.* 496. forte nemo audet. Balſamica res eſt, quae externe digerit, reſoluit, emollit et putredini reſiſtit; interne vero contra dyſenteriam valet. DIEMERBROEK *obſ.* 28. Baſis omnium fere emplaſtrorum eſt.

Propolis eſt craſſa illa materia ceracea, qua apes fauos ſuos agglutinant, et rimas atque latera alueorum obducunt. Cui eadem, ac cerae, vis eſt.

Ichthyo-

Ichthyocolla.

Huſo Germanorum, WILL. *Ichth.* 243. Acipenſer tuberculis carens, ARTED. *Syn.* 92. Piſcis manſuetus pontum Euxinum inhabitans.

Gluten eſt, quod in Moſcouia ex pinnis, inteſtinis, et cute piſcis coquunt, dum partes illas in tenuiſſima fruſta diſſectas aqua calida macerant, hinc lento igne ad pultis conſiſtentiam coquunt, eamque, antequam refrixerit, in pelliculas formant, et in ſpiras cogunt. Incraſſat tenues humores, et acres inuoluit; vnde in diarrhoea, dyſenteria, dyſuria, et aſperitate faucium praeſcribitur. Vſum oeconomicum non attingo.

Lacca, vulgo *Gummi Laccae.*

Eſt ſpecies cerae et productum inſecti Indici, nominatimque, vt plerorumque ſententia eſt, formicarum volantium, ad modum faui apum conformatae, cuius alueoli eorundem examine repleti ſunt. Odor eius, ſi accenditur, fragrans eſt, color ex fuſco rubens, ſapor reſinoſus, maſticatu ſaliuam purpura tingit. Eius tres vulgo occurrunt ſpecies, in baculis cauis, in granis, et in tabulis, quarum duo priores medicis deſtinantur vſibus. Veteribus inter aperientia hepar et lienem laudata, hodie rariſſimi quidem vſus eſt, potius contra ſtomacacen et haemorrhagiam gingiuarum adhiberi ſolet. Crebrior eſt vſus mechanicus pro cera ſigillata et vernicibus, quibus varias res e lignis et aurichalco confectas obducunt.

Mel.

Succus dulcis mediae conſiſtentiae, quem ingenio, ſi ita loqui licet, et induſtriae apum debemus, et qui fermentatione in liquorem generoſum abit, *mulſum* dictum, nihil cedentem vino Hiſpanico. Mel vero bonum et non corruptum confortat, nutrit, abſtergit, mundificat, expectorat, aluum mouet, conſolidat, et putredini reſiſtit, BOERH. *Elem. Chem. II.* p. 165. 166. *van* SWIETEN *Comment. I.* §. 135. Solo melle quotidie cum pane ſimilagineo comeſto conualuit

puella ex frequentiori haemoptyſi pulmonum vlcere infeſtata, ALBERTI *diſſ. de pernitios. remed. in phthis. p.* 12. 13. Senibus apprime commendat PAVL AEGINETA, et infantibus recens natis pro primo exhibere iubet alimento, *L. de tuend. ſanit.*

Sal ammoniacum.

Sal medium volatile, ex acido ſalis veſci et alcali vrinoſo conſtans, album, denſum, ſaporis vrinoſi; quod in Aegypto copioſe ex fuligine paratur, ex crematis ſtercoribus animalium, non aliis ibi quam plantis ſalſis veſcentium, adſcendente, tum iterum collecta, et in peculiaribus furnis et vaſis ſublimata. *Act. Suec. XII.* Potenter reſoluit humores viſcidos; hinc in morbis cachecticis et febribus intermittentibus egregii vſus, MVYS. a drachma dimidia ad duas vel in puluere, vel in aqua diſtillata ſumtum. Potenter etiam putredini reſiſtit tam interne in febribus putridis, quam externe in ſphacelo ſub forma epithematis.

Sperma ceti.

Cete, CLVS. *Exot. L. VI. c.* 17. Catodon fiſtula in ceruice, ARTED. *Synon.* 108. Piſcis ferus, maris Groenlandici incola.

Concretum pingue, album, molle, ſiccum, ſquamoſum, ſaponaceum, ex peculiari liquore pingui, propriis vaſis inde e capite piſcis per omnes partes corporis, imo per muſculos ductis contento, certis encheireſibus, adiecto lixiuio alcalino, paratum. ANDERSON. Abſtergit, emollit, lubricat, menſes promouet, HAMILTON *Prax. reg.* p. 39. aſthmati humorali et catarrho ſuffocatiuo medetur, BAGLIV. p. 92. 104. praeterea in vrinae difficultatibus, caſu ab alto, lactis coagulo, raucedine, tuſſi, efficax eſt. Optime ſumitur ſolutum in aqua hyſſopi calida ad affectus pectoris memoratos, vel ſyrupo quodam ſubactum, aut oleo amygdalarum dulcium dilutum, a drachma dimidia ad duas.

Vitel-

Vitellus oui.

Maturat, digerit, emollit, raucedinem tollit, et praeterea in re pharmaceutica vario modo adhibetur. Lappones Lulenſes ex quorumcunque volucrium corporibus ante incruſtationem eximunt, ſiccant, maſticant, et aduſtis cum proficuo vſu imponunt. MONTIN *diſſ.* p. 23.

II. INFREQVENTIA.

Bezoar. α) orientale.

Gazella Indica, cornibus rectis longiſſimis nigris, prope caput tantum annulatis, RAI. *Quadr.* 79. Capra cornibus teretibus rectiſſimis, longiſſimis, baſi annulatis, LINN. *Syſt. Nat.* p. 14. in regno Golconda inprimis, et Perſia.

β) occidentale.

Rupicapra, DOD. *Gall.* 225. Capra cornibus erectis vncinatis, LINN. *S. N.* p. 14. in India occidentali.

Calculum cruſtaceum in ventriculi plicis dictarum caprarum adhaerentem hoc nomine notant; eique, inprimis orientali, magnam vim analepticam et alexipharmacam in peſte, aliisque malignis morbis exanthematicis, variolis, morbillis, et purpura, quae valide ad cutem propellat, adſcribunt, etiam ad hauſtum venenum, DIOM. CORNAR. *Hiſt. admirab.* XIII. p. 445. doſi grani vnius ad ſex, dupla vero in occidentali. Contra hodie plerique nullam hiſce virtutibus fidem adhibent; ſicuti iamdudum parum ipſis tributum eſt, aliosque plurimos inter ab HIER. MERCVRIALI *Prael. Piſan. in Epid. Hipp. Hiſt.* 2. et HERC. SAXONIA de *Plic. Podolic.* c. 59. qui frequentiſſime ipſo ſe vſum eſſe affirmat, nullum vero fructum inueniſſe, neque ſudorem conſpexiſſe illum ſalutarem, ab aliis tantopere decantatum. Dedit etiam fruſtra infantibus ad drachmam integram BOERHAAVIVS *de virib. med.* Ipſis Perſis minus quoque, quam Europaeis vſurpari, refert KAEMPFER. *Amoen. exot.*

Faſc. II. *rel.* 9. Adulterari a lucripetis ſaepe ſolet.

Margaritae.

Calculi animalium concharum, W. 412. Calculus teſtae concharum, LINN. *S. N.* p. 195. Margarita, Vnio vulgo.

Diuiduntur margaritae in orientales et occidentales, quarum illae iucundiorem de ſe ſpargunt colorem, atque has duritie ſuperant. Praeter haec in Suecia, Liuonia, Bohemia, Bauaria, Vogtlandia, et aliis locis colliguntur. Ortum earum, quem varie deſcribunt auctores (vid. Cl. EBERHARD *Abhandl. von der Perle.*), hic non diſputamus. Vires autem abſorbentes ſunt; an vero etiam analepticae et bezoarticae, de hoc dubitandum. HAMILTONVS pulueris vſum ad ſcrupulum tertia vel quarta quaque hora ſumendum laudat in diarrhoea, quae nec adſtringentibus, nec opiatis ſiſti potuit, *Prax. reg.* p. 34. 35.

Mumia.

Integrum hominis cadauer in Aegypto variis balſamicis rebus largiſſime conditum, induratum et inuolutum; cuius virtus eſt iſchaema et vulnera conglutinans. Intus ſumta dicitur ſanguinem congrumatum diſſoluere; ſed vſus nauſeoſus eſt.

Ouorum gallinae teſtae.

Abſorbendi facultate praeditae ſunt, et ſumuntur a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam. Dentifriciis pulueribus adduntur, quibus ad abſtergendos et mundificandos dentes vtimur. Calcinatae ab antiquitate inter lithontriptica relatae ſunt. AVICENN. *L.* 3. *Fen.* 18. *tr.* 2. *c.* 19.

Pedra del Porco ſ. *Lapis Hyſtricis.*

Hiſtrix, RAI. *Quadr.* 106. α) Hyſtrix manibus tetradactylis, plantis pentadactylis, capite criſtato, LINN. *S. N.* p. 9. Quadrupes animal Indiae orientalis incola, in Sumatra et Iaua inprimis. β) Hy-

Hyſtrix pedibus pentadactylis, cauda truncata, LINN. *ib.* Porcus aculeatus ſ. Hyſtrix Malacenſis, SEBA *Thes.* I. *p.* 81. *t.* 51. *fig.* 1.

Calculus felleus, vt plurimi volunt, ſecundum alios vero in ventriculo natus, *A. N. C. vol.* III. *obſ.* 87. coloris ſubrufi, tactui parum vnguinoſus, politus, lamellatus, amarus, a minutiſſimo granulo ſenſim in molem vitelli gallinacei vel anatini excreſcens. Laudatur praecipue in febribus ardentibus, aliisque acutis et malignis morbis, petechiis, variolis, morbillis, ictero, et affectibus bilioſis, et hyſtericis; in quibus infuſum paratur cum aqua pluuiatili cocta vel diſtillata aliqua, quae inde amarum ſaporem contrahit, cum aliquo lapidis quoad pondus decremento. Reſiccatus lapis poſt factam infuſionem alba et lucida quaſi ſuperficie effloreſcit, tanquam ſi per aquam ſalſam ductus fuiſſet. Huius grana tria vel plura in animi deliquiis ex vino exhiberi optimo ſucceſſu; dicit SEBA *l. c.*

Sericum.

Phalaena pectinicornis elinguis, Bombyx dicta, LINN. *Faun. Suec.* 832. inſectum Chinenſe, nunc per omnem Europam cultum.

Huius inſecti fabrica eſt ſericum, quod ex ſe producit, et quod tam crudum quam vſtum dicitur ad epilepſiam et haemorrhagias prodeſſe. Vſtum quoque aliqui commendarunt ad mundificanda vlcera; crudum vero colore chermeſino tinctum olim ad confectionem alkermes praeſcripſerunt. In Anglia ex crudo ſpiritus bezoarticus paratur, maioris pretii quam ſpiritus cornu cerui, at non ideo maioris efficaciae, licet in arcanis adhuc multis habetur.

Serpentum lapis, Piedra di Cobra de Capelos.

Vipera Cobras de Capelo, KAEMPF. *Amoen.* 565. Serpens Indicus coronatus, diademate ſeu conſpicillo inſignitus, RAI. *Quadr.* 330.

Figurae eſt oualis inſtar dimidiati fructus phaſeoli, in vna parte conuexus admodum, in auerſa vero parum concauus, coloris cinerei cum maculis obſcurioribus, nigricantibus, ſubſtantiae rarioris, inſtar oſſis aridi et poroſi. Duplicis eſt originis, alius arte factus, ex terris Indicis quibusdam bezoarticis, vt alii volunt, *A. N. C. vol.* III. *obſ.* 87. compaginatus, vel ex cornubus boum calcinatis, vt SLOANE contendit *Phil. Trans. n.* 492. alius naturalis magis, artifici tamen manu in hanc formam redactus ex oſſe cranii memorati ſerpentis. Vtrumque dicunt ſpecificum antidotum eſſe pro veneno ſerpentum, ſic vt vulneribus ipſorum morſu inflictis appoſitus firmiter adhaereſcat, donec omne venenum extraxerit. Sed plures clari viri cum SLOANE *l. c.* ſuperſtitioſam eſſe hanc virtutem contendunt.

III. OBSOLETA.

Aranearum tela.

Araneus ſubflauus hirſutus, praelongis pedibus, domeſticus, LISTER. *Aran.* 59. *n.* 17. Aranea fuſca, dorſo maculis quinque longitudinalibus ſubcontiguis nigris, anterioribus longioribus, LINN. *Faun. Suec.* 1215. inſectum.

Fabricam eſſe araneae hanc telam omnes norunt, quam vulnus conglutinare multi olim perhibuerunt, alii etiam febres intermittentes profligare, ſi carpo alligetur, vnde STROBELBERGERVS in ſuum emplaſtrum febrifugum cum ipſis araneis recepit; quae itidem carpo per ſe applicatae quartanam arcere dicuntur, quin adeo auellanae putamini incluſae et de collo ſuſpenſae.

Hirundinum nidus.

Anginoſis et a cane rabido demorſis pro fomento et in cataplaſmate applicari conſueuit.

REG-

REGNVM
MINERALE.

CLASSIS I.

A Q V A.

S E C T I O. I.

Aqua communis.

Aqua communis, hoc eſt, fontana pura, omnis odoris et ſaporis expers, interno vſu attenuat, acres humores temperat, orgaſmum ſanguinis minuit, excretionem vrinae promouet, fibras flaccidas roborat, rigidas relaxat, prout vel frigidula vel calida aſſumitur. Externo vſu in ſtillicidio debiles partes firmat, concreta diſſoluit, in epithemate frigido inflammationes diſcutit, haemorrhagias compeſcit, languidum cordis motum erigit; ſub calida applicatione in pediluuiis et balneis poros cutis aperit, fibras ſtrictas relaxat, tranſpirationem promouet, ſpaſmodicos dolores mulcet, ſuperiores partes a congeſtionibus liberat. Vaporum forma in os attracta, raucidati medetur. HILSCHER Pr. *de inſigni quodam raucitatis remedio.* Ien. 1747.

Aqua marina.

Minus potabilis eſt ob ſalſedinem et amarorem, at egregias vires medicas poſſidet. Deiectiones mouet pota, aut calide infuſa HIPPOCR. *Epid.* VII. 33. Pituitam diſſoluit et expellit, DIOSC. obſtructa viſcera et glandulas aperit, RVSSEL *de tab. gland. co-*

licae billioſae nautarum medetur, ID. p. 40. calculos felleos exturbat, ID. p. 140. icterum, atrophiam, et vlcera ſcorbutica ſanat, *ib.* ſi quotidie ad libram potatur. In lotione ad pſoras, pruritus, et impetigines prodeſt, DIOSC. in fotu pernionibus, ID. Ad venenatos ictus et morſus ſalutaris intelligitur, etiam ſi quis in eam deſcendat, ID. licet hodie multi pro ſuperuacua eam ſic declarant, NVNGENT, CHOISEL. Malo habitu confectis corporibus et neruis; balneae ex ea vtiles. Hydropicos, capitis dolores, aurium grauitates, feruentis vapor leuat.

SECTIO II.

Acidulae.

Ex tanto numero acidularum, queis totam Europam Creator ditauit, eas tantummodo hic recenſebo, qui in Germania et huic vicinis regionibus ſcaturientes frequentiſſimi et maxime celebrati vſus ſunt, cuiusmodi ſunt Antoninanae, Egranae, Pyrmontanae, Selteranae, Schwalbacenſes, Spadanae, atque Wildungenſes. Commune ſingulis eſt aquae puriſſimae elementum, cui ſpiritus quidam mineralis elaſticus, vitriolicae indolis, large inhaeret, accedentibus quibusdam particulis ſalinis ac terreis. Per has partes, et primo quidem ſpirituoſum illud expanſiuum principium, acidulae exiliſſima vaſa noſtri corporis penetrant, humorum circulum augent, ſtagnationes diſcutiunt, obſtructiones referant; per ſalinum autem detergunt et ſtimulant, et varias excretiones excitant; per terreum denique acidos corruptos humores infringunt et alterant. Vtendi modus diuerſus eſt. Vulgatiſſimus is eſt, vt ſolemnibus quibusdam inſtitutis ratione temporis et quantitatis adſtringatur; de quo nos optime erudiunt libri de ſingulis fere fontibus abs doctiſſimis viris exarati. Alter mitior eſt, et ante hos fere triginta annos a FRID. SLARE propoſitus, nec tempori, nec loco, nec certae quantitati adſtrictus modicus et ſucceſſiuus, qui vt a ratio-

ne neutiquam deſciſcit, ita nec ab experientia improbatur.

Aqua Antoniana.

Gratiſſimo omnium ſapore ſe commendat, et temperatiſſimae indolis eſt, inſignem ſpiritus mineralis copiam, non minus quam terrae calcariae et ſalis communis, at parum ſalis alcalini cuſtodiens. Hypochondriaco et hyſterico malo affectis inprimis conducit.

Aqua Egrana.

Copioſum ſal catharticum mediae naturae in complexu ſuo alit; hinc ad lentos humores diſſoluendos, ad reſerandum infarctum viſcerum, et ad ſordes primarum viarum eluendas et per alui ſeceſſum exturbandas maxime conuenit.

Aqua Pyrmontana.

Non mediocris eſt efficaciae. Aluinam excretionem et diureſin promouet, ſeorſim vel coniunctim, obſtructiones viſcerum expedit, tonum eorundem roborat, humorum dyſcraſiam emendat. In morbis chronicis et rebellibus vtiliſſima eſt. SEIP.

Aqua Selterana.

Largiorem copiam ſalis alcalini, quam aliae acidulae, in ſinu ſuo fouet, at nihil de martiali elemento. Mitiſſimae indolis eſt, vt tamen diureſin bene promoveat, humores viſcidos reſoluat, et inprimis arthriticis et aſthmaticis conducat. Potatur vel ſola, vel in connubio cum lacte. Pro potu etiam ordinario tam ſeorſim, quam adiecto pauculo vini inſeruit. HOFFMANN.

Aqua Schwalbacenſis.

Medium quaſi locum inter Pyrmontanas acidulas et Egranas tenet; hinc eiusdem vſus eſt, et inprimis hypochondriacis ac melancholicis commendatur. HENSING.

Aqua

Aqua Spadana.

Omnium fere acidularum leuiſſima, in renum et veſicae vitiis praecipue conducit, itemque in gonorrhoeae reliquiis et vlceribus gallicis. HOFFMANN. *diſſ. de* PRESSEVZ *diſſ.*

Aqua Wildungenſis.

Admodum mitis eſt, et cum Antoniana multum affinitatis alit. Scorbuticis et arthriticis auxilio eſt. Vſui diaetetico etiam eſt accommodata. OVELGVN.

SECTIO III.

Thermae.

Cum acidulis thermae in plerisque conueniunt, ratione ſcilicet ingredientium, indeque pendentis vſus et efficaciae; eo vero potiſſimum differunt, quod caloris maiorem vel minorem gradum ſecum ferunt, indeque etiam varium, eumque eximium vſum externum admittunt; quanquam et hodie acidulas, ſaltem Pyrmontanas, calefacere, et in iis lauare ſolent. Sunt autem ex thermis celebratiſſimae in Germania Aquisgranenſes, Carolinae, Emſenſes, Hirſchbergenſes, Wisbadenſes, quarum virtutes nunc ſuccincte recenſebo.

Thermae Aquisgranenſes.

Sulphuream naturam habent. Quoad internum vſum ad morbos ſpasmodicos multum faciunt, nec non iis proficiunt, quorum primae viae ſaburra biliosa, acida, et viſcida oneratae ſunt. Ratione externi vſus conueniunt in morbis arthriticis, paralyticis, contracturis, et omnibus cutis defoedationibus, quas bene extergunt. Sub forma ſtillicidii et vaporis itidem efficaces ad tumores et rigiditates artuum tollendas. SPRINGSFELD.

Thermae Carolinae.

Omnium feruidiſſimae, ſub interno vſu aluum fortiter

titer, mouent, vrinae ſecretionem vrgent, ſudorem et ſaliuae fluxum concitant, acidum cicurant ob copioſam terram calcariam, lentorem humorum emendant, et viſcerum tonum roborant. Vnde facile patet, in quibus morbis proſint. Sub balnei forma in iisdem, in quibus Aquisgranenſes commendatae fuerunt, conducunt. Sub interno et externo vſu ſterilitati mulierum, ex vteri laxitate prouenienti, vt et inuoluntario mictui ex ſphincteris atonia oriundo, optime medentur. Ceterumque inſignem facultatem in calculis veſicae diſſolvendis obtinent, eaque aquam calcis viuae longe ſuperant. SPRINGSFELD. Fons molaris, haud ita procul a Carolinis prorumpens, interno vſui aptior eſt, eo quod tepidus ſaltem eſt, et multo ſubtilior, atque minorem copiam terrae calcariae, longe maiorem vero ſalis medii, quadantenus amaricantis, continet. SPRINGSF.

Thermae Emſenſes.

Admodum ſubtiles ſunt ob defectum partium terreorum, in intimos viſcerum receſſus penetrant, et coagula eorundem diſſoluendo per ductus vrinarios euacuant. Externe ad eosdem morbos faciunt, ac praecedentes. WOLFART.

Thermae Hirſchbergenſes.

Sulphureo-bituminoſas partes, vna cum terreis martialibus praeter alias communes continent. Hinc aluum mouent, et quandoque vomitum, ſimulque diureſin et diaphoreſin. In chronicis morbis, a tono laeſo ortis, conducunt. Sub externo vſu in omnibus ſpaſmodicis effectibus vtiles ſunt ALBERTI *diſſ.*

Thermae Wisbadenſes.

Aluum ducunt et humores viſcidos attenuant. Sub externo vſu, ob teneriorem ochram martialem, quam vehunt, roborant et diſcutiunt.

CLAS.

CLASSIS II.

SALES.

Alumen.

Sal auſterum, criſtallis octaedris, album, vel natiuum, vel ex peculiaribus terris et lapidibus eductum, quae copioſiſſime in Italia, Anglia, Suecia, Germania et Bohemia reperiuntur. Vſus eius eſt adſtringere & coagulare. Interne laudatur in magnis profluuiis ſanguinis, pondere ſcrupuli vnius vel drachmae dimidiae, HELVET. *Tr. des pertes de ſang.* LAZERME *curat. morb. I.* p. 189. 209. in diabete cum ſero lactis, DOVER *legs.* et MEAD. *Monit. med.* p. 104. in continua ſputatione, LENTIL. *Iatromm.* p. 321. Aduerſus cancrum ſumendum ſuadet LOVIS *obſ. ſur les effets du virus cancreux.* Denique contra febres intermittentes nonnulli tam crudum, quam vſtum adhibent, quemadmodum etiam alumen tinctum Mynſichti. Externe in gargariſmatibus ad anginam, vuulae relaxationem, vlcera oris, et vitia dentium atque gingiuarum, et ad luxuriantem et putridam carnem vulnerum et vlcerum abſumendam, vſtum inprimis adhibetur; crudum vero ad prolapſum vteri et haemorrhagias.

Borrax.

Sal minerale, albicans, diaphanum, ſicciſſimum, aluminis criſtallis perquam ſimile. Adfertur ex India, criſtallorum minorum obſcuriorum et viſcoſarum forma, vbi Tinkal dicitur, vlterius vero ſolutione et criſtalliſatione, forſan etiam additione materiae alicuius ſecretae perficitur, vt ea forma, qua accipimus, compareat. Ars vero iſta primo Venetis arcana fuit, deinde

deinde vero etiam ad Batauos peruenit. Eſt ſal vere mirabile, cui ſimile nec natura, nec ars vllibi produxit. Vim habet abſtergendi, reſoluendi, atque ſtimulandi: inde in obſtructionibus glandularum et viſcerum inſignem opem praeſtat, teſte LEMERY *Mem. de Par. ann.* 1729. p. 296. Ad vrinam et partum promouendum, et menſes et lochia reſtituenda, multis etiam inſeruit; pondere vbique granorum quindecim ad ſcrupulum vnum. Maiori doſi aluum mouet. Carnem quoque putridam abſumit.

Nitrum.

Nitrum humi, LINN. *S. N.* p. 163. Nitrum terra mineraliſatum, WALLER. *Miner.* p. 165. vbique in locis tectis.

Sal albicans et diaphanum, mediae et fixae naturae, criſtallos priſmatis ſexangularis referens, ſaporis ſalſi, et frigidum quid in ore referentis, cum ſulphureis corporibus in igne detonans. Tam naturae, quam artis productum eſt. Sanguini commiſtum, fluidiorem eum, et rubicundiorem reddit, HOFFM. *Med. ſyſt. T. III. Sect. I. cap. XII.* §. 12. SCHWENKE *Haematol. p.* 195. SAVVAGES *diſſ. ſur les medic. qui affect. cert. part. p.* 37. 39. licet refragetur STAHLIVS *Opuſc. phyſ. chem.* p. 568. Praecipuum eſt remedium, fervorem et orgaſmum ſanguinis temperans, antiſpaſmodicum, diureticum, antiphlegmonicum, iſchaemum; ab aliquot granis ad drachmam dimidiam. Calculoſis, et qui dyſuriam paſſi ſunt, commendat PENOTVS *de med. chym.* p. 57. commendat etiam in nephritide GRVLING *obſ. de calc.* p. 120. et nephriticum a calculo per nitrum curatum refert TIMAEVS *conſult.* 3. In haemorrhagiis praedicat RIVERIVS *cent. I. obſ.* 83. 94. 96. *cent. II. obſ.* 18. etiam externe ad haemorrhagiam narium compeſcendam in nares trahitur, aqua ſolutum. Epithematibus etiam commode ad arcendos capitis dolores admiſcetur. In dyſenteria et cholera ID. laudat *Prax. C.* I. *obſ.* 33. et

HOFFM.

HOFFM. *T. IV. P. III.* p. 549. 595. licet non promiſcue in his malis adhibendum, TRALLES *choler.* In obſtructione menſium commendat GRVLING *obſ.* 50. contra ſingultum *E. N. C. dec. II. ann.* 4. *et* 6. Verum vbique indiuidua conſideranda ſunt, quippe in quam multis ſpaſmos ventriculi inſignes creat, quod non ſemel expertus ſum; quemadmodum etiam inflationes et debilitatem illud induxiſſe, ANDR. HERMANN. obſeruauit *Epiſt. de nitr. vſu et abus.* Conſtat etiam obſeruatione BACON. de VERVLAMIO, quod abuſus nitri, in Anglia olim frequens, homines debiles et appetitum proſtratum effecerit; idque ipſum nouiſſime ſuo exemplo confirmauit Cl. TRALLES *hiſt. choler.* p. 72. 73. Neque aliunde profecto inſignem debilitatem vniuerſalem, et anorexiam, et alui tarditatem deriuare licet, quam abs largiori vſu pulueris antiſpaſmodici obſeruatam legimus in *Act. Suec. IV.* p. 287. In gonorrhoea maligna noxius eius vſus abs quam multis declaratur, *Lecons de Chym. de l'Vniv. de Montp.* p. 5. noxius etiam in tuſſi ſicca, et pulmonum vlceribus, *ib.* STAHLIVS, cum falſo crediderit, abs nitro humores coagulari, vbique tartarum vitriolatum addidit, quod coagulans effectus impediretur: quod eius aſſeclae etiamnum faciunt.

Sal commune.

1) Sal commune, fontanum. Muria fontana, WALLER. *Miner.* p. 224. E fontibus variarum regionum, nonnunquam etiam ex lacubus, quales in Sibiria exiſtunt, excoquitur.

2) Sal marinum. Muria marina, particulis nitroſis mixta, CARTHEVS. *Elem. miner.* p. 37. Ex aqua marina paratur.

3) Sal gemmae. Muria foſſilis pura, WALLER. *Min.* p. 220. Natiuum, effoditur in Polonia, Hungaria.

Sal medium, fixum, reſoluit humores, et ſtimulat. In clyſteribus ad ſoluendam aluum adhibetur. Vermes etiam expellit. Putredinem arcet. RVSSEL *de vſu aqu. marin.* p. 189.

Vitrio-

Vitriolum.

1) Vitriolum ferri. Vitriolum martis, WALLER. *l. c.* p. 207. In monte Rammelio, et fodinis Hungaricis.

Sal metallicum, coloris viridis, ſaporis nauſeoſi et auſteri. Sacra anchora eſt in ſiſtendo ſanguine, poſt amputationes, et vbi maior haemorrhagia adeſt, vbi linteo inuolutum, aut etiam per ſe, oris vaſorum adprimitur. Facit etiam ad ſiccanda antiqua vlcera. Ob ſaporem nauſeoſum, adſtringentem, et virtutem corrodentem, vomitumque cientem, vix vnquam niſi a temerariis in vſum internum vocatur.

2) Vitriolum cupri, WALLER. *Min.* p. 206. Vitriolum de Cypro. In monte Fichtelbergio et Rammelio.

Criſtallorum nitore reliqua antecellit, ceterum non minus auſterum et ſapore nauſeoſum. Externe vſurpatur pro cathaeretico.

3. Vitriolum album. Vitriolum Zinci, WALLER. *Min.* p. 207. in monte Rammelio.

Sal metallicum decompoſitum, non criſtalliſatum, ſed ſimpliciter ſiccatum et coagulatum, licet natiuum omnino criſtallos formet. Vomitum excitat ipſo fere momento, quo deglutitur: ob nauſeoſum vero ſaporem et vſum non ſatis tutum, vix amplius praeſcribitur. Doſis vero eſt drachma dimidia vsque ad integram ex aqua calida. Externe in collyriis ad lippitudinem et ſordes oculorum abſtergendas facit. Errhinam etiam virtutem exſerit.

CLASSIS III.

INFLAMMABILIA.

Antimonium.

Stibium ſtriatum, LINN. *S. N.* p. 172. Antimonium ſulphure mineraliſatum ſtriatum, WALLER. *Mineral.* p. 238. n. 4. ex minera in Hungariae, Bohemiae, Saxoniae, Sueciae fodinis reperiunda.

Antiqui virtutem ei adſcripſerunt adſtringentem, refrigerantem et leniter cathaereticam; adeoque ad excreſcentiam in carne cohibendam, vlcera ad cicatricem perducenda, ſordes et vlcera oculorum expurganda, ſanguinis e cerebri membrana fluxum ſiſtendum, et ambuſta ſananda externe applicarunt. DIOSC. De interno vſu ſilent. Quem poſteri dein inſalubrem et venenatum declararunt (IAC. GREVINI *Tr. de Antim.* Antw. 1571. 4. GVID. PATIN *lettres chois.* I. 18) adeo, vt legibus publicis ſub graui poena ille interdictus fuerit in Gallia annis 1566. et 1609. At falſiſſimam hanc ſententiam poſtea exploſerunt alii, inter quos KVNKELIVS fere primus eſt *Labor. chym.* p. 432. ſiquidem vis eius tuta eſt diaphoretica et ſanguinem purificans, vnde in diuerſis grauibus morbis a ſanguinis et lymphae impuritatibus ortis, vt ſcabie, lue gallica, rheumatiſmis, malo iſchiatico, (*A. N. C. vol. IX.*), arthritide fixa (KVNKEL *l. c.*) et vaga (*Act. Acad. Mogunt. I.* p. 318.) inſigni cum fructu adhiberi poteſt a granis quinque vsque ad ſcrupulum; etiam in ſtupore et dolore oſſium poſt ſaliuationem orto (*Commerc. Nor.* 1732. p. 129.

1733. p. 10.), et in paralyſi artuum a frigore, *ib.* nec non in paralyſi a febre relicta (LENTIL. *Iatromn.* p. 15.) et in ſaturnina (KLEIN *ſelect. medic.* p. 145.). Laudatur etiam a GEOFROY in rachitide infantum, contra vermes, in obſtructione glandularum, et fluore albo mulierum, incipiendo a grano vno et adſcendendo ſucceſſiue ad ſcrupulum dimidium. *Mem. de l'Ac. de Par.* 1734. p. 433. Adiungi poſſunt aliquot grana lapidum cancrorum, vt ne nauſeam, quod interdum fit, ſumentibus creet. In decocto ad aliquot vncias praeſcribitur.

Ambra.

Electrum opacum tenax, LINN. *S. N.* p. 167.

α) Ambra griſea. Ambra binis vel trinis coloribus variegata. *β)* Ambra nigra. Ambra vnicolor nigra, WALLER. *Min.* p. 266.

Subſtantia glabra, ſolida, leuis, bituminoſa, ſaporis et odoris ſuauis balſamici, e maris fundo, in India orientali praeſertim, proueniens, tandem condenſata ad ſuperficiem aquarum et littora proiecta. Inter medicamenta confortantia, et quae debilitatum ſyſtema neruoſum roborant, facile principem locum obtinet. Propterеaque optimum praebet medicamentum cephalicum, et contra vertiginem, apoplexiam, et ſyncopen adhibetur. Memoriae etiam imbecillitati medetur; et HOFFMANNO teſte, in epilepticis morbis omnium antepilepticorum tum roborantium, tum ſedatiuorum vires longiſſime ſuperat, *Medic. ſyſt. T. IV. P. III.* p. 21. Datur a grano vno vsque ad tria. Variis inſuper rebus, ad gratum odorem conciliandum, admiſcetur.

Aſphaltum ſ. *Bitumen Iudaicum.*

Bitumen ſubfriabile atrum, LINN. *S. N.* p. 168. Bitumen ſolidum coagulatum, WALLER. *Min.* p. 254.

Subſtantia bituminoſa, dura et fragilis, ex atro purpuraſcens cum ſplendore. E terris nonnullis, ſaepius e fundo maris molli vel liquida conſiſtentia prodit, at-

atque dein ſenſim in eam, quae ipſi propria eſt, ſolidam ſubſtantiam condenſatur. Maria Chinae regno vicina adeo eo abundant, vt per notabile ſpatium vndique fere tecta ipſo obſeruentur. E monte Carpatho etiam defluit. Neocomum Heluetiorum, Neufchatell, optimum largitur. Vtplurimum adulterinum eſt, e pice nauali et oleo quodam minerali empyreumatico concinnatum. Externe diſcutit, et ſanguinem coagulatum ac tumores diſſoluit, et vlcera ſordida conglutinat. In ſuffimento vteri ſtrangulationi medetur. *A. N. C. vol. II. obſ.* 195. Interne pilularum forma colicum dolorem leuat. Aegyptii olim cadauerum, quae nobis Mumiae dicuntur, balſamationi impenderunt.

Cinnabaris natiua.

Hydrargyrum rubrum pyriticoſum, LINN. *S. N.* p. 171. Hydrargyrum ſulphure mineraliſatum, minera rubra, WALLER. *Min.* p. 285. in Hungariae fodinis.

Vim ei veteres adſcripſerunt adſtringentem, et ad cohibendum ſanguinem, ad ambuſta, ac inter oculorum medicamenta praeſcripſerunt. DIOSC. Priori ſeculo, et quod excurrit, virtutes eius extenderunt ad varios morbos, obſtructas glandulas, dolores quoscunque capitis et artuum, lymphae vitia, motus conuulſiuos et epilepticos; vt CRATO magnetem epilepſiae vocauerit. At pro inerte medicina eam hodie declararunt, praeter BOERHAAVIVM, CARTHEVSERVS *diſſ.* QVELLMALZIVS *Progr.* HVNDERTMARKIVS *Progr.* Quanquam vero ipſorum argumenta, quae attulerunt, perſuadendi vim multam habent, non credo tamen, egregios illos viros viam rectam iniiſſe, qua inertia alicuius medicamenti demonſtrari poſſit, quum non experientiae lanci eam expoſuerint, ſed ratiociniis et experimentis chemicis ſaltem, argumentis profecto in arte noſtra ſaepe fallacibus, vſi ſint. Quisquis recte demonſtrare velit, nullius virtutis eſſe cinnabarin, ille ſaltem habet

bet eam ſolam, et magna doſi, et diu ſatis exhibere. Id ego vero aliquoties quum fecerim, negare non poſſum, eam prorſus inefficacem eſſe. Puella decem annorum, per integrum annum et amplius conuulſionibus nocturnis correpta, aduerſus quas multi multa remedia perperam attulerunt, liberata illis fuit ex toto per integram hebdomadem, quum per duas antea hebdomades ipſi quotidie bis ſcrupulum dimidium devorandum dediſſem. Quid in ceteris morbis poſſit vel non poſſit, nondum expertus ſum. In ſuffitu ptyaliſmum excitat; quem vero modum luem veneream ſanandi adhuc omnes fere damnarunt (ASTRVC.). Occurrunt autem tres diſtinctae cinnabaris natiuae ſpecies, granulata, in fragmentis, et puluerulenta. Prior optima eſt pro vſu interno, ſi ante lotione et ſublimatione repurgata fuerit. Altera iisdem encheiriſibus opus habet. Tertia prorſus reiicienda eſt, quum fere ſemper minio adulteretur abs lucripetis.

Petroleum.

Bitumen liquidum fuſcum, LINN. *S. N.* p. 168. Bitumen liquidum craſſius obſcure bruneum, WALLER. *Min.* p. 252.

Liquor oleoſus e terra prorumpens in pluribus Italiae locis, praecipue in agro Mutinenſi e monte Cibinio, et in Galliae prouincia Auernia prope pagum Gabian, a quo etiam vocatur *Oleum Gabianum,* et alibi. Non niſi ſubtilitate et albore ab eo differt *Naphtha* veterum, cui vis ignium rapax, ita vt ex ſpatio protinus in eam tranſiliant; quae celebratiſſima olim erat circa Babylonem. DIOSC. Vſus crebrior externus, quam internus eſt. Illo digerit, diſcutit, et emollit, hinc pernionibus illinitur, item pubi et perinaeo ad vrinam cohibitam ciendam, vmbilico etiam ad vermes eiiciendos. Interne aduerſus eosdem, et ad colicum dolorem commendatur, et ad lumbricos, a gutta vna ad quatuor.

Succinum ſ. *Carabe.*

Succinum pellucidum (album et citrinum), WALLER.

LER. *Miner.* p. 261. Electrum diaphanum ſolidum, LINN. *S. N.* p. 167.

Bitumen ſaporis quodammodo acris, odoris, cum in ignem proiicitur, ſpecifici, non ingrati. E mare Baltico copioſe colligitur; et e terris quoque eruitur. SENDEL *Hiſtor. Succinor.* Virtus ei moderate calefaciens, ſiccans, et roborans eſt. Menſes et lochia ciet, rheumaticis et catarrhalibus morbis medetur, tam interne ſumtum ad ſcrupulum vel drachmam dimidiam, quam in ſuffitu. Vulneribus et vlceribus partium praecipue exſanguium mundificandi et conſolidandi ſcopo vtiliter adhibetur.

Sulphur.

α) Sulphur viuum ſ. virgineum. Sulphur natiuum purum flauum, WALLER. *Miner.* p. 270. n. 1. *β*) Sulphur citrinum. Ex pyrite toſtione et aliis operationibus educitur. Prius in Heluetia vulgare: Pyrites in monte Rammelio et alibi reperitur.

Mixtum minerale ex acido vitriolico et phlogiſto, vtrisque terrae immerſis, arcteque inter ſe copulatis, conſtans. Vim habet ſanguinem rarefaciendi, pituitam diſſoluendi, et impuritates ſanguinis per cutis poros expellendi, absque vlla ſenſibili caloris incenſione; vermes denique eiiciendi. Vnde in tuſſi humida et aſthmate, in ſcabie, et rheumatiſmo ac arthritide commendatur. BLAKMORE p. 84. Doſis ad ſcrupulos duos aſcendit. A continuato vſu aluus laxa fit. Singulare etiam remedium eſt in haemorrhoidibus coecis cum teneſmo et aluo adſtricta. WERLHOF. *obſ. de febr.* p. 97. b. Ptyaliſmum quoque a mercurio ſuſpendit; et in morbis acutis exanthematicis prodeſt. Exemplum taeniae per vim eius expulſae habet *van* DOEVEREN *diſſ.* Sed vbique pro interno vſu flores propter puritatem praeſcribendi ſunt. Ab externo in ſcabie cauendum eſt.

CLAS-

CLASSIS IV.
METALLA ET SEMIMETALLA.

I. VSITATA.

Argentum.

Metallum perfectum, poſt aurum omnia reliqua metalla fixitate et ductilitate ſuperans. Memorandum hoc loco ſolummodo venit ob lapidem infernalem et criſtallos lunae Syluii, quae inde parantur, et quorum prior in Chirurgia, iſtae in hydrope ſubinde expetuntur. Per ſe enim in Medicina exiguae vtilitatis eſt. Cephalica enim illa ſpecifica virtus, quam ipſi olim tribuerunt, falſo nititur ſuppoſito ex conuenientia lunae terreſtris cum coeleſti, et huius ſpeciali in caput influxu. Et argentum natiuum capillare, in epilepſia pro ſpecifico habitum, ab arſenicali labe quum non immune eſt, prouidum admodum vſum requirit, *A. N. C. vol. II. obſ.* 156. quin etiam ob cupreas partes ſaltem, quas continet, prodeſſe aliquid videtur. Argentum bracteatum hodie pro obducendis pilulis creberrimi vſus eſt, vt palato reddantur gratiores.

Ferrum.

Metallum duriſſimum, facile in quouis acido ſolubile, magneti familiare. Cui virtus tonica, adſtringens, aperiens, acidumque abſorbens: vnde in affectibus hypochondriacis (LENTIL. *Iatromn.* p. 232. 244.), cachexia, chloroſi (*A. N. C. vol. VII. obſ.* 17.), fluore albo (*E. N. C. dec. III. an.* 9. *et* 10. *p.* 297.), incipiente hydrope (SYDENHAM. p. 633.), menſium defectu, cardialgia et podagra extra paroxyſmum (WERLH.

(WERLH. in *Comm. Nor.* 1734. p. 115.), cephalaea (*A. N. C. vol. VII. obſ.* 17.), vtiliſſimum eſt, ſi bis de die ad gr. IV vel VI in limatura deuoratur, inprimis cum duplo pondere cremoris tartari combinatum, in hydrope vero cum radice ialappae. Sed ſubigi etiam extractis poteſt. Ad vnam drachmam exhibitum per aliquot dies, vermes et taeniam quoque, licet non ſemper, expellit *van* DOEVEREN, *diſſ. de vermib. inteſt. p.* 68 71. Radici ialappae et ſimilibus rebus ad pauca grana admixtum, eorum vim purgantem auget. Nocet vero ferri vſus, ſi ventriculus et inteſtina putridis ſuccis referta ſunt, ſi ſanguis redundat, ſi ſolidae partes nimis tenſae ſunt, ſi inueteratae obſtructiones in viſceribus, et vlcera in pulmone vel in aliis viſceribus (*van* SWIETEN III. p. 659. 660. EDWARDWRIGHT *diſſ.*). Proſpiciendum etiam eſt, inprimis in morbo hypochondriaco, ne vſum eius conſequatur alui conſtipatio, pectoris oppreſſio, vrinae retardatio, aut tranſpirationis imminutio; vbi protinus cum lenioribus laxantibus combinandum eſt (STARCKE in *A. N. C.* cit.). Vinum aquaue, in qua candens ferrum reſtinctum, potu coeliacis, dyſentericis, lienoſis, cholera laborantibus, et diſſolutis ſtomacho auxiliatur (DIOSC.). Rubiginem ferri tanquam praeſentiſſimum remedium in ephialte laudat CHIRAC.

Mercurius viuus ſ. Hydrargyrum.

Liquor mineralis, manus non madefaciens, poſt aurum, vel ſi placet, poſt Platinam, maximam grauitatem ſpecificam monſtrans, in igne fugax, argento fuſo quoad colorem ſimillimus. Reperitur vel actu currens in fodinis, quantumuis rarius et in quantitate exigua, qui *virgineus* dicitur, et optimus, absque tamen vlla probabili ratione, habetur; vel in forma minerae eruitur, in Hungaria, Tranſyluania, Bohemia, et alibi. Antiqui viri inter venena retulerunt, ideo quod pondere ſuo interna exederet. DIOSC. AEGINET. *de re med. L.* 7. *c.* 3. Arabes ceperunt

ceperunt eo externe vti, licet parcius, in vnguentis ad varios cutis morbos, et ſub finem ſeculi decimi quinti aduerſus luem veneream is externe quoque in vnguentis, ſuffimigiis, lauationibus, ceratis vſurpari cepit (ASTRVC. p. 158.). Paullo tardius interne in pilularum formam redactus cum aliis ad eundem turpioris intemperantiae morbum adhibitus fuit (ID. p. 166.). Ante centum et aliquot viginti annos a BRASSAVOLO et MVSITANO infantibus ad enecandos vermes, exigua licet quantitate, a duobus ad quatuor grana, et ad ſummum ſcrupuli pondere dabatur. Eademque doſi poſtea obſtetrices parturientibus bibendum exhibuere. At eodem tempore MATTHIOLVS expertus eſt, ad librae pondus a foeminis ad abortum procurandum fuiſſe aſſumtum ſine vlla noxa. Aliae virtutes poſtea deprehenſae fuerunt, nempe quod pertinaciſſimas alui obſtructiones vel ex alui foecibus induratis, inteſtinorum ſpaſmo ſtipatis, vel ex complicatis inteſtinis oriundas, pondere ſuo expediat: quod epilepſiam a vermibus ſanet (HEISTER. *Comp. pract. c.* 14. §. 55.), itemque phthiſin (DOVER *legs.*), praeſertim ſcrophuloſam (KLAVNIGII *Noſocom. charit. ſpecim. I. hiſt.* 2.), et hydrophobiam (DESAVLT *diſſ. ſur la rage*; CHOISEL.), externe vulneri, quod canis rabidus fecit, illitus; et amauroſin (HEIST. *diſſ.*) et tumores ſtrumoſos (*A. N. C. vol. II. obſ.* 12.), vtrinque per ſaliuationem excitatam; porro etiam febres malignas e vermibus excitatas, per experientiam BERTINI, VALDAMBRINI, MOREALI, BIANCHINI. Adeo in peſte laudatur a CAMERAR. *in ſylloge memorab. cent.* 5. *p.* 91. SCHREIBERO *obſ. de peſtilent.* p. 50. et *van der* BECK *in epiſt. de Indiae rarior.* append. ad *Vol. I. A. N. C.* p. 130. 131. et ad plures alios morbos, hypochondriacum, febrem quartanam, podagram, cephalalgiam, paralyſin, vertiginem, corpulentiam nimiam, fatuitatem, menſium obſtructionem, vlcera cacoethica (STAHLII *diſſ. de ſaliuat. mercuriali aliis, praeter luem veneream, morbis rebelli-*

bus exſtirpandis pari. Hal. 1710.) et cancrum occultum (SCHLICHTING in *not. ad* VERBRVGGE *Chirurg.*). Denique quod in amuleto lactis ſecretionem impediat, idemque totum diſcutiat, fidem facit DEGNERVS in *A. N. C. vol.* 5. *obſ.* 149. Ante aliquot luſtra in Anglia et Scotia panaceae fere inſtar laudabatur, ſi mane vncia vna vel altera eius potaretur; quod multi fecerunt per plures hebdomades absque vlla ſenſibili euacuatione aucta. *Medic. eſſais of Edinb. III.* p. 387. Non diu autem is vſus videtur perduraſſe, quum conſtitit, damna quaedam inde poſtea fuiſſe inducta. Relinquit enim tremorem in artubus et impotentiam in pedibus, vt obſeruatione HOFFMANNI conſtat in *Med. Syſt. IV. part.* 2. p. 335. Vt omni tempore fuerunt, qui pertimuerint et improbauerint vſum mercurii, ita quoque noſtra aetate tale iudicium contra quotidianam experientiam de ipſo tulit LAVR. CAIET. FABBRI Tr. *dell' uſo del mercurio crudo ſempre temerario in Medicina.* Colon. 1749. *& appendice al trattato dell' uſo etc. in giuſtificatione.* Luccae 1751. Absque depuratione vero nunquam mercurium intus adhibere decet, cum non deſint adulteria; quae, vt ipſam depurandi rationem, chemia docet.

Plumbum.

Metallum imperfectum, omnium maxime malleabile, coloris ex caeſio griſei. Non tam ob ſe ipſum, quam ob varia praeparata, quae inde fiunt, ceruſſam, minium, lithargyrium, quorum vſus copioſus eſt, inter vſitata medicamenta refertur. Ipſi autem vis magna eſt adſtringens, repellens, et refrigerans, adeo vt interno vſui non debeat adhiberi. Lamellae eius imponuntur mammis cancro occulto deturpatis, vel per ſe, vel mercurio ante imbutae. Eandem virtutem praeparata, quae modo adduxi, poſſident externe adplicata; ad internum enim vſum aeque parum, ac ipſum plumbum, accommodata ſunt. Cauendum maxime a vinis, nefaria arte per lithargyrium mangonizatis.

II. MI-

II. MINVS VSITATA.

Aurum.

Metallum perfectum, ponderoſiſſimum et ductiliſſimum. Medico vſui fere non eſt aptum, quod corpus et ſuccos eius prorſus non mutat. Confortantem virtutem, quam in tincturis eius quaerunt, illae aliunde habent; vti etiam purgantem in croco fulminante. Foliatum pilulis obuelandis adhibetur ornamenti cauſa, aut pulueribus vel aquis ob vulgi opinionem, quam falſe admodum deridet *der getreue* ECKHARD *im entlauffenen Chymico* p. 546. admiſcetur. Cuſum in ſaliuatione nimia in ore detinetur, vt globuli mercuriales cum ſaliua effluente adhaereſcant.

Cuprum ſ. *Aes.*

Metallum imperfectum, durum, rubicundi ſplendentis coloris, aëre et aqua aeruginem contrahens. Intus ſumtum emeticum et purgans eſt, ſed neruos quoque ſingulari modo afficit, vt ad epilepſiam vere proſit, auctore ARETAEO *de curat. acut. L. I. c.* 5. et WEISMANNO, qui criſtallos eius ſingulari modo paratos exoptatiſſimo cum ſucceſſu adhibuit, *Nov. A. N. C. Tom. I. obſ.* 67. et ad hydrophobiam praeuertendam, ſicut Ill. COTHENIVS expertus eſt, qui ſcobem eius ad ſcrupulum dimidium exhibuit. Vid. LOESEKE *Mat. med.* p. 389. n. 5.

Stannum.

Metallum imperfectum, molle, album, omniumque leuiſſimum. Purum ſi eſt, innocentiſſimum eſt, et non mediocri virtute praeditum ad taeniam expellendam, quod experimentis ſuis confirmant, ALSTONVS *in medic. eſſais of Edinb. vol. V. P. I. p.* 89. et MEAD. *in monit. & praecept. med. p.* 74. quanquam abſoluta ei talis vis non eſt, ſed perperam interdum adhibetur, experientia ipſius ALSTONI et aliorum virorum (DOEVEREN *diſſ. de vermib.* p. 72.), inprimis aduerſus illam taeniam, quae articulos dimit-

tit (ID. p. c. et 68.). Deuoranda autem eſt ſtanni raſi drachma vna bis de die, vel ſyrupo ſubacta, vel cum conſerua abſinthii in bolum redacta. Etiam aqua, in qua liquefactum ſtannum vel ignitum ſaltem reſtinctum ſit, adhiberi hoc ſcopo poteſt, aſſerente PITCARNIO in *Elem. medic. c.* 19. et PIETSHIO in *Tr. von Conuulſionen* p. 101. Ad hydrophobiam abs nonnullis quoque commendatur, ſed perperam. *van* SWIETEN cap. *de hydroph. T. III.*

Zincum.

Semimetallum, quod in igne ardet. Paratur Goſlariae et in Anglia, Indiaque orientali ex diuerſis mineris. Fiunt ex eo flores ſub deflagratione, quorum vſus externus exſiccans eſt, et proficuus in lippitudine, et intertrigine.

CLAS-

CLASSIS V.

T E R R A E.

I. VSITATAE.

Bolus.

α) Bolus alba. Argilla ore liqueſcens alba, LINN. *S. N.* p. 207. in Turcia et variis Germaniae locis.

β) Bolus Armena et rubra. Argilla ore liqueſcens rubra, LINN. *Mat. med. lapid.* n. 69. in Perſia, Armenia, Gallia, Germania.

Bolos antiqui vocarunt eas terras, quae manus inficerent. Demulcentem virtutem habent, et quae rubrae ſunt, etiam adſtringentem. In alui profluuiis proſunt. *van* SWIETEN T. I. §. 88. Alexipharmacas vires ipſis antiqui adſcripſerunt, et tam ad morſus animalium venenatorum, quam in morbis malignis febrilibus exhibuerunt, etiam in ipſa peſte, qua paucos periiſſe ex iis GALENVS ſcripſit, qui bolo vſi fuerint, *L. IX. ſimpl.* Verum nulla fides eiusmodi aſſertionibus hodie adhibetur. In mictu cruento Armenam laudant RIVERIVS et HOFFMANNVS *Med. ſyſt. T. IV. P. II. ſect. I. c.* 6. §. 4. Externe adhibentur in intertrigine, et vbicunque leniter exſiccandum, cicatriſandumque eſt.

II. INFREQVENTES.

Creta.

Creta ſubrupeſtris alba, LINN. *S. N.* p. 206. Creta

ta cohaerens ſolida, WALLER. *Miner.* p. 16. in montibus Galliae, Angliae, Daniae, Heluetiae.

Terra alcalina, cuius vſus communis eſt acidum primarum viarum abſorbere. Vnde aduerſus ſodam inprimis deuoratur, et in dyſuria, excitata ab vrinae acrimonia. Externe ſiccandi et abſorbendi ſcopo adhibetur in vlceribus et intertrigine: quandoque etiam, vti a MYNSICHTO factum, pulueribus externis contra eryſipelata additur.

Terrae ſigillatae.

Sunt terrae bolares, in orbiculos formatae et ſigillo notatae diuerſo, pro locorum, vbi eruuntur, differentia, coloris rubri, albi, flaui, fuſci. Inter has terras, quae hodie adhuc celebrantur a quibusdam, *Lemnia* antiquiſſima eſt, quae vti ceterae contra ſerpentium morſus et venena, etiam mineralia, pota ex aqua ad drachmam vnam auxiliari dicitur. Hodie variae Sileſiacae ipſi ſubſtituuntur, de quibus idem contendunt BERTHOLDVS et MEIBOMIVS *Comm. in Iusiur. Hipp.* p. 129. Ceterum ad eosdem morbos, ac boli, praeſcribuntur.

III. OBSOLETAE.

Lac lunae.

Creta friabiliſſima, laeuiſſima, non cohaerens, alba, WALLER. *Min.* p. 18. in Heluetia.

In rimis petrarum haeret. Humores acidos abſorbet, et ex vulgi opinione etiam lac auget.

Rubrica fabrilis.

Marga ochracea rubra, LINN. *S. N.* p. 204. Ochra rubra cretacea, WALLER. *Min.* p. 343. in fodinis ferrariis et in propriis venis.

Lapis mollior argilloſus, inquinans, martialis. Potenter ſiccat et adſtringit, vnde ab imperitis contra dyſenteriam et nimias haemorrhagias commendatur. Externus vero vſus magis conceditur, vbi ſiccatio et adſtrictio indicantur.

CLAS-

CLASSIS VI.

LAPIDES.

I. VSITATI.

Lapis calaminaris ſ. Cadmia foſſilis.

Zincum terreſtre, LINN. *S. N.* p. 174. Zinci minera terrea, colore flaueſcente aut fuſco, WALLER. *Min.* p. 320. in Polonia et Hungaria, Sileſia, Anglia.

Exſiccat et adſtringit. Inſperſione intertriginem infantum tollit, ad lippitudinem nobiliſſimus eſt, inprimis vero in chirurgia vſum eximium praebet vlcera antiqua manantia ſiccando.

Calx viua.

Calcareus particulis ſcintillantibus, WALL. *Min.* p. 56. Marmor ſolubile particulis micantibus arenaceis, LINN. *S. N.* p. 141. in multis Europae regionibus. Igne vſtus nomen calcis viuae obtinet.

Non aliter vſurpatur quam in infuſo aquoſo, quod ad vnam vel duas libras quotidie et aſſidue epotum cachexia, aſthmati pituitoſo, hydropi, obſtructionibus viſcerum, febri quartanae, fluori albo mulierum, et dyſenteriis chronicis potenter medetur, BVRLET in *Mem. de l'Ac. des Sc. de Par.* ann. 1724. praeter haec vero eximie ad calculum renum et veſicae confert, ALSTONO et WHYTTIO teſtibus. Externo vſu ſiccat, adſtringit, et diſcutit, et partibus gangraena affectis et ad vlcera impura qualiacunque in epithemate adhibetur.

Cri-

Criſtallus montana.

Criſtallus hexagona non colorata, WALL. *Min.* p. 144. n. 1. Nitrum quarzoſum aqueum, LINN. *S. N.* p. 163. in fodinis metallicis variarum regionum.

Virtutem omnem medicam criſtallo abnegant MONTI *Comm. Inſt. Bonon. I.* p. 314. et LINN. *Mat. med. lap.* n. 14. qui adeo noxiam eam eſſe contendit. Vis autem ei eſſe probatur, acidum infringere, et ex hac cauſa in primis viis propullulantes morbos, vomitum, tormina infantum, et alui profluuia, choleramque (*ab* HEERS *obſ.* 1. p. 25.) ſopire, nec non hauſta venena acida mineralia ſubigere (ID. *obſ.* 16. p. 210. et WEDEL. *Amoen. mat. med.* p. 338. 339.). Prodeſſe vero tum ſaltem in leuiori caſu, minus vero in grauiori, WEDELIVS prudenter monet. In diarrhoeis fateor, eam me nunquam deſtituiſſe, quum ad drachmam dimidiam aliquoties exhibuerim: et quanquam non eſt alcalinae naturae, neque acidos ſuccos ipſi inſtillatos aciditate ſua priuat, quod Cl. MONTI vrget, tamen, vt effectus docet, eos alterat et imbibit, aut demulcet; ad quod ſubtilis eius laeuigatio ſuper porphyrite multum confert. Ad lac vero augendum fruſtra abs nonnullis commendari videtur.

Haematites.

Ferrum mineraliſatum, minera figurata rubra aut tritura rubente, WALL. *Min.* p. 336. Ferrum intractabile, fibris centralibus rubris, LINN. *S. N.* p. 175. in ferri et magnetis fodinis.

Vires ei ſunt ſiccantes et adſtringentes tam interne, quam externe. Potiſſimum vero ad ſiſtendas haemorrhagias parca manu et cum iudicio exhibitus prodeſt. Externe praeparatus adhibetur ad vlcera manantia, fiſſuras labiorum, et vbi adſtringendum eſt. In manu detentus nudus lapis vulgo haemorrhagiam narium coercere creditur.

II. IN-

II. INFREQVENTES.

Glacies Mariae ſ. Lapis ſpecularis.

Gypſum lamellis rhomboidalibus (parallelis) pellucidum, WALL. *Min.* p. 72. Petra in Germaniae diverſis regionibus obuia.

Siccat et abſtergit. Calcinatus lapis in dentifriciis et contra ſtrumas adhibetur, inque alui profluuiis. Nonnulli etiam ad febres intermittentes tertianas laudant.

Lapis Spongide.

Friabilis et ex arenis quaſi coalitus, coloris ex albo cinerei, ſaporis arenoſi et quodammodo ſalſi. Maris productum eſt, vbi e ſpuma et terreſtrium particularum congeſtione circa varia marina corpora concreſcit. Sabulum et vrinam pellit. Vſtus pulueres contra ſtrumas ingreditur. Intertrigini adſperſus inſeruit, et ad dentrifricios pulueres recipitur.

III. OBSOLETI.

Aetites.

Lithotomi cauitate latente donati, WALL. *Min.* p. 511. Aetites embryone lapilluloſo libero, LINN. *S. N.* p. 193. in campis variarum regionum.

Sterilitatis remedium eſſe creditur, et abortum praecauere ſub alis geſtatus: partum vero atque ſecundinarum excluſionem promouere femoribus alligatus, DIOSC. Vtrumque vero in fabellis hodie habetur.

Alabaſtrum.

Gypſum particulis minimis punctulis nitens, polituram admittens, WALL. *Min.* p. 68. Petra in variis Germaniae regionibus obuia.

Ad profluuia alui cohibenda commendatur, et ad ſtomacacen.

Alumen plumoſum.

Asbeſtus fibris parallelis fragiliſſimus, vix ſeparabilibus,

libus, WALL. *Min.* p. 193. Amianthus fibris pappoſis mollibus, LINN. *S.N.* p. 138. Petra, in India, Italia, Suecia.

In puluere affrictus rubedinem inducit; in vnguento exſiccat, et ad tineam et ſcabiem commendatur, BOET. de BOODT, et in malo iſchiatico (WVRZIVS. c. 25.). Internus vſus nociuus eſt, quo in aſthmate ſenili lethalem inductam haemoptyſin lego in *A. N. C. vol. III. obſ.* 74.

Armenius lapis.

Lazuli lapis pallide coeruleus, punctulis albis, WALL. *Min.* p. 131. Ex comitatu Tirolenſi hodie affertur.

Vomitum mouet non ſine moleſtia, vt omnia venerea. Olim hoc ſcopo dabatur ad drachmam dimidiam in morbis grauioribus, hydrope, mania, apoplexia et ſoporoſis affectibus.

Gemmae.

Tales ſunt *Granatus, Hyacinthus, Saphirus, Sardonius,* et *Smaragdus,* quibus Arabes primum, deinde alii ſtupendas vires, et inprimis cordiales, neſcio quo experimento, adſcripſerunt, (BOET. de BOODT *gemmar. & lap. hiſt.*) eumque in finem tam ſolitarie, quam praecipue ſub multis ſpecioſis compoſitis in Pharmacias introduxerunt. Poſtea addiderunt plures lapides pellucidos, *amethyſtum,* quem geſtatum ebrietatem arcere, ſomnum minuere, venenis reſiſtere, *topazium,* quem ad epilepſiam et melancholiam. *rubinum,* quem tanquam alexipharmacum in morbis malignis laudarunt. Sed diu iam eiusmodi hyperbolicas praedicationes exploſae ſunt ab ERASTO, POTERIO, LVDOVICI, RIVINO, et aliis.

Iaſpis rubra.

Iaſpis vnicolor rubeſcens, WALL. *Min.* p. 129. Eam collo appenſam valdopere laudat BOET. a BOODT *L. II. c.* 102. ad ſiſtendam haemorrhagiam vteri, tam aliorum experimentis, quam ſuis.

Iudaicus lapis.

Echinorum clauilae lapideae, WALL. *Min.* p. 483. Helmintholithus Zoophyti, LINN. *S. N.* p. 196. in Iudaea olim colligebatur.

In puluere ad drachmam dimidiam ſumtus credebatur olim difficultate vrinae auxiliari poſſe, et calculos in veſica comminuere. DIOSC.

Lazuli lapis.

Lazuli lapis obſcure coeruleus, punctulis pyritaceis, WALL. *Min.* p. 131. n. 2. in India et Perſia.

Virtutibus ſuppar eſt lapidi Armenio.

Lyncis lapis ſ. *Lyncurius*, ſ. *Belemnites.*

Petrificata animalia vermium Holothuriorum, WALL. *Min.* p. 462. Helmintholithus teſtacei, LINN. *S. N.* p. 196. In Ida, Cretae monte, olim reperiebatur.

Veteres ſicut Iudaico interne vtebantur, iisdem intentionibus. Vſtus expurgandis dentibus ſeruit, excreſcentias oculorum inſufflatus tollit, vulnera et vlcera conſolidat.

Magnes.

Ferrum attractorium, LINN. *S. N.* p. 176. Ferrum mineraliſatum, minera ferrum trahente ac repellente, et polos mundi oſtendente, WALL. *Min.* p. 338. n. 1. in ferri fodinis.

Praeparatus vim ferri monſtrat, et iisdem intentionibus, vbi ferro vtimur, olim praeſcribebatur. Aliis tamen venenatus videtur. Ferrum ex corpore extrahere poſſe, ridiculum eſt.

Nephriticus lapis.

Gypſum viride, ſemipellucidum, fiſſile, WALL. *Min.* p. 76. in Bohemia, Miſnia, Hiſpania.

Praeparatus commendatur ad renum calculum et ſabulum expellendum, doſi ſcrupuli vnius. BOYLE *de ſpecif.* p. 103.

Oſteocolla.

Tophus calcareus cylindricus perforatus, LINN. *S. N.* p. 189. Petrificatum vegetabile radicis arborum vel plantarum, WALL. *Min.* p. 426. in Marchia noua Brandenburgica.

Ad fracturas oſſium conſolidandas perperam laudatur in puluere ad drachmam vnam, externe vero in

cataplaſmatibus et emplaſtris. Dentibus mundificandis inter pulueres dentifricios impenditur.

Pumex.

Pumex pyritae cinereus, LINN. *S. N.* p. 192. Porus igneus lapidis asbeſti, WALL. *Min.* p. 328. Circa montes igniuomos.

Calcinatus et in vino albo exſtinctus contritusque ad ſordes oculorum abſtergendas facit, RVSSELL *Oecon. nat. in morb. gland. P. II.* Crudus pulueribus dentifriciis additur.

Smiris.

Ferrum intractabile ſquamoſo ſtriatum, LINN. *S. N.* p. 176. Ferrum mineraliſatum, minera duriſſima, rapaci, ſolida, magneti refractaria, colore fuſco vel ferreo, WALL. *Min.* p. 344. in Suecia, Italia, Anglia, Germania.

Ad tollendam in oris ſcorbuto gingiuarum laxitatem et dentes firmandos a GALENO commendatur.

Talcum.

Talcum albicans lamellis ſubpellucidis, WALL. *Min.* p. 178. Talcum particulis impalpabilibus diaphanis molliuſculis conuexis fiſſilibus, LINN. *S. N.* p. 156. in Anglia, Venetorum ditione, et alibi.

Coſmetica virtus ei adſcribitur falſo admodum ratiocinio ſuperſtructa, et quod inanis in hunc diem omnium labor fuit, oleum vel magiſterium inde eliciendi. Quae enim ſub his titulis interdum adhuc venduntur, haud genuina vniuerſaliter pronuntiamus.

Vnicornu foſſile.

Xyloſtea quadrupedum lapidea, WALL. *Min.* p. 453. Paſſim in Germania, et aliis regionibus eruuntur.

Non prorſus vnicornu in lapidem induruit, ſed plus minus fragile et ſub terra quaſi calcinatum eſt. Adſtringit, abſorbet et ſiccat. In fluxibus alui et aliis morbis, vbi adſtrictioni locus, olim praeſcribebatur ad ſcrupulum dimidium. Bezoartica quoque virtus et ſudorifera ipſi adſcripta fuit.

ABBRE-

ABBREVIATA NOMINA
SCRIPTORVM ET DIARIORVM, QVIBVS IN HOC OPERE VSVS SVM.

Act. Ac. Mog. Acta Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium, quae Erfordiae eſt. Condita eſt haec Academia ab Eminentiſſimo Principe Electore Io. Friderico Carolo a. 1754. & Tomum primum ſuorum laborum edidit Erford. 1757. 8.

Act. Hafn. Thomae Bartholini Acta medica & philoſophica Hafnienſia, ab anno inde 1671. vsque ad 1679. prodierunt quinque Voluminibus. 4.

Act. Berol. Acta Medicorum Berolinenſium viginti & vno voluminibus prodierunt ab an. 1717. ad 1731. 8. quibus duae Decades abſolutae ſunt, & tertia inchoata.

A. N. C. Continuatum opus Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum, decem Voluminibus ſub titulo Actorum comprehenſum, quorum primum prodiit Norimbergae an. 1727. vltimum 1754. Id exceperunt iam noua acta, quorum Tomus primus euulgatus a. 1757. 4.

Act. Paris. Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, avec les Memoires de Mathematique & Phyſique. Inde ab 1699. editur Pariſiis in 4. & recuditur Amſtelodami in 8. Verſionem Germanicam curauit Ill. de Steinwehr, & opus diuiſit, ſic vt medica, & quae ad hanc claſſem pertinent, ſeorſim ederet, ſub titulo: Der königl. Academie der Wiſſenſchaften in Paris anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen. Singulis annis inde ab 1750. noua pars prodit Breslauiae in 8. quae quinque vel ſex annos comprehendit.

Act. Petropol. Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Ab anno 1756. prodierunt XIV. Voluminibus in 4. Nunc producuntur ſub titulo Noui Commentarii, quorum Tomi duo iam euulgati ſunt.

Act. Suec. Indicantur Academiae Regiae Scientiarum Stockholmienſis Acta, quae a. 1739. condita eſt, & ab eo tempore per ſingula trimeſtria monumenta laborum edit, lingua Suecica. Sed vſus ſum verſione Germanica, quam Cel. Kaeſtnerus noſter adornat Hamburgi, vbi Volumen primum prodiit a. 1749. 8. cetera ſequentibus annis.

Allegue. An Engliſh Diſpenſatory in four Parts, by James Allegue. Lond. 1733. 8.

Aldrouand. quadrup. Vlyſſis Aldrouandi de quadrupedibus biſulcis, ſolidipedibus & digitatis, viuiparis & ouiparis Volumina tria. Bonon. 1621. ab eius morte primum prodierunt.

Alpin. de Plant. Proſperi Alpini de Plantis exoticis L. II. edidit Alpinus Alpinius, P. F. Venet. 1627. 4.

Alpin. Hiſt. nat. Aeg. Eiusdem Hiſtoriae Aegypti naturalis Pars I. qua continentur rerum Aegyptiarum L. IV. Pars II. ſ. de Plantis Aegypti Liber; cum obſeruationibus & notis Io. Veslingii L. B. 1735.

Alſton. A Diſſertation on Quick-lime and Lime-Water, by Charles Alſton. Edinb. 1754. 8.

Anderſon. Io. Anderſon Nachrichten von Island, Groenland, und der Straſſe Davis. Hamb. 1746. 8.

Arted. Petr. Artedi Ichthyologia, edidit Car. Linnaeus Leid. 1738. 8. Opus poſthumum, quinque Partibus conſtans, quarum prima bibliothecam ichthyologicam continet, altera philoſophiam piſcium, tertia genera & claſſes, quarta ſynonyma, quinta deſcriptiones.

Aſtruc. Io. Aſtruc de Morbis venereis Libri ſex. Lutet. Par. 1736. 4.

Augen. Ep. Horat. Augenii a Monte ſancto Epiſtolarum & Conſultationum medicinalium Libri XXIV. Francof. 1697. fol.

Baglin

Bagliu. Georg. Bagliui Opera omnia medico-pra- ctica & anatomica. Lugd. 1710. 4.

Barbeirac. Form. Caroli Barbeirac medicamentorum Conſtitutio ſeu Formulae, in lucem editae ac auctae cura & ſtudio Doctoris Medici Monſpeſſulani. Lugd. 1751. 8.

Barrêre Obſ. Petr. Barrêre Obſeruations tirées des ouvertures des cadavres. Perpign. 1753. 4.

Barthol. Med. Dan. dom. Thom. Bartholini de Medicina Danorum domeſtica Diſſertationes X. cum Eiusd. vindiciis & additamentis. Hafn. 1696. 8.

Barthol. Obſ. Eiusd. Hiſtoriarum anatomicarum rariorum Cent. I. & II. Hafn. 1654. Cent. III. & IV. cum obſeru. Petr. Pawi, ib. 1657. Cent. Vet. VI. acc. Io. Rhodii Mantiſſa anatomica. ib. 1661. 8. cum fig.

Bauhin. Hiſt. Pl. Io. Bauhini & Io. Henr. Cherleri Hiſtoria Plantarum vniuerſalis. Ebrodun. 1650. 3. Vol. fol.

Bauh. Pin. Caſp. Bauhini Pinax Theatri botanici. Baſil. 1623. 4.

Bäumler. Gottf. Sam. Bäumlers mitleidiger Arzt. Strasb. 1731. 8.

Becker. Daniel Becker Medicus microcoſmus. Lond. 1660. 12.

Bellon. Aquat. P. Bellon de Aquatilibus. Pariſ. 1553. fol.

Benevoli Diſſ. Ans. Benevoli Diſſertazioni. Florent. 1747. 4.

Bernhard chim. Erfar. Io. Chriſt. Bernhard chimiſche Verſuche und Erfarungen, aus Vitriol, Salpeter, Ofenrus, Queckſilber, Arſenic, Galbano, Myrrhen, der Peruvianer Fieberrinde und Fliegenſchwämmen kräftige Arzeneyen zu machen. Leipz. 1755. 8.

Bertini. Del uſo eſterno e interno del Mercurio Diſcorſo Giuſeppe Maria Saverio Bertini. Flor. 1744. 4.

Bianchini. Giov. Fortunat Bianchini Lettere intorno all' indole delle febri maligne & de' loro principali rimedii, colla Storia de' vermi del corpo umano, & dell' uſo del Mercurio. Venet. 1750. 4.

Blair Obſ. Patrick Blair miſcellaneons Obſervations in Phyſic, Anatomy, Surgery, and Botany. Lond. 1718. 8.

Blair Pharm. Eiusd. Pharmaco-Botanologia. Dec. I. VII. Lond. 1723-1728. 8.

Blackmore. Richard. Blackmore Diſcourſes on the Gout, a Rheumatiſm. and the King's Evil. Lond. 1726. 8.

Boccon. Muſ. di Fiſ. Paolo ora Silvio Boccone Muſeo di Fiſica e d'Eſperienze. Venet. 1697. 4.

Boccon. Muſ. di Piant. Eiusd. Muſeo di Piante rare della Sicilia, Malta, Corſica, Italia, Piemonte, e Germania. Venet. 1697. 4.

Bocc. Oſſ. Eiusd. Oſſervazioni naturali. Bologn. 1684. 12.

Boerh. Hiſt. Pl. Herm. Boerhaaue Hiſtoria Plantarum. Rom. 1727. 8. 2. Vol.

Boet. a Boodt. Anſelm. Boet. a Boodt gemmarum & lapidum Hiſtoria. Hanou. 1609. 4.

Bonet. Sepulchr. Theophili Boneti Sepulchretum ſ. Anatomia practica IV. Libris comprehenſa, & in II. Tomos diuiſa. Geneu. 1679. fol.

Borell. Obſ. Petr. Borelli Hiſtoriarum & Obſeruationum medicophyſicarum Centuriae IV. Frf. & Lipſ. 1676. 8.

Boyl. de Vtil. med. ſimpl. Robert. Boyle de ſpecificorum remediorum cum corpuſculari philoſophica Concordia; cui acceſſit Diſſertatio de varia ſimplicium medicamentorum Vtilitate, Vſuque Lond. 1686. 12.

Boyle Uſefuln. Ei. Some Conſiderations touching the Uſefulneſſe of experimental natural Philoſophy. Lond. 1664. 4.

Bradley. Richard. Bradley Hiſtory of ſucculent Planta. Lond. 1727. 4.

Braſſauol. Anton. Muſae Braſſauoli Examen medicamentorum ſimplicium. Venet. 1545.

Breslauiens. Sammlung von Natur-und Medicin- wie auch dazu gehörigen Kunſt- und Literatur-Geſchichten, von einigen Breslauiſchen Medicis. Verſuch I-XXXVIII.

1-XXXVIII. cum IV. Supplementis. Nouendecim Voluminibus prodiit Vratislauiae ab an. 1717. ad 1726. 4.

Breyn. Exot. Iac. Breynii exoticarum & minus cognitarum ſtirpium Centur. I. Gedan. 1678. fol.

Breyn. rar. Pl. Eiusd. Prodromi rariorum Plantarum. Prodrom. I. Gedan. 1680. Prodrom. II. 1689. 4.

Brockes. R. Brockes introduction to Phyſic and Surgery. Lond. 1754. 8.

Brogian. de Ven. Dominic. Brogiani de Veneno animantium naturali & adquiſito Tractatus. Florent. 1752. 4.

de la Broſſe. Gui de la Broſſe de la nature des Plantes. Pariſ. 1628. 8.

Buchwald. Io. de Buchwald Specimen medico-practico-botanicum. Hafn. 1720. 4.

Burggraf. Io. Phil. Burggrafii de aere, aquis, & locis vrbis Francof. ad Moen. Commentatio. ib. 1751. 8.

Caeſalp. de Plant. Andr. Caeſalpini de Plantis Libri LXVI. Flor. 1583. 4.

Camerar. Memor. Io. Rud. Camerarii Sylloges memorabilium medicinae & mirabilium naturae arcanorum Centuriae IV. Auguſt. Treboc. 1624. 12.

Camerar. Epit. De Plantis Epitome P. A. Matthioli, aucta a Ioach. Camerario Frf. 1586. 4. Ei. Hortus medicus & philoſophicus. Frf. 1588. 4.

Cartheus. Mat. med. Io. Friedr. Cartheuſer Fundamenta Materiae medicae, tam generalis, quam ſpecialis. Pars I. 1748. Pars II. 1750. Frf. ad Viadr. 8.

Catesby Carol. Marc. Catesby natural Hiſtory of Carolina. Lond. 1731. fol. c. f. Appendix to the nat. Hiſt. ib. 1748. fol.

Charas ſur la Viper. Moyſe Charas experiences ſur la Vipere. Pariſ. 1694. 8.

Cheſneau Obſ. Nicol. Cheſneau Obſeruationum Libri V. acc. Ordo remediorum alphabeticus ad omnes fere morbos &c. Pariſ. 1673. 8.

Chirac. Diſſertations & Conſultations de (Pierre) Chirac & (Jean. Bapt.) Silua. Pariſ. 1744. 2. Vol. 8.

Choiſel. An eaſq ſnort, and certain method of treating Perſons Litry mad Animals, by Claude du Choiſel. Lond. 1756. 8.

Chomel. I. B. Chomel abregé de l'Hiſtoire des Plantes uſuelles. Pariſ. 1712. 12. 2. Vol.

Chomel Suppl. Eiusdem Supplement à l'abregé de l' Hiſtoire des Plantes uſuelles. Pariſ. 1730.

Chomel Diction. Noel Chomel Dictionaire oeconomique, avec le Supplement. Lugd. 1732. fol.

Clus. Car. Cluſii rariorum Stirpium per Hiſpaniam obſeruatarum L. II. Antw. 1756. 8. 2. Ei. rariorum Stirpium per Auſtriam, Pannoniam &c. obſeruatarum L. IV. 1583. 8. 3. Ei. Plantarum Hiſtoria L. VI. 1601. 8.

Colbatch. Iohn Colbatch Diſſertation concerning chisletoe (Viſcum quernum) a moſt wonderful ſpecifick Remedy for the Cure of convulſive Diſtempers. Lond. 1723. 8.

Column. Phytob. Fabii Columna Phytobaſanos ſ. Plantarum aliquot Hiſtoria. Neap. 1592. 4.

Comm. Bonon. Commentarii de Bononienſi ſcientiarum & artium Inſtituto atque Academia. Volumen I. prodiit a. 1731. II. in tribus partibus a. 1745. III. a. 1755. 4. Bonon.

Commerc. Nor. Commercium litterarium ad rei medicae & ſcienriae naturalis inſtrumentum inſtitutum. Norimbergae an. 1751. prodire coepit, & cum decimo quinto Volumine an. 1745. deſiit.

Crato. Io. Cratonis Conſiliorum & Epiſtolarum medicinalium Libri VII. ſtudio Laur. Scholzii. Francf. 1671. 8.

D*ale* Sam. Dale Pharmacologia ſeu Manuductio ad Materiam medicam Brem. 1696. Ei. Supplementum Pharmacologiae. Brem. 1707. 8.

Deidier Conſult. Ant. Deidier Conſultations & Obſervations medicinales Pariſ. 1754. 12. 4. Vol.

Delii Amoen. Henr. Frid. Delii Amoenitates medicae, Decades quinque Quedlinb. 1747. 8.

Deſault. Pierre Deſault Diſſertations ſur les Maladies

dies veneriennes, la Rage & la Phtiſiè ſur la Goutte & ſur la Pierre. Bourd. 1733. 35. 36. 2. Vol. 12.

Diereville. Diereville Relation du Voyage d'Acadie. Rotom. 1708. 12.

Dieterichs Obſ. Ludou. Mich. Dieterichs Obſeruationes de vſu Corticis Peruuiani in cancro mammarum exulcerato Ratisb. 1746. 4.

Dioſcor. Dioſcoridis libri octo (de Mater. medic.) graece & latine, cum caſtigationibus. Pariſ. 1549. 8.

Dodart. Mem. Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Plantes, par Mr. Dodart (& alios Academicos). Paris. 1676. fol.

Dodon. Rembert. Dodonaei de Herbis purgantibus & deleteriis &c. L. IV. Antw. 1574. 8.

Dolaei Encycl. Io. Dolaei Encyclopaedia medica dogmatica. Frf. 1691. 4.

Dover Thom. Dever Legs d'un ancien Medecin à ſa patrie. Hag. Com. 1734. 12.

Douglaſs. Iohn Douglas account of mortifications and of the ſurprizing effects of te barck in putting a ſtop to their progreſſ. Lond. 1732. 8.

Eberhard. Io. Petr. Eberhard Abhandlung von dem Urſprung der Perle. Halae 1751. 8.

Ehrhard. Barth. Ehrhard Zugabe zu Lonicers Kräuterbuch. Ulm. 1737. fol.

Ellers Anmerk. Io. Theod. Ellers mediciniſche und chirurgiſche Anmerkungen. Berol. 1730. 8.

E. N. C. Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum Ephemerides, Centuriae X. Poſt Miſcellanea ſic dicta prodierunt ab an. 1712. ad 1722.

Erndl. Warſau. Chriſti. Henr. Erndl Warſauia phyſice illuſtrata. Dresd. 1730. 4.

Ernſting. Arthur. Conr. Ernſting Phellandrologia phyſico-medica ſ. Exercitatio de Medicamento nouo, Foeniculo aquatico, vulgo Peer-Saat dicto. Brunſu. 1739. 4.

Eſſays of Edinb. Medical Eſſays and Obſervations reviſed and publiſhed by a Society in Edinburgh. Vol. I-V.

I-V. 1733 - 1744. Continuari rurſus coeperunt inde ab an. 1754. & duo iam Volumina prodiere.

Ettmüller. Mich. Ettmülleri Schroederi dilucidati Phytologia: exſtat in operibus omnibus. Frf. 1688. fol.

Eugalen. Seuerini Eugaleni de Scorbuto morbo liber, ex recenſione Io. Stubendorfii. L. 1604. 8.

Fabregou. Matthieu Fabregou Deſcription des Plantes, qui naiſſent autour de Paris. Pariſ. 1740. 12. 6. Vol.

Fabri Strychn. Io. Matth. Fabri Strychnomania. Aug. Vind. 1677. 4.

Fallop. Gabr. Fallopius de ſimplicibus Medicamentis purgantibus, exſtat cum Operibus omnibus. Frf. 1600. fol.

Fehr. Io. Mich. Fehr. de Abſinthio Analecta. Lipſ. 1667. 8.

Fernel. Io. Fernelii vniuerſa Medicina Lugd. 1644. 8.

Fiſcher de Sen. Io. Bernh. de Fiſcher de Senio, eiusque gradibus & morbis, nec non de eiusdem acquiſitione Tractatus. Frf. 1754. 8.

Fonſeca. Roderici a Fonſeca Conſultationes medicae. Venet. 1628. fol.

Foreſt. Obſ. Petri Foreſti Obſeruationum & Curationum medicinalium ſ. Medicinae theoricae & practicae Libri XXVIII. Frf. 1602. fol.

Fortis Conſult. Io. Fortis Conſultationes & Reſponſiones medicae. Gen. 1677. fol.

Fränk. Samml. Fränkiſche Sammlungen und Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzeneygelahrheit, Oeconomie, und den damit verwandten Wiſſenſchaften. Dirigit hoc Diarium Cel. Heinr. Frid. Delius, quod prodire coepit Norimb. ab an. 1755. Vol. I. & II. iam abſoluta ſunt.

Franc. Trif. Io. Franci Hiſtoria Trifolii fibrini. Frf. 1701. 8.

Franc. Veron. Ei. Veronica theizans. Cob. 1700. 12.

Gabelchou. Wolfg. Gabelchoueri Curationum & Obſeruationum medicinalium Centuriae VI. Tub. 1611. 8.

Galen.

Galen. Claud. Galeni L. XI. de ſimplicium Medicamentorum facultatibus; exſtant cum Operibus omnibus Venet. 1542. 8. 9. Vol.

Garidel. Pierre Garidel Hiſtoire des Plantes qui naiſſent aux environs d'Aix. ib. 1715. fol.

Garzias. Garz ab Horro Aromatum & ſimplicium aliquot Medicamentorum apud Indos naſcentium Hiſtoria. Antwerp. 1574. 8.

Gaſpar. Girolam. Gaſpari Oſſeruazioni ſtoriche, mediche, e naturali. Venet. 1731. 8.

Gentlem. Magaz. The Gentlemann's Magazine, by Sylvanus Urban. Prodire coepit menſtruatim Londini ab an. & adhuc continuatur.

Geofr. Mat. med. Steph. Franc. Geofroy. Tr. de Materia medica ſ. de Medicamentorum ſimplicium hiſtoria, virtute, delectu, & vſu. Pariſ. 1741. 3. Vol.

Geſner Aues. Conr. Geſneri de Auium natura L. III. Tigur. 1555. fol. Ei. *Epiſt.* edidit Caſp. Wolffius L. III. Tig. 1577. 4. Quartus Liber prodiit Vitemb. 1584. 4. Ei *Ouipar.* Tigur. 1554. *Aquat.* L. IV. de Aquatilibus. Tig. 1558. fol.

Gherli. Fuluio Gherli Centuria d'Oſſervazioni rare di Medicina, e Chirurgia. Ven. 1719. 12.

Gianell. Car. Gianella Tr. de admirabili radicis Ipecacuanhae virtute in curandis febribus. Paduae 1754. 4.

Gmelin. Fl. Sib. Io. Geo. Gmelin Flora Sibirica. T. I. Petrop. 1747. T. II. 1749. 4.

Gronou. Virgin. Io. Frid. Gronouii Flora Virginica, exhibens Plantas a Io. Claytono lectas, T. I. 1739. T. II. 1743. Leid. 8.

Grube de Arc. Herm. Grube de Arcanis Medicorum non arcanis. Haf. 1673. 4.

Gruhlmann. Io. Godofr. Gruhlmann de vero contra oculorum caliginem remedio, tanquam ſpecifico, Herniaria ſ. Ocularia. Ien. 1706. 4.

H*aller Hellu.* Alb. Haller Enumeratio methodica ſtirpium Heluetiae indigenarum. Gott. 1742. fol.

Hamb.

Hamb. Mag. Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Hamburgi prodiit inde ab an. 1747. 8. Octodecim Volumina nunc abſoluta ſunt.

Hamel des Arbr. Du Hamel du Monceau Traité des Arbres & Arbuſtes, qui ſe cultivent en France en pleine terre. Pariſ. 1755. 4. 2. Vol.

Hamilton Prax. reg. Dauid. Hamilton Tractatus duplex, prior de Praxeos regulis, alter de Febre miliari. Lond. 1710. 8.

Hartmann Prax. Io. Hartmanni Praxis chimiatrica. Nor. 1677. 4.

ab Heers. Henr. ab Heers Obſeruationes medicae. Lipſ. 1645. 12.

Heiſt. Wahrn. Lor. Heiſter mediciniſche, chirurgiſche und anatomiſche Wahrnehmungen. Roſt. 1753. 4.

Helwing Pulſ. Ge. Andr. Helwing Florae Campana ſ. Pulſatilla. Lipſ. 1719. 4.

Henſing. Io. Thom. Henſing meditationes et experimenta circa Acidulas Schwalbacenſes. Frf. 1728. 4.

Hermann. Pauli Hermanni Cynoſura Materiae medicae, aucta a I. S. Henningero & Io. Boeclero. Argent. 1726. continuata a I. Boeclero 1729. & 1731. 4. 3. Vol. *Ei.* Paradiſus Batauus. Leid. 1698. 4.

Hertodt. Io. Ferd. Hertodt Crocologia Ien. 1671. 8.

Hill. Iohn Hill Hiſtory of the Materia medica. Lond. 1751. 4. mai.

Hiſt. morb. Vrat. Hiſtoria morborum, qui annis 1699-1702. Vratislauiae graſſati ſunt (auct. Cph. de Helwich). Vrat. & L. 1706. 4.

Hoffmann Syſt. Frid. Hoffmanni Medicina rationalis ſyſtematica. Hal. 1720. 4. 6. Vol. 2. *Ei.* Gründlicher Bericht von dem Selterbrunnen, ib. 1727. 8.

Hoffm. Med. off. Caſp. Hoffmann de Medicamentorum officinalium facultatibus Libri II. (edidit Guid. Patin. Par. 1664. 4.

Horſt. Gregor. Horſtii Opera, cura Io. Horſtii Iun. Nor. 1660. fol.

Iohnſton

Iohnſton Av. Io. Iohnſton Hiſtoriae naturalis de Auibus Libri II. Frf. 1649.

Ioung an Opium. Geo. Young Treatiſe an Opium, foundet on practical Obſervations Edinb. 1753. 8.

Kaempf. Amoen. Engelb. Kaempferi Amoenitatum exoticarum politico-phyſico-medicarum Faſciculi V. quibus continentur variae relationes, obſeruationes & deſcriptiones rerum Perſicarum & vlterioris Aſiae, in peregrinationibus per vniuerſum orbem collectae Lemg. 1712. 4. c. f.

Kirkland. Thom: Kirkland Treatiſe on gangrenes. Nottingh. 1754. 8.

Klein. Sel. rem. Lud. Godof. Klein Selectus rationalis medicaminum, quorum vera vis eſt ad felicem praxin clinicam. Frf. & L. 1756. 8.

Kleinknecht. Io. Iac. Kleinknecht Schediaſma de herba Scordio. edidit Io. Francus Ulm. 1720. 8.

Koenig Regn. veg. Eman. Koenig Regnum vegetabile quadripartitum. Baſ. 1708. 4.

Lang. Ep. Io. Langii Epiſtolae medicinales Frf. 1589. 8.

Lang. Teſt. Car. Nic. Langii Methodus noua Teſtacea marina in ſuas claſſes, genera, & ſpecies diſtribuendi. Lucern 1722. 4.

Lanzon. Anim. Ioſeph. Lanzoni Animaduerſiones variae ad Medicinam, Anatomiam, & Chirurgiam facientes. Ferrar. 1688. 8.

Lazerme. Iac. Lazerme Curationes morborum, ex eius ſcriptis excerptae. T. I. II. Monſp. 1750. 12.

Lemery Dict. Nic. Lemery Dictionaire des Drogues ſimples Par. 1714. 4.

Lentil. Eteodr. & Iatromn. Roſin. Lentilii Eteodromus medico-practicus anni 1709. Stuttg. 1711. 4. *Ej.* Iatromnemata theoretico-practica bipartita. ib. 1712. 8.

Lery Hiſt. de l'Amer. Iean Lery Voyage en Amerique Par. 1585. 8.

Lind. Iames Lind. Treatiſe on the Scurvy. Lond. 1754. 8.

Linnaeus

Linnaeus Huius cel. viri varia Scripta a me vſurpata ſunt *Fn. Suec.* Fauna Suecica, ſiſtens Suecici regni quadrupedia, aues, amphibia, piſces, inſecta, vermes. L. B. 1746. 8. *Fl. Lapp.* Flora Lapponica, Amſt. 1737. 8. *Fl. Suec.* Flora Suecica. *Hort. Cliff.* Hortus Cliffortianus. Amſtel. 1737. fol. *Mat. med.* Materia medica, Liber I. de Plantis. ib. 1740. 8. *Syſt. N.* Syſtema Naturae, ſiſtens regna tria naturae. Lipſ. 1748. 8. *Sp. Pl.* Species Plantarum. Holm. 1753. 8. 2. Vol. Diſputationes aliquas infra recenſeo.

Liſter. Martin Liſteri VI. Exercitationes medicinales de quibusdam morbis chronicis. Frf. & L. 1696. 8.

Lobb. Theoph. Lobb. an diſſolvens of the Stone Lond. 1739. 8.

Lobel Aduerſ. Petr. Penae & Matth. de Lobel noua ſtirpium aduerſaria. Antv. 1570. fol. *Aduerſ. II. Ej.* in Rondeletii pharmaciam Animaduerſiones, accedit Aduerſariorum Volumen & Pars altera. Lond. 1605. fol. *Icon. Ej.* Plantarum ſ. Stirpium icones. Antv. 1581. fol.

Loeſeke. Io. Ludw. Leber. Loeſeke Abhandlung der vornehmſten Arzeneymittel. Berol. 1755. 8.

Lower. Loweri und anderer Engliſcher Medicorum in London Engliſches Arzneybüchlein. Lipſ. 1702. 8.

Lowthorp. Abridgem. Eſt compendium Transactionum philoſophicarum ab an. 1665. ad 1700. Prodiit Londin. 1722. 4. 3. Vol.

Ludov. Pharm. Dan. Ludouici Pharmacia moderno ſaeculo applicanda, edidit G. W. Wedelius Lipſ. 1696. 8.

M*anard. Ep.* Io. Manardi Iatrologia epiſtolica, ſ. Curia medica XX. Libris Epiſtolarum ac Conſultationum medicinalium adumbrata. Hanov. 1611. fol.

Marggraf. Braſ. Geo. Marggrafii Hiſtoria naturalis Braſiliae. Leid. 1648. fol.

Martin. M. C. M. A. Diſſertatio epiſtolaris de Oleo Wittnebiano ſeu Kajaput. Guelf. 1751. 4.

Matthiol.

Matthiol. Petr. Andr. Matthioli Opera ſ. Commentaria in VI. Libros Pedac. Dioſcoridis de Materia medica. Baſ. 1598. fol.

Mead Mon. Rich. Mead Monita & Praecepta medica Hamb. 1752. 8. *Id. de Venen.* Mechanica expoſitio Venenorum ex Anglico ſermone in Latinum verſa a Ioſ. Nelſon. L. B. 1737. 8.

Medic. Obſ. Medical Obſervations by a Society of Phyſicien at London. T. I. 1757. 8. c. f.

Mem. de Berl. Hiſtoire de l'Academie Royale des ſciences & belles lettres. Continuatum Opus Miſcellaneorum Berolinenſium, quod prodire cepit inde ab anno 1744. 4.

Miſcell. Berol. Miſcellanea Berolinenſia ad incrementum ſcientiarum ex ſcriptis Societati Regiae Scientiarum exhibitis edita. VII. Voluminibus prodierunt ab an. 1710. ad 1743. 4.

Moellenbrok. V. A. Moellenbrok de Varis ſ. Arthritide vaga ſcorbutica. Lipſ. 1672. 8.

Moinichen Obſ. Henr. a Moinichen Obſeruationes medico-chirurgicae. Continentur partim in Act. Hafnienſ. partim in Lyſeri Cultro anatomico, cui ſubnexae ſunt.

Moreali. Giambattiſta Moreali delle Febri maligne e contagioſe nuovo Siſtema. Venet. 1748. 8.

Morando. Morando Morando Saggio iſtorico-prattico della cum del Vajolo con la China China, e col Bagno tepido. Ancon. 1753. 8.

Morton Pyret. Rich. Morton Pyretologia ſ. Exercitationes de morbis vniuerſalibus acutis. Lond. 1692. 8.

Munting. Abr. Munting de vera Herba Britannica Diſſertatio. Amſt. 1698. 4.

Muys. Wyer. Guil. Muys Diſſertatio & Obſeruationes de Salis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes vſu. Franeq. 1716. 4.

N*eumann Prael.* Caſp. Neumanni Praelectiones chemicae: edidit Io. Chr. Zimmermann. Berol. 1740. 4.

Nungent. Chriſtoph. Nungent Eſſay on the Hydro-

phobia. Bath. 1753. 8.

O*lear. Muſ.* Adam Olearii Gottorfiſche Kunſtkammer. Schlesw. 1674. 4.

Ovelgün. Rüdig. Frid. Ovelgün Entwurf der uralten Wildungiſchen Mineral-Waſſer. 1725. 8.

P*almar. de Morb.* Iul. Palmarii de Morbis contagioſis Lib. VII. Hag. Com. 1664. 8.

Pauli Quadr. Sim. Pauli Quadripartitum botanicum Frf. 1708. 4.

Paullini Obſ. Chr. Fr. Paullini Obſeruationes medico-phyſicae. Lipſ. 1706. 8.

Pechlin Obſ. Io. Nic. Pechlini Obſeruationes phyſico-medicae. Hamb. 1691. 4.

Pietſch v. Convulſ. Io. Gottfr. Pietſch erklärte Urſachen und Cur von den Ohnmachten und Convulſionen. Hamb. & L. 1753. 8.

Plateri Obſ. Fel. Plateri Obſeruationes medicae. Baſ. 1680. 8.

Pluknet Almag. Leonh. Pluknet Almageſtum botanicum. Lond. 1696. 4.

Primit. phyſ. med. Primitiae phyſico-medicae ab iis, qui in Polonia & extra eam Medicinam faciunt, collectae. Prodierunt III. Volumina ab an. 1750. Zullich. 8.

Prodr. Act. Hafn. Prodromus praeuertens continuata Acta medica Hafnienſia. Hafn. 1753. 4.

Q*uincy.* Iohn Quincy Engliſh Diſpenſatory. Lond. 1733. 8. Edit. 5.

R*ajus.* Io. Rajus varia Monimenta edidit, quae ad noſtrum ſcopum contulerunt, vt Catalogum Plantarum Angliae & inſularum adjacentium Lond. 1677. 8. Hiſtoriam Plantarum generalem. Lond. 1693. fol. 2. Vol. Hiſtoriam Inſectorum. Lond. 1710. 4. Synopſin methodicam Quadrupedum. Lond. 1693. 8. Syllogen Stirpium extra Britanniam naſcentium. L. 1694. 8. Philoſophical Lettres, wits thoſe of Willougby, publiſhed by W. Derham. ib. 1718. 8. Topographical, moral, and phyſiological Obſervations, made in a Journey. ib. 1673. 8.

Reau-

Reaumur. de Reaumur Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Inſectes. Par. 1737-1742. 4. VII. Vol.
Conſt. de Rebecque. Iac. Conſtantin de Rebecque Medicinae Helvetiorum Prodromus ſ. Pharmacopoeae Heluetiorum Specimen. Geneu. 1677. 12.
Renealme. Paul. Renealme Specimen Hiſtoriae Plantarum. Par. 1611. 4.
Ridley. Hum. Ridley Obſeruationes de Aſthmate & Hydrophobia. L. B. 1738. 8.
Riedlin. Lin. Viti Riedlini Lineae medicae ſingulos per menſes quotidie ductae, continentes obſeruationes, hiſtorias, experimenta, cautelas, monita, ex ipſa praxi deducta, Anni 1695-1700. Aug. Vind. 8. V. Vol.
Riuer. Lazar. Riuerii Opera medica vniuerſa, adornata a Io. Dan. Horſtio, ex recenſione Io. Iac. Doebelii. Frf. 1674. fol.
Rondelet. Piſc. Guil. Rondeletii Piſcium Hiſtoria L. I. II. Lugd. 1554-55. fol. 2. Vol.
Rotario. Sebaſt. Rotario Rimedio alle catarrhale moleſtie &c. Veron. 1731. 4.
Ruſſell. Riccard Ruſſell de Tabe glandulari, ſiue de vſu aquae marinae in morbis glandularum Diſſertatio Oxon. & Lond. 1750. 8. *Ej*. Oeconomia naturae in morbis acutis & chronicis glandularum Lond. 1755. 8.
Salmuth. Obſ. Phil. Salmuthi Obſeruationum medicarum Centuriae III. poſthumae. Brunſuig. 1648. 4.
Schaarſchm. Nachr. Sam. Schaarſchmidt mediciniſcher und chirurgiſcher Narichten III Iahrgänge 1743. IV. Th. 1745. V. Th. 1746. Berol. 4.
Schaeffer. Io. Gottl. Schaeffer vom Gebrauch und Nutzen des Tobakrauchclyſtiers. Ratisb. 1757. 4.
Schonev. Icht. Steph. a Schoneveld Ichthyologia Hamb. 1624. 4.
Schreiber. Io. Frid. Schreiber Anweiſung zur Erkenntniſs und Cur der vornehmſten Krankheiten. Lipſ. 1756. 8. *Ej*. Obſeruat. & Cogitat. de Peſtilentia. Berol. 1744.

Schroed. Pharm. Io. Schroederi Pharmacopoea medico-chemica ſ. Theſaurus pharmacologicus. Frf. 1677. 4.

Schulz. Io. Henr. Schulzii Theſes de Materia medica. Hal. 1746. 8.

Schuſter Obſ. Gottwald Schuſter Obſeruationes therapeuticae. Lipſ. 1755. 4.

Schwencke Haemat. Thom. Schwencke Haematologia ſ. Sanguinis Hiſtoria, experimentis paſſim ſuperſtructa. Hag. Com. 1743. 8.

Seba Theſ. Alberti Seba locupletiſſimi rerum naturalium Theſauri accurata Deſcriptio T. I. II. Amſtel. 1735. fol. c. f.

Seip. Io. Phil. Seipii Beſchreibung des Pyrmontiſchen Mineralwaſſers und Stahlbrunnens. Hannouer 1750. 8.

Sendel. Nathan. Sendel Hiſtoria Succini. Lipſ. 1742. fol. Opus ſplendidum, quod anteceſſit Electrologiae per varia tentamina hiſtorica ac phyſica continuandae Miſſus I-III. Elbing. 1725. 1726. 1728. 4.

Septal. Ludou. Septalii Animaduerſionum & Cautionum medicarum Libri IX. Patau. 1652. 8. 2. Vol.

Shaw. Trav. Thom. Shaw Travels and Obſervations relating to ſeveral parts of Barbary and the Levant. Oxford. 1738. fol.

Short. Thom. Short Diſcourſes on Tea, Sugar, Milk, Madowines, Spirits, Punch, Tobacco. Lond. 1750. 8.

Sloane. Hans Sloane Voyage to Jamaica, Madera, Barbados &c. Lond. T. I. 1707. T. II. 1725. fol.

Solenander. Raineri Solenandri Conſilia medica. Han. 1609. fol.

Springsfeld. Gottl. Car. Springsfeld Iter medicum ad thermas Aquisgranenſes & fontes Spadanos. Lipſ. 1748. 8. *Ej.* Abhandlung vom Carlsbade. ib. 1749. 8. *Ej.* Commentat. de Praerogatiua thermarum Carolinarum in diſſoluendo calculo prae aqua calcis viuae. ib. 1756. 4.

Steegh. Godofr. Steeghii Ars medica. Frf. 1606. fol.

Stiſſer.

Stiſſer. Io. Andr. Stiſſeri Acta laboratorii chemici. Helmſt. 1690. 4.

Swieten. Ger. van Swieten Commentaria in Herm. Boerhaaue Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis. T. I. 1742. T. II. 1749. T. III. 1753. Lugd. Bat. 4.

T*abernaem.* Io. Theod. Tabernaemontani Kräuterbuch. Frf. 1588. fol.

Thoner. Obſ. Aug. Thoneri Obſeruationes & Conſultationes. Vlm. 1651. 4.

Timaei Ep. Balth. Timaei a Güldenklee Epiſtolae & Conſilia. Lipſ. 1665. 4.

Titſingh Geneesk. Abr. Titſingh Geneeskunſt der Heelmeeſters tot Dienſt der Zeevaart. Amſt. 1752. 4.

Torti Therap. Franc. Torti Therapeutice ſpecialis ad febres periodicas pernitioſas. Frf. & L. 1756. 4.

Tournefort. Ioſeph Pitron de Tournefort Hiſtoire des Plantes, qui naiſſent aux environs de Paris. ib. 1698. 12. *Ej.* Traité de la Matiere medicale, par Beſnier. Par. 1717. 8.

Tralles. Balth. Ludov. Tralles Exercitatio de virtute camphorae refrigerante. Vratisl. 1734. 8. *Ej.* Hiſtoria cholerae atrociſſimae, quam ipſe ſuſtinuit & perſanauit. ib. 1753. 8.

Trans. Phil. Philoſophical Transactions citantur inde ab an. 1720.

Trew. Ic. Cph. Iac. Trew Plantae ſelectae, quas pinxit Ge. Dion. Phret. Dec. I. Aug. Vind. 1750. fol.

V*aldambrini.* Giuſeppe Valdambrini dell' vſo del Mercurio crudo praticato nella cura delle febri maligne & contagioſe in Cortona l'anno 1744. Flor. 1745. 4.

Veſal. Andr. Veſalii Radicis Chinae vſus. L. B. 1547. 12.

W*agner. Obſ.* Io. Gerh. Wagneri Obſeruationes 1. de febre quadam acuta Lubecae obſeruata; 2. de admirandis quibusdam Scillae in puluere exhibitae virtutibus. Lubec. 1737. 4.

Waller Miner. Io. Gottſch. Waller Mineralogie oder Mineralreich. Berol. 1750. 8.

Wedel. Geo. Wolfg. Wedel Amoenitates Materiae medicae. Ien. 1684. 4. *Ej.* Epitome Praxeos clinicae. ibid. 1710. 4. *Ej.* Experimentum curioſum de Colchico veneno & alexipharmaco. ib. 1718. 4.

Weinmanni Phyt. Io. Wilh. Weinmanni Phytantozhoiconographiae Tomi IV. ab 1737. ad 1745. emiſſi. Ratisb. fol.

Welſch Mictom. Ge. Henr. Welſchii Mictomimematum ſ. Miſcellaneor. medic. Centuriae IV. Lipſ. 1676. 4.

Werlhof. de Febr. Paul Gottl. Werlhof Obſeruationes de Febribus, praecipue intermittentibus Hannou. 1732. 4.

Whytt. Rob. Whytt Eſſay on the Lime-Water in the Cure of the Stone. Edinb. 1755. 8.

Wilhelmi. C. L. Wilhelmi Colchicum, als ein Mittel wider die Peſt. Lipſ. 1721. 4.

Willoughb. Ichth. Franciſc. Willoughby de Hiſtoria Piſcium Libri IV. Oxon. 1686. fol.

Wolfart. Petr Wolfart Beſchreibung der warmen Brunnen und Bäder zu Embs. Caſſel 1716. 8.

Würz. Felic. Würzii Wundarzney. Baſ. 1675. 8.

Zacut Lux. Prax. Zacuti Luſitani de Praxi admiranda Lib. III. Amſt. 1634. 8.

Zannichelli. Gio. Iac. Zannichelli Lettera al Guil. Pontedera intorno alle faculta dell'Ippocaſtans Venet. 1733. 4.

Zapata. Gio. Battiſt. Zapata Secreti varii di Medicina e Chirurgia. Venet. 1677. 8.

Zorn. Barthol. Zornii Botanologia medica. Berol. 1714. 4.

Zwinger. Theod. Zwingeri Theatrum botanicum. Baſil. 1696. fol.

DISPVTATIONES ET PROGRAMMATA.

Michael. Alberti Diſſ. de Belladonna tanquam ſpecifico in cancro, inprimis occulto. Hal. 1739. De modo vtendi & regimine, in Thermis Sileſiorum-Hirſchbergenſibus obſeruandis. ib. 1739.

Steph. Bachot. An affectibus melancholicis Manna? Par. 1658.

Io. Iac. Baieri Diſſ. de Viſco. Altorf. 1706.

Io. de Buchwald de Diabetis curatione, cumprimis per Rhabarbarum. Hafn. 1733.

Alex. Camerarii Exercit. acad. qua vſus Corticis (Peruuiani) a febre ad icterum extenſus ſiſtitur. Tub. 1730.

Io. Fr. Cartheuſer de Cinnabaris inertia medica. Frſ. ad Viadr. 1743. De Oleo Kajeput. 1754.

Henr. Fr. Delius Purpurae e coccinella in medendo dignitas. Erlang. 1753. De Taraxaco, inprimis aquae ejusdem per fermentationem paratae eximio vſu. 1754.

Ge. Cph. Detharting de Corticis Chinae efficacia in gangraena & ſphacelo adhuc dubia. Roſt. 1746.

Gualt. van Doeveren de Vermibus inteſtinalibus hominum, praecipue de Taenia. L.B. 1753.

Io. Phil. Eyſel de Aquilegia ſcorbuticorum aſylo. Frf. 1716. De fuga Daemonum. (Hyperico) 1714.

Io. Andr. Fiſcher Progr. de Vſu Nouellarum medico. Frf. 1719.

Io. Ge. Gmelin. de Rhabarbaro officinarum. Tub. 1742.

Phil. Frid. Gmelin. Specificum antidotum nouum aduerſus affectus morſus rabidi canis &c. Tub. 1750.

Cph. Andr. Heder de Hedera terreſtri. Alt. 1736.

El. Frid. Heiſter de Quartana & Hydrope per Corticem Peruuianum curatis. Helmſt. 1740.

Laur. Heiſter de Amauroſi ſaliuatione curata. Alt. 1713.

1713. De Manna & ſpeciatim de ſecuro ac proficuo eius vſu in variolis confluentibus. Helmſt. 1725.

Io. Henr. Heucher de Calculo per adſtringentia pellendo. Vit.

Frid. Hoffmann de infuſi Veronicae efficacia, praeferenda herbae Thée. Hal. 1694. De fontis Spadani & Schwalbacenſis convenientia. 1730. De Cortice Caſcarillae. 1738. De Balſamo Peruuiano, eiusque viribus & vſu. 1703. De Manna eiusque praeſtantiſſimo in Medicina vſu. 1725. De vſu interno Camphorae ſecuriſſimo & praeſtantiſſimo. 1714.

Io. Frid. Haſeland de Bilis interno & externo vſu medico. Ien. 1752.

Car. Frid. Hundertmark de Mercurii vivi & cum Salibus varie mixti ſumma in corpus humanum vi atque efficacitate, eiusque cum Sulphure laxius vel arctius coniuncti virtute in idem nulla. Lipſ. 1754.

Sam. Frid. König de Lamio Plinii. Argentor. 1742.

Tib. Lamberger Ephemeris perſanati carcinomatis. Groning. 1754.

Vrban. Leanthe, An Sagou phthiſicis prodeſt. Par. 1729.

Car. Linnaeus de Geneſi calculi. Vpſ. 1749. De Fungo Melitenſi. 1755. Cenſura Medicamentorum ſimplicium vegetabilium. 1754. Materia medica ex regno animali. 1750. Materia medica ex regno lapideo. 1752. De Euphorbio. 1752. De Rhabarbaro. 1752. Specifica Canadenſium. 1756. De radice Senega. 1749.

I. C. Liſchwitz de Virgis aureis. Lipſ. 1731.

Marc. Mackebrang Analyſis Viſci, eiusque vſus in diuerſis morbis. Hafn. 1753.

Paul. Iac. Malouin, An Sagou phthiſicis prodeſt. Par. 1734.

Lars Montin de Medicina Lapponum Lulenſium. Lond. 1751.

Wilh. Bernh. Nebel de Acmella Palatina. Heidelb. 1739.

Io. Wilh. Paulli de Medicamentis e corpore humano deſum-

deſumtis immerito negligendis. Lipſ. 1721.

Phil. Lud. de Preſſeux de Aquis Spadanis. L.B. 1736.

Sam. Theo. Quellmalz Pr. Hydrargyri vires e ſulphure in corpore humano ſuſpenſas expendens. Lipſ. 1748.

Ant. Ridiger de veritate Medicamentorum propria & methodo hanc explorandi. Lipſ. 1750.

A. Q. Rivini Cenſura Medicamentorum officinalium. Lipſ. 1701.

Nicol. Roſen de Variolis curandis. Vpſ. 1754.

Franc. Iac. Sachs de Vlmo. Argent. 1738.

Caſim. Cph. Schmiedel de Oreoſelino. Erlang. 1751.

Io. Ge. Schäller de Morbo endemio Hagymaz, oder hitzigen Hauptkrankheit, addito in fine nouo & ſpecifico Remedio in hoc morbo patrio vſuali. Hal. 1726.

Io. Henr. Schulze de Aſaro. Hal. 1739. De Helleboriſmis veterum. 1717. De Lilio conuallium. 1742. De Perſicaria acida Iungermanni. 1735. De Rubo idaeo officinarum. 1744. De Aegroto aſthmatico, vſu radicis Scillae ſubleuato. 1735. De inexſpectato Medicamentorum effectu. 1739. De corporis humani momentaneis alterationibus Specimina quaedam. 1741.

Io. Chr. Senkenberg de Lilii conuallium, eiusque inprimis baccae virtutibus. Gott. 1737.

Io. Ge. Siegesbeck de Rorella Vit. 1716.

Io. Hadr. Slevogt Pr. de Lino cathartico. Ien. 1715. Pr. de Centaurio minori. 1713.

Io. Car. Spies de Herbis antinephriticis. Helmſt. De Valeriana. 1724.

I. Adr. Theo. Sproegel Experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta. Gott. 1753.

Io. Frid. Stancke de Valerianis officinalibus. Hal. 1732.

Chriſti. Gottfr. Stenzel de Saluia in inſuto adhibenda, huiusque prae Thea Chinenſi praeſtantia. Vit. 1723. De anodynorum virtutibus venenorum. 1735.

Abr. Vater de Efficacia admiranda Chinae ad gangrae-

nam ſiſtendam. Vit. 1734. De Antidoto nouo aduerſus viperarum morſum praeſentiſſimo in Anglia haud ita pridem detecto. 1736. De Lauroceraſi indole venenata exemplis hominum & brutorum eius aqua enecatorum confirmata. 1737. Progr. quo Olei Oliuarum efficaciam & virtutem aduerſus morſum animalium venenatorum ſingulari caſu, & notatu digniſſimo haud ita pridem obſeruato confirmat. 1751.

Ge. Wolfg. Wedel de Allio. Ien. 1718. De Centaurio minore. 1713. De Maro 1703. De Plantagine. 1712.

Steph. Weſzpremi Obſeruationes medicae. Vltraj. 1756.

INDEX RERVM.

A.

Abelmoſchi ſemen 173
Abietis folia 91
- - - reſina 317
Abrotanum 46
Abſinthium 46. 47. 91
Abſorbens medicamentum 4. 24
Acaciae cortex 296. flor. 143. fructus 269. radix 229. verae ſuccus 335
Acetoſae folia 48. radix 229. ſemen 173
Acetoſella 49
Acida medicamenta, quid poſſint 10
Acidulae 378
Acmella 91
Acori vulgaris radix 230
Acria medicamenta, quid poſſint 10
Actaeae radix 215
Adianthum aureum 92
Adſtringens medicamentum 3. 20
Aes 395
Aetites 401
Agaricus 298
Agni caſti ſemen 173
Agrimonia 49
Alabaſtrum 401
Album graecum 362
Alcannae radix 230
Alcis cornu & vngula 359
Alchimilla 49
Alexipharmaca medicamenta 4
Alkekengi bacca 269
Alliaria 50
Allii radix 184
Alni cortex 293. folia 123
Aloe 329
Aloes lignum 279
Alſine 124
Alterans medicamentum 3. 4
Althaeae folia 50. radix 185
Alumen 382
Alumen plumoſum 401
Amara medicamenta, quid poſſint 10
Ambra 387
Ammios ſemen 173
Ammoniacum gummi 321
Amomi ſemen 166
Amygdalae 245

Anacar-

Anacardii ſemen 269
Analepticum medicamentum, quid 3
Anemone 93
Anethi folia 50. ſemen 157
Angelicae radix 185. ſemen 157
Anguillae hepar 359
Anime reſina 310
Aniſi ſemen 157
Aniſum ſtellatum 274
Anodynum medicamentum 3
Anſerina 50
Anſeris axungia 360
Anthelmiae radix 216
Anthelmintica medicamenta 5. 38
Anthophylli 246
Anthorae radix 231
Antidotum medicamentum 4
Antimonium 386
Antirrhinum 124
Antiſepticum medicamentum 4
Antiſpaſmodicum medicamentum 3. 17
Apalachine 112
Aparine 93
Apii radix 231. ſemen 158
Apophlegmatiſmus 5. 36
Apri dens 360
Aqua Antoniana 379. communis 377. Egrana 379. marina 377. Pyrmontana 379. Selterana ibid. Swalbacenſis 379. Spadana 380. Wildungenſis ibid.
Aquilegiae flores 153. ſemen 166
Aquoſa medicamenta, quid poſſint 11
Arabicum gummi 319
Aranearum tela 374
Argentum 391
Ari radix 186
Ariſtolochica longae radix 186. rotund. ib. vulgaris 187
Ariſtolochica medicamenta 5
Armenius lapis 402
Armoraciae radix 187
Arnica 51
Artemiſia 52
Arundinis radix 231
Aſa dulcis 310. foetida 321
Aſari folia 52. radix 188
Aſini ſanguis 362
Aſparagi radix 232
Aſphaltum 387
Aſphodeli radix 232
Aſter 93
Aſtragali radix 216
Atriplicis ſemen 174
Attrahens medicamentum 3. 21
Auena 158
Aurantiorum cortex 286. malus 246
Auricula Iudae 301
Aurum 395
Auſtera medicamenta, quid poſſunt 10

B.

B.

Balauſtiorum flores 151
Balnea, quomodo operentur 34
Balſamita 94
Balſamum de Copaiua 305. de Mecca 308. Peruuianum 305. Rakaſiri 309. Tolutanum 309
Bardanae radix 188. ſemen 167
Baſilici folia 52. ſemen 174
Bdellium 322
Beccabunga 53
Been nux 264
Behen albi radix 233. rubri ib.
Belemnites 403
Belladonnae folia 53. baccae 270
Bellis maior & minor 125
Benzoe 310
Berberis baccae 247
Betae rubrae radix 188
Betonica 54
Betulae ſuccus 330
Bezoar 371
Bezoartica medicamenta 4. 25
Biſtortae radix 189
Bitumen Iudaicum 387
Boletus ceruinus 303
Bolus 397
Bonus Henricus 55
Borraginis flores 153. folia 55
Borrax 382
Botrys 55
Bouiſta 298
Branca vrſina 94
Bryoniae radix 217
Bufo 347
Bugloſſi flores 153. folia 125
Bugula 95
Buphthalmi flores 151
Burſa paſtoris 56
Buxi folia 126. lignum 280

C.

Cacao 247
Cadmia foſſilis 399
Calamintha 57
Calami aromatici radix 189
Calcatrippae flores 145
Calcitrapae radix 217. ſemen 167
Calefaciens medicamentum 4. 28
Calendulae flores 143
Calx viua 399
Campeſcanum lignum 281
Camphora 311
Camphorata 95
Cancer fluuiatilis 341. eius chelae 360. lapides 370
Canis axungia 353
Cannabis ſemen 158
Cantharis 342
Capillus veneris 96
Capparidis radix 233

Caprifolium 126
Capſicum 265
Caranna 322
Cardamomum 247
Cardiaca 126
Cardui benedicti folia 57. ſemen 159
Cardui Mariae folia 96. ſemen 167
Carduus tomentoſus 97
Caricae pingues 248
Carlinae radix 189
Carminatiua medicamenta 5. 39
Carpionis lapis 362
Carpobalſamum 270
Carthami flores 152. ſemen 167
Carui ſemen 159
Caryophyllatae folia 96. radix 217
Caryophylli aromatici 249
Caſcarillae cortex 286
Caſſia caryophyllata 287
- - lignea 287
Caſſine fiſtula 249
Caſſine 97
Caſſumuniar radix 218
Caſtoreum 353
Cataputiae maioris ſemen 174
- - minoris ibid.
Catechu 331
Cati ſylueſtris axungia 363
Ceanothi radix 218
Centaurium minus 57
Cepae radix 190
Cera & Propolis 368
Ceraſa nigra & rubra 250. eorundem cortex 291. gummi 320
Cerui cornu 354. os de eius corde 365. priapus 360 ſeuum 354
Ceterach folia 127
Ceti priapus 363. ſperma 370
Chaerefolium 58
Chamaedrys 59
Chamaepytis 59
Chamomillae flores 144
Cheiri flores 145
Chelidonii maioris herba 59. radix 233
- - minoris folia 97. radix 234
Chinae Chinae cortex 287
Chinae radix 190
Chriſtophorian. radix 215
Ciceris ſemen 175
Cichorei flores 152. radix 191
Cicuta 97
Cinae ſemen 159
Cinnabaris 388
Cinnamomum 291
Citria malus 250. eius cortex 291. ſemen 168
Citrulli ſemen 160
Clematis 98
Clinopodium 98
Coccinella 344
Coccognidii ſemen 175
Cocculi Indici 271
Cochleae teſta 360
Cochlearia 60

Codagapala cortex 293
Coffée nuclei 250
Colchici radix 234
Colocynthicis pomum 251
Colubrinum lignum 282
Colutea 99
Concha 354
Conferua 127
Conſolidae regalis flores 145
Conſolida Saracenica 99
Contrayeruae radix 192
Copal 317
Corallina 99
Corallium 337
Coriandri ſemen 176
Coris 100
Coronopus 100
Corroſiuum medicament. 4. 24.
Coryli lignum 282. nux 265
Coſti Arabici radix 235
Cotula foetida 152
Creta 397
Criſtallus montana 400
Croci ſtigmata 145
Cubebae 252
Cucumeris agreſtis fructus 252
- radix 235
- ſemen 160
Cucurbitae ſemen 160
Cumini ſemen 160
Cupreſſi nux 271. lignum 283
Cuprum 395
Curcumae radix 192
Cuſcuta 127
Cyoni flores 146
Cyclaminis radix 235
Cydonia malus 253
Cymbalaria 124
Cynogloſſi folia 129. radix 236
Cynosbati fructus 265. fungus 303
Cyperi longi radix 236. rotundi 236

D.

Dactyli 253
Damaſonium 128
Daturae ſemen 176
Dauci cretici ſemen 177. ſatiui ib.
Dentaliorum teſtae 363
Dentariae radix 236
Detergens medicamentum 26
Diaphoreticum medicamentum 5. 34
Dictamni albi radix 218
Dictamnus Creticus 60
Digitalis 128
Diluentia medicamenta 26
Diſcutientia medicamenta 3
Diuretica medicamenta 5. 35
Doronici radix 237
Dropaces 24
Dulcamarae radix 193
Dulcia medicamenta, quid poſſint 10

E.

Ebeni lignum 283
Ebuli baccae 253. cortex 296. herba 61. radix 237
Ebur 360
Ecbolicum medicamentum 5
Echium minimum 100
Elatine 125
Elemi 315
Ellebori albi radix 193. nigri 194
Emetica medicamenta 4. 33
Emmenagoga medicam. 5. 37
Emollientia medicamenta 3
Endiuiae folia 100. ſemen 168
Enuale radix 195
Equiſetum 61
Equi teſticuli 361
Erica 101
Erinaceus 348
Errhinum medicamentum 5. 37
Erucae ſemen 161
Erui ſemen 177
Eryngii folia 129. radix 237
Eryſimum 62
Eſcharoticum medicamentum 4. 23
Eſulae radix 238
Eupatorium 129
Euphorbium 324
Euphraſia 101

F.

Faba Bengalenſis 168
- S. Ignatii 168
Fabae ſemen 161
Ferrum 391
Ficus 248
Filicis herba 129. radix 219
Filipendulae radix 238
Foeniculi radix 196. ſemen 161
Foenugraeci ſemen 161
Formica 345
Fraga 254
Frangulae cortex 294
Fraxini lignum 280. ſemen 169
Fumaria 62
Fungus igniarius 299. Melitenſis 301. ſalicis 302

G.

Galbanum 327
Galda gummi 324
Galangae radix 196
Galegae herba 130
Galla 302
Gallinae ventriculi tunica 363
Gallium luteum 101

Gelatinae, earum virtutes 9
Gemmae 402
Geniſta 62
Gentianae albae radix 197. rubrae ib.
Gentanella 102
Geranium moſchatum 63. robertianum ib.
Ginſeng radix 219
Glacies Mariae 401
Glandes quercuum 266
Glaucium 102
Gnaphalium 130
Graminis radix 198
Granatorum cortex 294
Gratiola 103
Guaiacum gummi 325. lignum 276
Gummi, eorum virtutes 9
- - ammoniacum 321
- - arabicum 319
- - gutta 325
- - look ib.

H.

Haematites 400
Hedera arborea 103. eius baccae 271. gummi 322
- terreſtris 64
Hepatica nobilis 130
Hermodactyli radix 198
Herniaria 103
Hippocaſtani cortex 297
Hippopotami dens 363
Hirci ſanguis 355. ſeuum ibid.
Hirundinariae radix 198
Hirundo 350. eius nidus 374
Hirudo 356
Hominis partes variae 363
Hordei ſemen 162
Hormini folia 104. ſemen 162
Hyoſciami folia 104. radix 238. ſemen 169
Hypericum 105
Hypnoticum medicamentum 3. 19
Hypociſtidis ſuccus 336
Hyſſopus 64
Hyſtricis lapis 372

I.

Ialappae radix 199
Iaſmini flores 152
Iaſpis 402
Ichthyocolla 369
Impatiens 130
Imperatoriae radix 200
Incraſſans medicamentum 26
Ipecacuanhae radix 200
Ireos noſtratis radix 201. Florentinae ib.
Iſatis 105
Iſchaemum medicamentum 3
Iudaicus lapis 402
Iuiubae 272
Iuniperi baccae 254. lignum 277

K.

Kali herba 117
Kermes grana 345
Kikekunemalo 317

L.

Laburnum 106. 131
Lacca 379
Lac lunae 398
Lactuca 106
Ladanum 327
Lagopus 131
Lamium 131. Plinii 132
Lapathi acuti radix 219
Lapis calaminaris 399. ſpecularis 401
Lauendulae flores 146
Laureolae radix 238
Lauri baccae 255. folia 65
Laurocerasi folia 106
Lazuli lapis 403
Lentis ſemen 177
Lentiſci lignum 281
Leporis axungia & talus 361
Leuiſtici radix 202. ſemen 162
Liguſtrum 107
Liliorum alborum flores 147. radix 202
- conuallium baccae 266. flores 147
Limonia malus 255
Linaria 65
Liui ſemen 162
Linnaea 107
Linum catharticum 107
Liquiritiae radix 202
Lithontriptica medicamenta 5. 39
Lithoſpermi ſemen 178
Lobelia 108
Lucii mandibula 361
Lumbricus terreſtris 346
Lupi caro, dens, hepar 365
Lupini ſemen 178
Lupuli fructus 255
Lychnidis radix 239
Lycopodii ſemen 169
Lyncis lapis ſ. Lyncurius 403

M.

Macis 275
Magnes lapis 403
Maiorana 65
Malabathrum 132
Maluae folia 66. flores 148. radix 220. ſemen 163
Manati lapis 365
Mandragorae radix 239
Mangles cortex 294
Mangoſtanae cortex ib.
Manna 331
Margaritae 372
Marrubium album 66. nigrum 132
Marum verum 67
Maſtix 315
Mataliſtae radix 239
Mater perlarum 356
Matricaria 67

Matri-

Matriſylua 132
Maturans medicamentum 3
Mechoacannae radix 240
Medicamentum quid 1. ſimplex 2. eius genera ſumma 3. actio 13. 14. 15. partes conſtitutiuae 5. 6. quales virtutes odor in illis prodat 11. quales ſapor 10. 11
Mel 369
Melilotus 68
Meliſſa 68
Melonum ſemen 163
Mentha 69
Mercurialis ib.
Mercurius viuus 392
Meſpilorum fructus 266
Meu radix 240. ſemen 163
Milii ſemen 178
Millefolium 70
Millepes 346
Molluccenſe lignum 281
Momordicae fructus 255
Mori fructus 256
Moſchus 356
Moxa 133
Mucilago, eius virtutes 9
Mumia 372
Muris alpini axungia 361
Muſcus arboreus 108. caninus ib. catharticus ib. clauatus 109. cumatilis ib. pulmonarius ib. pyxidatus 110
Myrobalani 272
Myrrha 328
Myrtillorum baccae 256
Myrti baccae 273. folia 133

N.

Naphae flores 148
Napi ſemen 164
Narcoticum medicament. 3. 19
Naſturtium aquaticum 71. Indicum 133
Nauſeoſa medicamenta 11
Nepeta 110
Nephriticus lapis 403
Nephriticum lignum 283
Nicotiana 71
Nigellae ſemen 164
Ninſi radix 220
Nitrum 383
Noſtoch 134
Nummularia 73
Nux aquatica 273. iuglans 257. moſchata 258
Nympheae flores 154. radix 240

O.

Olampi gummi 320
Olibanum 302
Oliua 258
Olſenitii radix 228
Onagra 110
Ononidis herba 110. radix 220
Ophiogloſſum 134

Opium 330
Opobalſamum 308
Opopanax 325
Oreoſelinum 111
Origanum 73
Orobi radix 221. ſemen 177
Oſteocolla 403
Oui gallinae teſta 372. vitellus 371

P.

Paliuri ſemen 170
Papaueris albi & nigri ſemen 164
Papaueris erratici flores 148
Paradiſi grana 179
Paralyſeos flores 154. radix 241
Paregoricum medicamentum 3
Pareirae brauae radix 221
Parietaria 74
Paris herba 111. radix 222
Paronychia 116
Paſſiflorae fructus 266
Paſſulae 259
Paſtinacae ſemen 179
Pauana lignum 281
Pauonis ſtercus 365
Pedicularis 112
Pera del Porco 372. di Cobra 373
Pentaphylli folia 112. radix 241
Peragua 112
Percarum lapis 366
Perdicis Plumae 362
Perfoliatae folia 134. ſemen 179
Perſicae flores 149. nuclei 259
Perſicaria 113
Petaſitidis radix 203
Petroleum 389
Petroſelini radix 203. Macedonici ſemen 179
Peucedani radix 241
Phellandrii ſemen 170
Phyſagoga medicamenta 5
Phytolacca 114
Piloſella 135
Pimpinellae radix 204. Italicae 224
Pinguedines, earum virtutes 8. 11
Pini nuclei 259. reſina 317. ſtrobuli 74
Piper album & nigrum 261. longum 262. Hiſpanicum 265
Piſtaciae 267
Plantaginis folia 75. radix 242. ſemen 179
Plumbago 114
Plumbum 394
Pocgereba cortex 295
Poconiae flores 154. radix 204. ſemen 170
Polium Creticum 135
Polygalae radix 222
Polygonum 135
Polypodii radix 204
PomumBorsdorfienſe 261

Populi gemmae 75
Porci axungia 357
Porri folia 114. ſemen 180
Portulaca 76
Pruna domeſtica 261
Prunella 115
Pſilothra medicamenta 24
Pſyllii ſemen 171
Ptarmica 135
Ptarmicum medicamentum 5
Pulegium 76
Pulmonaria 77
Pulſatilla 136
Pumex 404
Punica malus 262
Purgantia medicamenta 4. 29
Pyrethri radix 205
Pyrola 77

Q.

Quercus cortex 294. glandes 266

R.

Rana 348
Ranunculus 115
Rapae radix 205. ſemen 180
Raphani nigri radix 206
Refrigerans medicamentum 4. 28
Relaxans medicamentum 2. 3. 16
Repellens medicamentum 3
Reſinae, earum virtutes 8
Reſoluens medicamentum 4. 25
Rhabarbari monachorum radix 206. veri ib.
Rhapontici radix 206
Rhinocerotis cornu 366
Rhodiae radix 242
Rhodium lignum 281
Ribium baccae 262. nigrorum folia 136
Rorella 137
Roſarum flores 149
Roſmarini flores 150. folia 78
Roſmarinus ſylueſtris 137
Rubefaciens medicamentum 3
Rubiae tinctorum radix 222
Rubi idaei fructus. 262
Rubrica fabrilis 398
Ruſci radix 223. fructus ib.
Rutae folia 78. ſemen 180
Ruta muraria 116

S.

Sabadilli ſemen 171
Sabina 79
Saccharum 334
Sagapenum 328

Salab radix 223
Sal ammoniacum 370. commune 384
Salia, eorum virtutes 6. 10. acidorum 7. alcalinorum ib. mediorum 8
Salicaria 116
Salicornia 117
Saliuans medicamentum 5. 35
Salicis cortex 295. folia 117
Saluadora ib.
Saluia 79
Sambuci baccae 263. cortex 296. flores 150. folia 138
Sandaraca 315
Sanguis Draconis 316
Sanguiſorbae radix 224
Sanicula 80
Santali lignum 283. 284
Santolina 118
Santonici ſemen 159
Saponariae folia 80. nuculae 171. radix 225
Sapones, eorum virtutes 9
Sarcocolla 326
Sarcoticum medicamentum 3
Saſſafras lignum 278
Saſſaparillae radix 210
Satureia 81
Saxifragiae folia 81. radix 210
Scabioſa 81
Scammoneum 323
Scarabaei cornu 366
Scarabaeus maialis 350
Schoenanthus 138
Scincus marinus 351
Scolopendrium 82
Scordium ib.
Scorodonia 118
Scorpio 351
Scorzonerae radix 211
Scrophulariae folia 118. radix 211
Sebeſten 273
Secale 83
Secundina humana 366
Sedum malus 83. minus 84
Sego 284
Selago 119
Senecio ib.
Senega radix 226
Senegal gummi 319
Sennae folia 84
Sepiae os 357
Septicum medicamentum 24
Sericum 373
Serpentariae Virginianae radix 211
Serpentum lapis 373. radix 227
Serpillum 84
Seſami ſemen 180
Seſeli Cretici ſemen 181
Sideritis 138
Sigilli Salomonis radix 242
Sileris montani ſemen 181
Siliqua dulcis 263
Simarubae cortex 291

Sina-

Sinapi ſemen 165
Smiris 404
Solanum 85
Soldanellſa 120
Sonchus ib.
Sophia Chirurgorum 139. ſemen 181
Sorbi aucupariae baccae 267. domeſticae ib.
Specifica medicamenta 40
Spicae Celticae flores 154. radix 243
Spicae nardi radix 227
Spigelia 120
Spinae ceruinae baccae 263
Spirituoſa medicamenta, quid poſſint 8
Spongia 338. eius lapis 401
Squillae radix 212
Stannum 395
Staphidis agriae ſemen 181
Stoechadis Arabicae flores 155. citrinae ib.
Sternutatoria medicamenta 5. 37
Stimulantia medicamenta 3. 21
Storax liquida 309
Styrax Calamita 324
Succinum 389
Succiſae radix 228
Sulphur 390
Sulphurea medicamenta, quid poſſint 8
Sumach flores 155. ſemen 182
Symphyti radix 191

T.

Tacamhaca 316
Talcum 404
Talpa 352
Tamarindi 264
Tamariſci cortex 293. folia 139
Tanacetum 85
Taraxaci herba 85. radix 211
Tauri fel 358. priapus 366
Taxi axungia 367
Telephii folia 121. radix 243
Terebinthina 306. 307
Terra Iaponica 331. ſigillata 398
Terrae, earum virtutes 9
Teucrium 121
Thalictri radix 228
Thee folia 86
Thermae 380. Aquisgranenſes 380. Carolinae ib. Emſenſes 38. Hirſchbergenſes 381. Wisbadenſes ib.
Thlaſpi ſemen 182
Thymus 87
Thyſſelini radix 228
Tiliae flores 150. folia 122. lignum 281
Tilli grana 172
Tonicum medicamentum 3. 20
Tormentillae radix 213

Tragacantha 320
Tragopogonis radix 213
Traumatica medicamenta 3
Trichomanes 122
Trifolii albi flores 156
Trifolium fibrinum 87
Trioſteoſpermi radix 229
Tuber 304
Tunicae flores 150
Turpethi radix 243
Tuſſilaginis herba 88. radix 196

V.

Vaccae lac 358. vrina 367
Valerianae maioris radix 213. minoris 215
Vanilla 268
Venenum, quid 15
Verbaſci herba 139. radix 243
Verbena 140
Vernix 318
Veronica 88
Veſicans medicamentum 3. 22
Victorialis longae radix 243
Vinca pervinca 140
Vincetoxici radix 198
Violaria 89
Violae flores 151. ſemen 182
Vipera 349
Virga aurea 89
Viſcago 122
Viſci querni lignum 278
Vitis idaeae baccae 268. nigrae 140
Vitriolum 385
Vlmariae radix 244
Vlmi cortex 296. folia 122
Vmbilicus veneris 141
Vnicornu marinum 367. foſſile 404
Vomica nux 273
Vrſi fel & pinguedo 362
Vrticae folia 89. ſemen 166. 182. Romanae ſemen 183
Vſnea 141
Vua vrſi 123
Vulpis lingua 362. pulmo 358
Vuularia 142
Vuluaria 141

W.

Winteranus cortex 297

X.

Xanthium 142. eius ſemen 183

Z.

Zedoariae radix 215
Zibethum 358
Zincum 396
Zinziberis radix 215

* * *